Anl. F. 1050.
MR-45
8° Hag.
251.
BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 7599

~~I. 202.~~


ROSA BOËMICA
sive
Vita Sancti WOYTIECHI
agnomine Adalberti
Pragenſis Epiſcopi
Vngariæ Poloniæ Pruſſiæ,
Apoſtoli.
Nunc primùm edita et XIV ſculptis
imaginibus adornata
labore et sumptibus
Adm: Rdi ac Doctiſsi Dni
Matthiæ Benedi Boleluczky
de Hradiſt ad S: Adal
bertũ Novæ Pragæ p.t: Curati.
MDC LXVIII,
Carolꝰ Screta delineavit,
Caſpar Dooms ſculpsit,
Pragæ, Typis Vrbani Goliaſs

XVII-7599-II


REVERENDISS. & CELSISS. D.D. MATTHÆ FERD. A BILEMBERG. ARCH. EP. PRAG. PRIN. LEGAT. NAT. BOEM. REG. PRIMAS S.C.R.M. CONSILIARIUS &c.
Ætatis Suæ 50.
Natus An. 1618
Ordinem S. Benedic: profes: 1638.
Abbas S. Nicolai 1640
Proto Epũ Reg: Hrad: nomi: natus 1659
Arch: Epũ Pragẽ: 1668.
Dooms Fecit Pragæ

REVERENDISSIMO

ET CELSISSIMO

DOMINO, DOMINO

MATTHÆO
FERDINANDO
à BILEMBERG,
ARCHI-EPISCOPO

PRAGENSI ELECTO,
PRINCIPI, LEGATO NATO,
Inclyti Boëmiæ Regni Primati,
Epiſcopo Regino-Hradecenſi,
SAC: CÆS: MAI. CONSILIARIO,
Domino Domino Clementiſſimo.

I*N Parentis ſolemni eſſe ſolent gratiſſima filiorum munera*, dicit Periander: Sed ego Clientum minimus & Capellanus humillimus, quid gratum, aut Celſitudine Tuâ dignum, gratulabundus adferam, neſcio. Parva

† va

va obtuliſſe, ſæpe placuit, & aqua volis incluſa, ipſis etiam Regibus quandóq; grata. *Apud Indos*, verba ſunt Ioannis Metelli, *tenuiores Regibus ſuis munerum loco, roſas noſtrates offerre ſolere, quibus eorundem Regum cubicula inſternantur.* Addunt qui tradidêre: uni ſoli ex Regulis illis, Biſnagerenſi Toparchæ, cujus non uſq; adeò ampla ditio eſt, tantùm quotannis Roſarum, florúmq; provincialium, ex cenſu obtigiſſe, ut ad aureorum nummûm quinque millium Fiſcus anniverſarius perveniret. Cleopatra in marcidis Roſarum floribus talentum, id eſt ſex millia coronatorum Franciorum, expendit. Heliogabalus aquâ roſaceâ piſcinas impleviſſe di-

dicitur, teſte Lampridio. Quisq; Summus Pontifex quotannis Dominicâ 4. Quadrageſimæ, ſive Lætare, Roſam benedicit, eamq́; Principum alicui, vel præſenti gratiæ honorisq́; munus offert, vel abſenti mittit. Ægyptias neq; Romanas Roſas habeo, tali manu præſentandas; Indicam nuper, 7. Kal: Septemb: Româ miſſam, 26. Augusti.
Beatam Roſam, Ordinis Prædicatorum Virginem veneratus es: alias unde tulero? Roſas Elyſias, aut paradiſi violaria non habeo. Indos tamen conſulam, & Roſas expetam; horum enim ſapientes *non aliâ re, æq; ac Roſa, Principum ſibi animos adjungere affectusq́; conciliare ſe poſſe crediderunt. Eapropter non omisêre quin, ubi tem-*

poris lociq́; ratio tuliſſet, oleum indidem expreſſum, phialâq́; religioſè exceptum, verbis legitimis, ſtatâq; cum cæremonia, Soli conſecrarent. Rati ſimul, eo dein cæromate fuiſſent peruncti, continuò Regum ſe Principúmq; potentes fore; ſenſusq́; omnium ac munus in poteſtate habituros: neq; repulſam, quidquid opis gratiæq́; flagitaſſent, laturos. Horum ego exemplo, cùm aditum ad Te Celſiſsime Princeps quærerem, ſine Roſa, gratiſsima Principibus illecebra, de Senticeto S. Patriarchæ Benedicti Religiosè progenita, venire vacuus non præſumpſi. Suſcipias igitur Reverendiſsime Hierarcha, Inclyti Boëmiæ Regni

Pri-

Primas & Princeps Celſiſsime, meum hunc ſive cenſum ſive tributum Roſeum, binis in corbulis, unius libri bipartiti cortice contectum, nempe Roſam Principem in Regno Lybicij domi natam, Sanctum Adalbertum Roſenſem Vitkovæum, Secundum Pragenſem Epiſcopum, anteceſſorem Tuum, ex Benedictina Familia in Pragenſi Sede, velut Primulam Veris in Eccleſia Pragenſi floreſcentem. Et cui deferam potius quàm ſacrorū Antiſtiti? non aliud ſupereſt, quàm ut ex lege primitiarum mearum oblationem faciam, quæ ſic jam olim præſcripſit: *cùm meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarū, primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem: qui*

elevabit faſciculum coram Domino ut acceptabile ſit pro vobis, Levit: c. 23. v. 10. Obſequor mandato Legis, & Tibi Magne Antiſtes, hunc primigeniorum laborum meorum, aut lucubrationum fructum, faſciculum roſeum lubens meritoq; offero: ut per Te coram Domino levatus, acceptabilior ei ſit, cui militat omnis noſter labor. Majora dignitatis Tuæ faſtigium, & Illuſtre Nomen promereri fateor. Verùm cùm primitiæ, quales quales illæ ſint, ex divino jure Sacerdoti debeantur, ſupervacaneum, credo, fuerit, earum tenuitatem hic multis velle excuſare. Suſcipe igitur eas ô Præſulum Decus, vultu quo ſoles, id eſt ſereno & benigno. Scio, ſcio me poma dare Alcinoo &

floresTarentum mittere: ſed affe-
ctum tamen æſtimare dignabe-
ris, & animum offerentis, para-
tiſsimum; ſi de meo poſſem Pæ-
ſtanis, etiam Paradyſi Roſis nata-
lem diem adornarem. Bene, & in
loco, collocatam munuſculi te-
nuitatem pauper ſemper æſtima-
bo, ſi in gremio tanti Principis,
meas plantulas, & in ſacroſancto
Pallio Roſetum meum conſpexe-
ro: Erit fortaſsis, cum publicæ au-
guſtæq́; curæ, oculos illos Tuos,
ad omnia magna pervigiles, con-
ceſſo otio, ad areolas has meas
nonnunquam abducent. Nam &
Sol tanti Orbis luſtrator, gramina
etiam viliora, ſæpe videt, ac pene
numerat, Nubium remoto obice:
maximusq́; animus ad infima
quandóq; deſcendit, ut ex his alti-

tudinem ſuam deprehendat. Quæ Tua eſt modeſtia, non gravaberis, perfunctorio ſaltem nictu librum perſtringere. Si quid autem & ultra facies, quod in Roſeti lectione probaveris, Adalberti credes: quod faſtidieris, meum dicito. Deniq; quocunq; hirtum erit ſtylo, quod aſperum contextu excuſa favens propitius, & dic: nullam ſine ſpinis naſci Roſam. *Qui Rosâ delectantur*, inquit S. Baſilius Epiſt: 149 ad Libanium, *ut veriſimile eſt, fieri ab illis, qui pulchritudinis & elegantiæ ſunt ſtudioſi, neq; ſpinis ipſis, unde flos, ille prodit moleſti ſunt.* Et ſtatim ſubnectit: *quod Roſarum amatoribus, natura minutas illas ſpinas*

nas quaſi quædam amatoria ille-ctamenta, iſti flori adfixerit, ut ſti-mulis illis ægrè contactum admit-tentibus, ad majus deſiderium col-ligentes provocet. Anchoram quoq; Tuæ Celſitudinis inſigni-bus impreſſam, ſi reſpiciam, & *tu-telam ſive refugium, & poſſeſſionē atq; ſtabilimentum* hieroglipicè deſignat. Primo titulo Roſa mea ſacram hanc anchoram, velut aſy-lum ſanctum & inviolabile, ſibi depoſcit, ut ſi quis *Heliogabalus*, *Carynus*, vel *Smyndirides*, aut a-lius quiſpiam *Sybarites*, per laſci-viam, eam calcare, vel petulanter carpere præſumat, ſub hac, ut ſan-ctam decet, protegatur, & ad Tuæ Celſitudinis aras perennet.

Alterum quod ſignat Anchora, Tuũ eſt Reverendiſsime Hierarcha, Princeps Celſiſsime: & omnes aggratulamur, quòd Sanctæ Prangenſis Eccleſiæ *poſſeſſionem* à Deo ſuſceperis. Optamus etiã in hoc altiſsimo ſacroſancto Gubernio Tuam Anchoram (quam, auſpice Deo, adversùs omnes, etiam decumanos fluctus, velut Caucaſum immobilem, feliciter jeciſti) *ſtabilitam* in longævam ætatem teneas, &, in Sancto Pragenſi Principatu, Erneſti Harrachij, nuper Principis Eminentiſſimi, annos numeres. Quod olim Patriæ Patribus à Populo Romano fuit acclamatum id vovemus:

De noſtris annis tibi Iupiter augeat annos.

Vota publica fortunet ipſe Deus, Teq; Celſiſsime Princeps Sereniſſimo

ſimo Regi noſtro LEOPOLDO, Imperatori Auguſtiſsimo, totiq; Regno ſalvum ſervet & incolumem: & cùm per plures jam Hyemes mytra donatus es ab Vrbe Roma, & pro Autumno pallium expectes, etiam ab eadem Sancta Matre pro ſubſequenti Vere Pileo doneris animitus precamur.

D. D.

Humillimus Capellanus

Matth: Bened: Boleluczky de Hradiſt.

AD LIBELLVM.

Auſonius Epiſt: 16.

Perge ò libelle ad Præſulem
Libelle felix, quem ſinu
Vir tantus evolvet ſuo:
Nec occupari tempora
Grato queretur otio

Perge bono Deo, qui te meo voto ſoſpitet, bonúmq; reddat.

CAN-

CANDIDO LECTORI in Chriſto Salutem.

QVo notiora ſunt minus egent ſtylo, Velleius inquit, & plures fortaſſe cum illo dicent; & Roſam Sanctam, in Boëmia natam ab anonymo Surij, Sylveſtro Papa, cæteriſq; ſynchronis autoribus, à ſæculis ante me magno labore, multiſq; vigilijs elucubratam ADALBERTI vitam, à Coſma nec non alijs Scriptoribus vetuſtiſſimis, tum etiam ſuccedaneis recentioribus, tot eximijs laudatam encomijs obijciunt. Fateor

Parva ego tā magnis ad mōrā fontibus ora
Vnde Pater, ſitiens, Ennius ante bibit.

Vnde plures aliæ, ſi cum Auſonio loqui concedas,

S. Woytiechy *volucres, ſua turba, columbæ*
Tingunt Gorgoneo punica roſtra lacu
Diverſáq; Novem ſortitæ rura puellæ,
Exercent teneras in ſua dona manus
Hæc hederas legit in Thyrſos, hæc carmina nervis
Aptat; & illa manu texit utrâq; Roſam.

Verum quid in me uno arguant, quod in pluribus ante me, ſummâ cum laude, ſæpius

pius fuiſſe probatum conſtat? num aranearum textura melior, quod ex ſe fila gignant? nec labor meus vilior, dum ex alienis libo. Apellem arguas, quod Iunoni ſuæ dediſſet, quidquid Vrbis Corinthi virgineus chorus habere potuit: & ex aliena forma ſuã elegantiã produxiſſet. quid in hiſce pauculis Roſæ Boëmicæ folijs operæ præſtiterim, parum refert: labor tamen in hoc uno ſerto, triennium tenuit: interdiu noctuq; ſæpe remiſſius, & intenſius, ut aliquando ſpinæ permittebant. Scriptores Manuſcriptos & Impreſſos, veteres & Recentiores quos in hac Triurbe Pragenſi vidiſſe legiſſéq; contigit, centum & plures inſpexi, contuli: collatos in theſes, ne fors confuſio laboris & erroris Mater oriretur, diu redegi. Annis etiam quantum poſſibile diſtinxi, falſum à vero, fucatum à vero quoq; diſcrevi: & pugnantes, quod in humanis natum, Scriptores contuli, ſuisq; loculis inſerui. Omnia quóq; S. Adalberti memorabilia, quotquot ſunt in Regno teſtimonia, Poſteris ab eodem S. noſtro relicta, non ſine ſumptibus adij: vidi: notavi.

Ne-

Neq; deſuerunt amici longam & moleſtam viam Autumnalem, Pragâ Nepomukum, Clattam & Milaveczium promoventes, Adm̃. RRdi. Dominus Ioañes Theodorus Schlechta de Wſſehrd, eo tempore Blattnenſis, nunc Bechinenſis Decanus, quondam ad S. Bartholomæi coalumnus; & Dominus Sebaſtianus Kral, tunc Nepomucenſis Decanus, olim ſub Admodum Reverendo & Eximio Patre Daniele Krupsky venerando Profeſſore condiſcipulus. Hos debitæ gratitudinis ergò nominare neceſſe fuit; Verùm ut ad Lectorem redeam, ſi qui ſubreptitij ſunt errores, ut candidum Lectorem decet, bonis avibus abire ſine, manuenſibus, Typo, mihi ipſi pariter indulge. Argus, centum oculis vigil, aliquando ſoporatus eſt: & bonus quandoque dormitat Homerus. Apud animas ab omni ſcelere depuratas, ut ſpero facilè veniam impetravero, tales enim, teſte Flacco,

Dabunt veniam maculis
Quas aut incuria fudit:
Aut humana parum cavit natura.

Hoc

Hoc à bono flagitavero, æquo omnia metire modulo ac pede, & æquum te judicem ſenſero. Calumniam ſi qua ſtruitur à cenſore momo, æquitatis tuæ clypeo pro nobis excipe, retunde: atq; in ipſum male feriatū caput Zoilum reijce. Id age: fruere; & per eum, cujus honori labor noſter eſt, fortunacius, quàm optas tu te tibi, æternum vive.

--- *Exeſto procul hinc procul eſto profane* Zoile, ſi vel Achillem indueris, non timebo adverſum me mala: Veneris unguento perungar, ne, ſi lividus in hunc pium Hectora canes immiſeris, morſu nocere poſſint. Apuleianas quoq; Roſas obiecero: quibus comeſtis, te hominem eſſe cognoſcas. Sapias, beneque valeas: & ſi honorem velis, lubens defero: cum Cupidine tibi quoque Harpocrati, Silentij Deo, Roſam impono: ſub hâc Roſa dico, pro pace tace.

CEN-

CENSVRÆ.

LIbrum hunc ſub tit: Roſa Bohemica, ſive Vita Sancti Adalberti, ab Admodum Reverendo Domino Matthia Benedicto Boleluczky de Hradiſt,&c. omni diligentiâ conſcriptum perlegi, & nihil quod OrthodoxæFidei placitis, aut bonis moribus adverſaretur, in illo reperi; ſed ea duntaxat,quæ ad illuſtrandam propagandamque majorem ejusdem Sancti Martyris, Patriæ noſtræ Tutelaris,gloriam faciunt: digna ſanè memoratu, & à ſera poſteritate digniſſima ſcitu. Ideoq; ut in publicum prodeat æquum judico: Authoremq; ejus ut jacto hoc laboris ſui principio, datóq; tam inſigni diligentiæ ſuæ ſpecimine, ad plura deinceps ſimilia,quæ ad majorem Dei & Sanctorum ejus Honorem, Eccleſiæ in decus, & Patriæ in ſolatium ſerviant, manum admoveat, amicè hortor.

Dabam in Arce Pragen: die 2. Septembris. Anno 1668.

Thomas Ioann: Peſſina à Czechorod, S. Metrop: Eccl: Pragen: Scholaſticus, Litomeric: & Wiſſehrad: Canonicus Comes Palatinus.

Hanc

HAnc Roſam Bohemicam, mihi infra ſcripto ad reviſionem traditam, magno cum animarum quæſtu, ac Bohemiæ Patriæ noſtræ gloria, divini Sanctorumq; cultus incremento conſcriptam, limæ ſeveriori ſubjeci; nihilq; (teſtor) in ea me potuiſſe theonino dente mordere, nihil, quod Religioni Orthodoxæ ac moribus fraudi ſit, nihil, quod rectæ vivendi normæ contradicat: imò multa conguentia animadverti, quibus lector eruditior fiat, & melior. Multiplici variaq; doctrina paſcere, ac ſimul ditare licet inibi ingenium; monitis quoq; ſalubribus animum formare, & poſt odorem ſvavem roſeum cum ſponſa currere, quæ provocat omnes dicens: *Curremus in odorem tuũ.* Cant: 1. 3. Eâ propter exiſtimo ſaluti proficuam, & proinde etiam publicâ aurâ dignam, utpote quæ nervosâ Eloquentiâ ornata, diverſimodâ eruditione referta, Chriſti fidelibus idonea, ad bonam inducendam, nec non malam evellendam vitam perapta, miro ingenij molimine elaborata, autoritate ponderata, efficacitate ſuffulta, quo ſtatim in apertum prodire queat, ultroneo voto calcaria ſubdo.

Fr. Petrus à S. Anna, Auguſtinianus Diſcalceatus, Theologus & Concionator manu propria.

GRATVLATORIÆ PATRONORVM & amicorum approbationes.

INclytam roſarum ſtirpem huc è Saxonia tranſlatam, & Illuſtriſſimi Boëmici Floris originem, in Roſeto ſuo utiliter & jucundè ſpectavi. Roſam etiam colore, folijs, Hyblæ Floræq; diverſis odoramentis affluam, ex una Slavnikiana Lybicenſi radice progenitam, contrectavi. Nova placent & vetera; magis autem illa, quæ per invia aſpretaq; vetuſtatis collecta ſunt. Citat Taubmannus Nicandrum, qui libr: 15. florum coronariorum hiſtoriam texit, roſas inveniri aut ſexagenis folijs inſignes: imò circa Philippos & Pangeum montem etiam centifolias repertas. Hanc Roſam Hercinios inter montes, in Boëmia natam ADALBERTVM, ejuſq; vitam in iſto ROSÆ BOHEMICÆ FLORILEGIO tot folijs multiplicem, quot paginis, tot fragrantiſſimis odoribus diſtinctam, quot virtutum ac meritorum incrementis auctam deprehendes. Contrecta, lege, plenamq; ſuavitatis mecum fateberis. Scriptori Admodum Reverendo, Prænobili, ac Doctiſ: Domino Matthiæ Ben: Boleluczky de Hradiſt, aggratulatus, ita ſubſcripſi Anno 1668. 6. die Septembris.

Fr. Ioannes Kryplowicz, Ordinis Canonici FF. de Pœnitentia Beatorum Martyrum alias S. Cyriaci Diffinitor ſecundus, Præpoſitus S. Crucis Majoris Veteris Pragæ.

Glo-

GLorietur Liliatum Galliæ Regnum ſuis Liliјs, noſtra glorioſa Boëmia Roſis jam poterit gloriari, quas Admodum Reverendus Dominus Matthias Benedictus Boleluczký de Hradiſt, &c. tam artificiosè & gratiosè plantavit, ut nullæ bonos mores aut Orthodoxam Fidem oppugnantes ſpinæ in illis reperiantur. Hinc ſi:

Hybernæ pretium promeruêre Roſæ.

promerentur & iſtæ: ſuumq; æſtimationis à Lectore jure expoſcunt vectigal: Ita ſentio ex Seminario Archi-Epiſcopali Pragenſi die 31. Auguſti Anno 1668.

P. Samuel Wenceſlaus Hataſs, Proto-Notarius Apoſtolicus, Antiquiſſimi Vetero-Boleſlavienſis Capituli Canonicus, præfati Seminarij Rector.

AGGRATVLATIO

Admodum Reverendo ac Doctiſ: Domino Matthiæ Benedicto Boleluczky de Hradiſt, &c.

SExennio ab hinc egregius virtute & doctrinâ præſtans Boëmus Moraviam calamo ſuo illluſtraverat, videlicet Reverendiſ: ac Perilluſtris Dominus Thomas Peſſina de Czechorod, nunc in Caſtro Pragenſi, ad Divi Martyris Viti Prælatus & Scholaſticus; talionem, ut ajunt, reddere videtur, & Marcomanniam veluti exolvereMarcomannus Cremſirienſis. AdmodumReverendus Dominus Matthias Bened: Boleluczky, tit: dum Boëmiam ſuâ Rosâ fragrantiſſimâ illuſtrat. Vnde dum illi gratulari volo, mihi ipſi congratulor, quod his Sacri Cleri luminaribus, aliquando in eodem Clericorum collegio, ſeu Convictu S. Bartholomæi Pragæ, utriq; convixerim. Roſa ſub roſa latebat, nulliq; melius excolenda debebatur, quàm Matthiæ, cui ſors bona obtigit: & ut melior exinde eveniat, animitus apprecatur.

M. Ioannes Ignatius Dlauhowesky de Longa-Villa. Proton: Apoſt: Canonicus Vetero-Boleſlavienſis.

HO-

HONORI S. ADALBERTI Secundi Pragenſis Epiſcopi Patroni ſui Maximi, cujus ſanctiſſima vita hoc libello enarratur, vile hoc mnemoſynon ponebat.

NOn hodie ad Cœli tantùm faſtigia, vita
Reſtat Adalberti manibus una ſacris:
Vivit in hoc etiam, calamo tribuente, Sacerdos
Maximus, & vitæ dat documenta, libro.
Iam ſinè prodigio Terram colit unus, & Aſtra
Ad terras quondam viſus adeſſe dicas
Quisquis Adalbertum poſt hac audire loquentē,
Quisquis & in terris, ora videre cupit,
Hunc adeat librum, monſtrabit hic, indice docto,
Quæ petijt ſacri Præſulis ora, liber.

Doctor Iacobus Dobrzensky de Nigro-Ponte A. D. 1668. Die 1. Septembris.

LICENTIA
ORDINARII.

Imprimatur,

Sebaſtianus Zbraſlavſky
Officialis.

PRO-

PROTESTATIO AVTHORIS.

QVandoquidem SS. D. N. Vrbanus Papa VIII, die 13 Martij, Anno 1625. Decretum edidit, idemq́ Die 5. Iulij An: 1635 confirmavit, ne quis geſta Sanctorum, ſine approbatione Ordinarij publicet: ita tamen, juxta declarationem Ejusdem factam An: 1641. 5. Iulij, ut non admittantur Elogia Sancti tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, ſed tanquam quæ à ſola ſuorum Authorum fide privata pondus habeant; atq; adeò non aliam quàm hiſtoricam & humanam fidem faciant. Huic ego Decreto, ejusq́ confirmationi ac declarationi, obedientiſſimè quâ par eſt reverentiâ inſiſtens, profiteor me haud alio ſenſu, quidquid in hac ROSA *Boëmica de Sancto Adalberto ſcripſi, accipere, vel ab alijs accipi velle, quàm quo ſolent, quæ humanâ duntaxat & hiſtoricâ fide, non autem Divinâ Catholicæ*

Ro-

*Romanæ Eccleſiæ, & S. Sedis Apoſtolicæ ni-
tuntur; ijs tantùm exceptis, quæ Sancta Ro-
mana Eccleſia pridem approbavit. Proinde
omnia & ſingula quæ hic ſcripta ſunt, judi-
cio Eccleſiæ ſubijcio: & ſi quïd ejus ſenſui
legatur adverſum, indictum, de-
teſtabile, & non meum
eſſe, neq; haberi,
volo.*

RO-

ROSA BOEMICA,
SIVE
VITA S. WOYTIECHI,
Agnomine
ADALBERTI:
Ex gente VRSINA, Roſenſis
Comitis de Lybicz.
Strigonienſis & Gnieſnenſis
ARCHIEPISCOPI.
Pragenſis in Boëmia, & Poleſſovicenſis in Moravia
EPISCOPI.
Hungariæ, Poloniæ, Pruſſiæ
APOSTOLI.
BOEMIÆ REGNI PATRONI.

PARS PRIMA.
PROOEMIUM.
Laudemus Viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.
Eccleſ: cap: 44. v. 1.

I.

ROSAM florum principem ab ipſo mundi primordio Paradiſiacas inter delicias ortam, ac natam eſſe, Sanctorum Patrum teſtimonio diſcimus. Primùm quidem venu-

ſtatis & gratiæ plenam: *Surrexerat enim ante*, verba ſunt Ambroſij, *floribus immixta teneris ſine ſpinis roſa, & pulcherrimus flos ſine ulla fraude vernabat.* Dein' verò cùm Protoplaſtes Adam innocentiam exutus, brutales villos induiſſet, & ipſa quoque aculeis horruit, poſtquàm *ſpina ſepſit gratiam (a).* Malè idcircò Machumetani crediderunt, de magni ſui prophetæ Machumetis ſudore progenitam *(b)*, quis enim ſibi perſvadeat, roſam è tantis fœtoribus naſci potuiſſe, quæ ſcarabæos & ſordes ejuſmodi enecare dicitur? malè quoque credidit cæca gentilitas, roſas primùm nativo colore candidas, poſtmodùm è vino, â Cupidine alis laſciviente, in cæna Deorum ſparſo, rubuiſſe: vel ex Adonidis ſanguine: vel (quæ potiſſima *(c)* veterum opinio) de vulnere Veneris, Adonidi opem ferentis, purpuraſcere cæpiſſe. Unde unde de-

(a) Baſilius tom. 5. pag: 17. col: 1. in fine. Ambroſius in Hexamero l: 3. c: 11. (b) Augerius Busbeckius apud Mart: Milium in horto. pag: 328. (c) Cælius Rhodigin: antiq: lect: l 21. c. 26. Comes Natalis Mythologia. l: 4. c: 13. Milius in Roſa.

demum gentiles & barbari caduci floris originem deducant, per fœdum & infamem ſanguinem traducunt.

Non ita cæleſtis quàm Paradiſus habet. Woytiechus noſter, roſa candidis & Illuſtriſſimis orta majoribus, poſt tot ſanguineos imbres, in Martyrum vulneribus tincta.

2. Siquidem vix nata, & ſub Apoſtolico lactens adhuc ubere Boëmorum Eccleſia, â prima ſui natalîs die, ab CCMXCIV. videlicet, uſque ad annum Chriſti CMXCVII. â Borzivoio primo regni hujus Chriſtiano Principe, ad S. Woytiechi tempora, illo primo ſæculo vulneris vix dum capax, jam toties aſſveta mori: quoties inter infantiæ crepundia tragicè funeſtam cataſtrophen Martyr luſerit, quis fando explicet? ſeptingentos & ſeptuaginta uno ampliùs Athletas Chriſti datos huic theatro, numerat Hagecius. Hos inter nobiliores illæ, & tanquam præcidaneæ victimæ, S. Ludomilla, & ſuus nepos, dux Wenceslaus, domeſticâ manu perempti: tan-

dem & quinque Lybicenſes Comites[c], Woytiechi germani fratres, cum aliquot Lybicenſium centurijs, actores noviſſimi in proſcenium deducti: ſcenæ triſtioris finem poſituri, niſi Woytiechus pro coronide remanſiſſet, ſanguinario ſæculo daturus epilogum.

3. Millia martyrum vidiſſes, ſi rudis antiquitas omnes & ſingulos in numerum cogere potuiſſet. me Deus! quot non in urbe noſtra, Praga ſcilicet, quot foris, ſive aperto marte, juſtáque acie, ſive clam inter domorum angulos; in foro & plateis: pagis, & oppidis: ſylvis, & vijs publicis: igne, gladio, cæterisque id genus ſupplicijs, publicus & privatus barbarorum furor, Sanctos Dei è medio ſuſtulit? *ille ſcit ſolus numerum, qui eorum nomina tenet in libro viventium* (*d*). Poſteriora ſæcula prætermittam: pari vel certè majori ſanguine martyrum reſperſa. Pius II. Pont: Max: vel de uno quo vixit ſupra milleſimum annum quarto Chri-

(d) *Luithprandus l: 5. c: 7. loquitur de Græcis peregrinis.*

Chriſti ſæculo, ita breviter : (e) *nullum regnum eſt, in quo ævo noſtro, tot mutationes, tot bella, tot ſtrages, tot miracula emerſerint: quot Boëmia nobis oſtendit.* ſiquidem ab anno tantum 1472. per breve illud ſeptuaginta annorum ſpatium (f), *plura quàm centum millia ſacerdotum, virginum, aliorúmque omnis conditionis, ſexûs, ætatis, Catholicorum Boëmorum ab hæreticis pro fide cæſa creduntur.* Verùm ad primos flores redeamus.

4. Unum Hagecium penitius inſpice, fol: 68. A. in medio. fol: 87. A. in fine. fol: 92. A. medio, quæ non clandeſtinæ & ſoli Deo notæ animæ ceciderunt! iterum apertam, & ſub ſignis armatam paganorum ferociam ſpecta, quinquies cum fidelibus concurrentem: in antiqua urbe Pragenſi: fol: 69. A. lin: 3. aliam apud Stranow, fol: 87. b. lin: 5. fol: 88. lin: ult: & illas: fol: 85. A. medio. fol: 75. b. in fine. Videbis quàm magno ſteterint, toties inter gentilitios crudeliter pu-

(e) *In dedicat: hiſtor: ad Alphonſum Aragon: Regem.* (f) *Bohusl: Balbinus in Arneſto, pag: 282. initio.*

gnatæ pugnæ : & novas martyrum turmas plenis cohortibus cœlo tranſcriptas certò deprehendes. Numera ſtellas ſi potes, quot cœli faces, tot purpureas illius veris primulas, ſub hoc ferreo Martio cadentes reperiſti. *Et quid per flores roſarum in diebus veris, niſi martyrum ſanguis, in virore naſcentis Eccleſiæ exprimitur (g)?* Tunc non ſexus, non ætas, non altioris conditionis ſtatus, gentilium & Drahomiræ Idolis deditæ, ſævitiem potuit evitare: quandoquidem *paganorum inſtinctu*, inquit Dubravius (*h*), *clam palámque, ac ſemper impunè fidei cultores indignè tractabantur, occidebantúrque: at ſi quis ex Chriſtianis (vel ſe defendendo) unum illorum aliquem interfeciſſet*, lege latâ Drahomiræ principis, pro uno, *in decem capita animadvertebatur.* Peſſima mulierum iraſci priùs non potuit, quàm decies fureret: vindictam ſedare neſcia, niſi decumano fluctu. Eum in modum infans Pragenſis Eccleſia, lacte nutri-

(g) *Rabanus apud Cornel: à Lapide. ſuper Eccliſ: c. 50. verſu: 8.* (h) *Hiſtoria Boëmica: lib: 4. pag: 28. lin: 50. Hagek fol: 68. A. in medio.*

nutrita & ſanguine, utroque ut ſic dicam ubere, ævi beatioris incrementa ſuxit: & ſub ipſis adhuc infantiæ natalibus, jam ab exortu ſuo mater, in cunis gravida: in doloribus docta parturire: de tam fœcundo vulnere, roſam maſculam Woytiechum martyrem, eſt enixa.

CAPUT I.

De origine Urſinorum Roſenſium, Woytiechi proſapia.

1. A. C. CMXXXVI. ſedente ſummo Pontifice (*a*) Leone ejus nominis VII. quo Henricus I. Auceps dictus, Germaniæ Rex, ſecundâ die (*b*) menſîs Julij vitâ functus, (*c*) Ottoni I. filio ſedem paternam Imperij reliquerat, & Boleslaus Sævus (*d*), perempto germano fratre S. Wenceslao Boëmiæ Duce, principatum jam annos aliquot tenuerat: vir quidam Illuſtriſſimus, gente (*e*) Urſinus, ſtirpe Roſenſis, præfati Henrici Regis ex ſorore nepos, Regni Boëmiæ Comes, Slavnik nomine, vixiſſe memoratur.

2. Gen-

(*a*) *Bullarium, Baronius, Gordonus; & alij communiter.* (*b*) *Bangertus in Helmoldi l.1. c.9. Reginon, Ditthmarus Merſeburg: l.1. Baronius hic, Bucholcerus, D. Dreſſerus Iſagoge millen: 5. pag: 417. num: 12.* (*c*) *ijdem qui ſub lib: B. Vrſpergens. Vitichindus; lib: 2. initio. Schafnaburg: Luithprandus. lib: 4. c.7. Marianus Scotus. Otto Friſingens: Crantſius Metrop: l.3. c.11. &c.* (*d*) *Hagek, Coſmas, Boregk. Veleslavin: 4. Kal: Octobris.* (*e*) *Matthi: Miechovius: lib: 2. ex ipſo Bzovius tom: 20. annal: in vita cap: 2.*

2. Gentis Urſinæ familiam, & Slavnici hujus exordia, Bzovius *(f)* antiquiſſima ſæculis tribus ſupra viginti memorat: etſi non ex magnis valde initijs, Romanam tamen ſtirpem, Octavianæ congenitam: non longè poſt conditam urbem Cæſari ſanguine junctam, altiùs caput ſuſtuliſſe. Exinde urbis Romanæ præfectos (quæ tunc Imperij Romani dignitas fuit ampliſſima) Cæſarum Vicarios 4, conſules multò plures, ſenatores 42, utriuſque Siciliæ ſeptemviros aliquot: Mareſchalcos Imperij aliquot: Gubernatores Urbium & Provinciarum, Legatos & oratores ſummorum Pontificum quàm plurimos: Duces militiæ ſacræ, pro Eccleſia fidéq; ſuſceptæ novem ſupra nonaginta præfuiſſe. Torquatos, Draconicos, Creſcentinos, Navîs, Armellinos, Velleris aurei, S. Michaëlis, S Spiritûs, atque aliorum militarium ordinum equites crucigeros prope innumeros. Tevtonicorum & Templariorum ſu-

(f) Bzovius loc: cit: Scheinerus in dedicatoria. Goldaſtus lib:3. c.2. n.6.

premos magiſtros duos : Rhodiorum, Baptiſtam Urſinum ordine 38. Joan Lud: Godefredus (*g*) tertium adſtruit. Patriarchas Hieroſolymitanum unum, & Antiochenum unum : Cardinales S. R. E. ſupra viginti, 40. ſcribunt alij : *prope innumerabiles* inquit Chriſtoph: Scheinerus S: J: (*h*). Pontifices Maximos 4, S. Stephanum II, S. Paulum I, Cæleſtinum III, & Nicolaum III, ſediſſe memorat. Bzovius , tres alios addunt aliqui : Paprocky (*i*) Syricium Urſinum ſucceſſorem Damaſi ſuperaddit.

3. Quòdſi familias Illuſtriſſimas inſpexeris, ad orbis totius dignitates natam tibi perſvadebis , in ampliſſimas propagines ita ſuccreſcentem Urſinam roſam. Intra alpes tantùm novos duces 7. utpote Brachianos, Gravinas, Venoſas, S. Gemini, Amalfitanos , Aſculanos & Silicis : Principes 4. Tarentínos, Salernitanos, Plumbinos , Scandriglianos : Marchiones 7. Tripaldæ , Pallæ aureæ, Stimilianos,

(*g*) *In Catalogo Magiſtror: Melitent:* (*h*) *In dedicatoria Roſa Vrſina.* (*i*) *De Baronibus , pag. 110. in fine.*

nos, Lamentanæ, Compagnanæ, Roccantiquæ, Montis Sanſovini: Dynaſtiarum Palatinos comites: Pitilianos, Soanæ, Nolæ, Talacozij, Albanos, Anguillariæ, Montis Rotundi, Monapelios, Licios, Sarnios, Æmiliæ, atque alios ultra quadraginta propagavit. Extra alpes verò, in Gallijs Marchiones Trinellos, & ex his alios quatuor traduces: in Aragoniæ regno, Urſinos Valentinos: in Illyrico, comites Blangaios: in Germania, proceres Clivenſes, comites Aſcaniæ, & Ballenſtadios: Dynaſtas Bernburgicos, & Lovenburgicos: Marchiones Saliqualenſes: principes Anhaltinos: Duces Angriæ & Weſtphaliæ: Marchiones Brandenburgicos; & quondam Saxoniæ Electores. ex iſtis utrobique ad ſeptemviratum Imperij evecta hæc Urſinorum propago, dignitatem ſemel acceptam ita tenuit, ut eam apud iſtos annis ampliùs ducentis quadraginta, apud illos annis non minus centum ſeptuaginta (tabulis fidem adſtruentibus) longâ nepotum poſteritate, nec interrupta, Urſini generis

ris gloria continuârit *(k)*. In comitatu Tyrolenſi, Dominos de Felſio: in Boëmia, Vitigones, comites Roſenbergicos: & ab his deſcendentes Poraijos Polonos, quàm latiſſimè produxit.

4. De regibus porrò in ſanguinis cognationem adductis, déque affinibus ſceptris, quid memorem? plerumque illa Europam complexa, omnium ferè regnorum lucem ſic ſibi circumdedit, ut & ſuam illis haud parciùs commodârit. Huic enim Urſinæ genti cum regibus Galliæ, Italiæ, Angriæ, Aragoniæ, Caſtellæ, Ungariæ, Theſſaliæ, Boëmiæ (Scheinerus addit Britanniæ, Sveciæ, Daniæq́;) regibus, necnon cum Imperatoribus orientis & occidentis, per ſuſcepta, datáque connubia, frequens affinitas interceſſit: ita quidem, ut vix nobilior aliqua & vetus familia ſuperſit, quæ nihil Urſinis ſe debere gloriari poſſit. Unam fortaſſe in hac Illuſtriſſima gente coronam imperij deſideraveris, niſi ultro delatam, ac prope impoſitam, forti animo repu-

(k) *Chriſtoph: Schein: loc: cit:*

repudiâſſet: eam enim viribus potiùs, & armis ſuis defendere, quàm vertici impoſitam gerere, longè glorioſiùs exiſtimavit.

5. Omnibus igitur numeris honorum & gloriæ abſoluta virtus Urſinorum, cùm in terris altiùs quo aſcenderet non haberet, cœlum ſcandit: eóque æternas, & verè beatas colonias felix traduxit: ſuísque ſanctiſſimis civibus, utpote martyribus, patriarchis, præſulibus, virginibus, & viduis aulam Cœli replevit. Hinc illæ magnæ animæ, ſummi pontifices: SS. Stephanus II, & Cœleſtinus I, S: Urſinus Apoſtolorum Diſcipulus, Biturienſis Epiſcopus, & Galliæ Apoſtolus: Joannes & Paulus Martyres: Voluſianus Turonenſis; S. Berardus Aprutinus: præſules: B. Matthæus & Latinus, Ord: Prædicatorum, poſtea Cardinales: Joannes Raynerius Cluniacenſis: & ille patriarcha Benedictus, pater ampliſſimæ familiæ, & ſoror germana Scholaſtica: nec non B. Bathildis, Clodovæi II. Galliarum Regis conjunx: noſtrique regni patronus

BIBLIOTEKA OSSOLINEUM

nus Woytiechus : B. Slavnik, Woytiechi pater, & ejus filius Gaudentius, cum cæteris fratribus, Sobieboro, Spitimiro, Bohuslao, Czaslao, Martyribus Roſenbergicis. Regiè hic certè Bzovius, pro noſtris & ſuis Vitkovæis, & Poraijs.

6. Paprocius (*l*) & ipſe Polonus, ingenuè fatetur: unde? â quo? vel ob quæ merita, roſas Urſini deſumpſerint, â nemine inveſtigari poſſe. Oſwaldus Crollius excellens chimicus, lib: de ſignaturis ad D. Petrum Wok, Roſenſium ultimum, in dedicatoria ejuſdem libri: duplex M:S: Roſenſium hiſtoria: Erneſtus Brottuffius, diſertè affirmant: non ex Italia, ſed è Saxonia Urſinorum & Roſenſium familiam, adeoque & ipſam roſam prodijſſe. Hieronymus Henninges (*m*), originem ipſam Urſinorum ab Herciniæ, Aſcaniæ & Ballenſtedij Dominis (*n*), Saxoniæ quondam Ducibus, ita deducit: Hed-

(*l*) *De Baronibus pag: 11. Vide etiam, in ſtatu Equitum. pag: 296. initio.* (*m*) *Genealogicorum, part: 2. pag: 163. 164. 165.* (*n*) *Balbinus in adminiculis. M. S. & de Famil. Malowciana pag: 2. in medio, & in marginalibus. In familia Guttenſtein. pag: 48.*

Hedwigatti Dynaſtæ Ballenſtedenſis, filius Bernthobaldus, Saxonicæ militiæ Dux, â Theodorico Auſtraſiæ, & Burgundiæ Rege contra Hermenfridum, Thuringiæ Regem in auxilium vocatus, devicto Thuringo A. C. DXXIV. 1. Octobris: in præmium victoriæ, partem Thuringiæ ab Unſtrodo flumine, uſque ad Herciniam ſylvam â Theodorico promeruit. Ejus poſtmodùm filius Bernthobaldus II. Herciniæ, Aſcaniæ, & Ballenſtedij Dominus, â ſuis Saxonibus copiarum Dux electus A. DCXVIII. admodùm ſenex, ſecundò ſiniſtrè dimicans, cæſus: Bertholdum I. ſive Bertharium filium reliquit. quem in bello quoque mortuum DCXXIX. filius Beringerus I. ſubſecutus, iterum Hermannum & Beringernm II. ſibi ſuperſtites reliquit. Hermannus autem ex Hildegarda Ducis Angraviæ Dietherici filia Beringerum III. ſuſtulit. verùm hoc ſine hæredibus defuncto, ſuus agnatus Aribertus, vel Aribo I. Ehrenwerdt nominatus, â Conſtante filio Conſtantini, nepote He-

Heraclij, Imperatore miſſus in Germaniam, ad repellendos Sorabos & Henetos, Vicarius Saxoniæ generalis conſtituitur.

7. Intereà temporis dum in illa expeditione ad Viſurgim conſediſſet, ejus patrueles Beringeri ſine hæredibus vivis excesſerunt: ille mox avitam ditionem ad Herciniam ſimul occupavit: & Urſinum principatum quem A: C: DCXXXI Beringerus I. (tyrannidem Francorum ſubterfugiens) Romæ â Theodoſio Imperatore, velut condignum militiæ bene tranſactæ ſtipendium acceperat, pòſt magnum patruum eſt conſecutus: A: C: DCLXIX. vivere deſijt. Ex ejus conjuge Hedwiga, Guntheri Domini in Arnsberg filia, erant ſuperſtites duo filij Aribertus II. Urſinus Princeps, in Italia ſine liberis defunctus: & Radbotus natu minor. Sub hoc Radboto, ob nimiam in ſuos crudelitatem, duodecim præcipui Saxonum ad Francos inimicos transſierunt: ex quo eventu, mœrore confectus, paulò pòſt expiravit, A: C: DCXCIII.

DCXCIII. filios habuit Poncellonem, Vitellonem, Herciniæ, Aſcaniæ, & Ballenſtedij Dominos: alium adhuc habuit filium, Aribertum ejus nominis III. qui in Italiam profectus, Romæ quæ patruus Aribertus II. tenuerat, occupavit: ibiq; Italicam Urſinorum Illuſtriſſimam familiam propagavit: mortuus eſt A: C: DCCVIII. Aribo Beringerus interim, Beringer aliàs appellatus, Vitellonis filius, Herciniæ, Aſcaniæ, Ballenſtedij, & ad Viſurgim dominus, patris, & patruelîs Poncellonis, ſine liberis defuncti (uterq; enim A: C: 721 vivis exceſſerunt) hæreditarijs bonis ampliatus, cum Griffone contra Pipinum Brevem Franciæ Regem, hujus fratrem, conjuravit: armis poſteà devictus â Pipino A: DCCXLVII. rurſus cum Widekindo affine (Haſalam enim Widekindi ſororem ſibi matrimonio junxerat) adverſùs Caroli Magni duces anno DCCLXXXII. feliciùs depugnans, ipſomet Carolo cum ſuis copijs ſuperveniente cum affine devictus & fugatus, in Daniam profugit: atque ita

Francorum contra Saxones bellum 30. annis & pluribus prolongatum *(o)*, quod Pipinus inchoaverat, ſub Carolo Magno tandem A: C: 875. finem habuit. Widekindus autem & Aribo Beringerus interveniente Rege Daniæ, eidem Carolo victori reconciliati, paganiſmo abjurato, baptiſmo ſuſcepto : Widekindus ducatum Angrianum, Aribo hæreditarias, ab eodem Cæſare receperunt. Hactenus Henninges ex Annalibus Saxoniæ *(p)*.

8. Ita pace firmatâ, & poſt diuturna bella, Saxonibus, Galliæq; regibus inter ſe compoſitis : Boëmia gentilis adhuc, & Chriſtianis circumjacentibus inimica, graviter ab utriſque premebatur. Quâ occaſione uſus quidam ex Beringerorum poſteris Urſinus Vitigo (*q*) (â Vito Slavorum Idolo ſic dictus) ad DCCCX. ſalu-

(*o*) *Helmoldi: Chron:l:1. c:3. & Bangertus hic p:16.col:1. Carion, l:4.p: 513. dicit hoc bellum durâſſe totos 33. annos.*
(*p*) *De Vitechindo V. Crantzij Metropolim: lib:1. c: 9. & Saxoniam lib:2. c.23. Baronium anno 785. numer: 49. & Helmoldum citato loco.* (*q*) *Erneſt: Brotuffius in geneal: Anhaltina. duplex MS. Roſens: hiſt: huc etiam Melchior Goldaſtus lib:2. c:2. num:10.11.*

ſalutis annum Wogeno regnante, Principis ditiones armatus ingreſſus, & ad civitatem Weytrach, ſeu Vitoraz, â Viti clade poſteà nuncupatam, infeliciter cum duce manus conſerens, ab eodem fuſus, homagium Wogeno præſtitit, dein poſt diu probatam fidem inter Boëmicam nobilitatem eſt receptus. Hujus Vitkonis poſteri deinceps Vitkones, Vitigones, & Vitkovæi vocati: nomen quaſi hæreditarium familiæ per annos 100. conſervârunt. ex quibus poſteà Slavnik Lybicenſis Comes, & ipſe Vitkovæus, temporibus Henrici Aucupis ortus: octo progenitis filijs, inter vivos eſſe deſijt: unicum filium Poray, vel Poreium, qui Roſenſem Vitkovæorum familiam propagare potuit, poſt cladem cæterorum quinque fratrum ſuperſtitem reliquit. is cùm diutius gentilitiorum paganorum ſævitiem ferendo non eſſet, priuſquàm fratres cum ipſo Lybitio patriâ ſede cecidiſſent, quod malum pridem præviderat, maturè declinavit. & cum uxore atque liberis ad Miecislaum Poloniæ

Ducem amicum ſeceſſit : uſque dum, apud eferos Boëmos, & fides amplior, & pax firmior aſſurgeret, ibi per annos complures reditum præſtolabatur. Pòſt â Boleslao Chrabri primo Poloniæ Rege, Miecislai filio, liberaliter habitus, poſſeſſionibus etiam ſe dignis adauctus, cùm principi fidelem in bellis operam præſtitiſſet, adverſùs paganos Ruſſos fortiter depugnans, circa annum Cſtriſti 1008. glorioſus occubuit. Occaſum patris longè clarior poſtmodùm in filijs ortus excepit, poſteaquàm Illuſtriſſimis Roſiciorum familijs, tanquàm radijs quàm plurimis novum tunc, & ampliſſimum Poloniæ orbem illuminavit. Roſeum hoc Roſiciorum jubar mille radijs diſperſum, plenis oculis ſpectare poteſt, qui Paprocium (*r*) inſpexerit:

9. Non longè pòſt Poray diſceſſum, quiſpiam ex ejus filijs in Boëmiæ Regnum, & avitas patriæ ſedes reverſus, quis Vitkovæorum fuerit, fateor non repe-

(r) In ſtatu Baron: pag: 55. & 56. Balbinus Famil: Malevezianæ: mihi pag. 2.

reperi. Paprocius (*s*) in ſtatu Baronum, quempiam Vitek de Strazie (Hagecius (*t*) Vitek de Stroſſ:) nominat; is á Brzetislao Boëmiæ Duce inter caduceatores Petrum Berkovecz, & Matthiam Hovoram, ad Henricum Imp: ejus nominis III. in albo monte, ad ipſam urbem Pragenſem ſubtentorijs cum exercitu conſidentem, cum triennali tributo (*u*) miſſus fuit A: C: MXLII. hoc autem 34. annorum ſpatium á morte Poraij præter lapſum, ad credendum inducit facilè, ſupra nominatum Vitek de Straz, Poraij filium fuiſſe, licet grandævum, & in ea legatione jam ſexagenarium. In filiorum & nepotem hujus Vitkonis de Straz certam ſeriem, numerum, & annos inquirere, atque ex abdita vetuſtate, in hodiernam lucem ipſam veritatem producere, difficillimum nemo inficiabitur. Bohuslaus Balbinus S: J: de origine fami-

(*s*) *pag: 13. in medio. & pag: 56. in fine.* (*t*) *fol: 119. pag: A. in fine.* (*u*) *1500. libris argenti. Dubrau: lib: 7. pag: 53. Hagek. fol: 119 pag: B. unde colligis annui tribut ſolitas dari à Boëmis 500. lb. boves. 120. Vide Hagek: fol: 116. B.*

liæ Guttenſteinianæ, in tabula genealogica inclytæ domûs principum Urſinorum de Roſenberg, ſummo labore & diligentiâ ex MM: SS: codicibus, & memorijs Roſenſium conquiſita, ſeriem Roſenbergicorum deduxit: verùm ab anno primùm 1150. ubi Vitkonem de Roſenberg, Dominum in Roſenberg & Crumlow, Vitkonem primum nominat. Cuthenus (w) verò citius 40. annis ante, ſcilicet anno Chriſti MCX. Roſenbergicos in Boëmia gloriosè audire cæpiſſe adſerit: neque tamen eorum nomina recenſuit, neque numerum & ſeriem diſtinxit: adeoque prænominati Roſenbergici num â Lybicenſibus ipſis, vel alijs Roſenſibus deſcendant, ego non diſcerno.

10. Mecœnas meus quidam utroſque diſtinguit; & illos Roſenbergicos, qui per Bechinenſem diſtrictum quondam floruerunt, â Lybicenſibus alios, ac ducentis & quinquaginta circiter annis in Boëmia poſteriores adfirmat. cum ſupradictis Urſinis, ſeu Anhaltinis unius qui-

(w) *Cuthenus. pag. 75. in fine.*

quidem originis, Roſenſis nempe Vandalici ſanguinis, ex diverſa tamen ac diverſorum etiam inſignium, Roſenſi linea prognatos. Hi primitus roſas tres partim purpureas, partim candidas (unde Barones de Roſis nomen antiquum habuerunt) in armis gentilitijs præferebant: poſteà quidam nepotes eorum dimiſſis proprijs inſignibus, Urſinorum Romanorum Urſos, & alia quædam ipſorum additamenta, ſuis armis præfixerunt: eo errore ducti, quod ſe non á Boëmis Roſenbergicis, ſed ab Urſinis Italis deſcendere crediđiſſent: cùm tamen dicti Urſini præter ſolam illam Roſam purpuream, ac verè genti propriam, alia quæ ſuis in armis præferunt, nova ac adſcititia mutuati ſunt â Cajetæ Principibus, quorum ex connubio hæredes effecti fuerant. unde aliquamdiu Urſini Cajetani dici conſveverunt. Porrò ex quanam immediatè provincia vel quo anno hi Barones de Roſis, verè Boëmici, Lybicenſiúmque Roſenſium agnati Boëmiam ſint ingreſſi, perquirere, res altioris eſt

indaginis, eam Patronus meus quandoque demonſtrabit.

11. Quod ſi ita eſt, quemadmodùm authores probati recenſent: Abrahamus Bzovius, Scheinerus, Sabellicus, & ante iſtos alij plures, docentes Urſinos Principes ab Italia oriundos fuiſſe, & Octaviana prosapiæ congenitos, per duo annorum millia & trecentos parem ætatem tuliſſe, malè referant neceſſe ſit. abſit ut authoritati tantæ ſuccenſeam: neque tamen poſteriori ſententiæ quidpiam derogârim: ſcriptorum clariſſimorum, & lectorum eruditiſſimorum judicium hic in medio relinquo. Verum quidem eſt DD: Behern vel Beringeros (Urſis & Roſis, armis gentilitijs inſignitos, & in Saxonia ad Herciniam natos) in Italia ab Imperatore Heraclio donatos primùm titulo Principum: an tamen exinde poteſt, aut ſequi debet, ipſammet Beringerorum originem ex Italia pululâſſe? quemadmodùm poſt Slavnici Roſenſis, eorundem Beringerorum nepotis obitum, & ejuſdem quinq; filiorum cædem, ceſ-

ceſſante per Boëmiam Roſenſium Lybicenſium ſtemmate, Poray è Polonia reduces in Boëmia poſteros, è Polonia oriundos quis ſibi perſvadeat?

12. Mecœnatis mei, ſenſum veneror, & amplector; is ita ſe habet: Urſinos Romanos proceres ex inferioris Miſniæ Principibus Anhaltinis Dynaſtis olim Vandalicæ nationis ab arcibus illis Roſenberga & Berenburgo, vel Urſino caſtro ad Albim & Salam ſitis originem ducere, docent ſcriptores Germanici. verùm quo duce, vel tempore de Miſnia, Romam delati ſint, ſcriptores non aſſignant: fors nec ipſi Principes Urſini poſſunt, mille ducentis circiter annis Romam inhabitant, & matrem colunt, ulteriora quis memoret? Dynaſtæ Boëmici Lybicenſes, Slavnici majores, licet Urſinis Principibus longè juniores, ex eodem tamen Roſenbergico in inferiore Miſnia prognati ſanguine, tam Urſinorum Romanorum, quàm Anhaltinorum Principum agnati fuiſſe, negari non poſſunt. Roſa tantùm unica, & illa quidem candi-

da, ſufficiens præbet argumentum: ea ſiquidem & Miſnenſibus, & Lybicenſibus Roſenbergicis communis fuit. Olim quidem Miſnenſes Roſenbergici ſæpè ſua variârunt inſignia, verùm ultimò tandem Roſam unicam, ſive illam candidam, ſive rubeam ſuis agnatis geſtandam ſingulatim diſtribuerunt: qua de cauſa, id fecerint, lucubrationes prænominati Mecænatis olim docebunt.

13. Ab anno Chriſti nati 400, ad annum uſque 1010. proſapiam Beringerorum Urſinorum, & qui ex his nati, Vitkovæorum Roſenſium quantum potui contuli; vel potiùs, quantum in his tenebris licuit, quæſivi. Roſenbergicam harum filiam, ab anno 1150. uſque ad annum 1612. ad ipſum Petrum Wok, cum quo ipſa quoque expiravit, per debitas genealogias eruditiſſimè proſequitur Balbinus in origine Comitum de Guttenſtein. De primordijs autem Urſinæ gentis, num è Saxonia vel Italia prodeant inquirendis, genealogiſtis, chronologis, & hiſtoricis (queîs in talibus dies vitæ tranſiguntur) labor

labor eſto : mihi , hos Nili fontes adire, impoſſibile; puteus altus eſt, & cadum ex quo hauriam non habeo. ſufficit, â Beringeris per Saxones B: Slavnicum in Boëmiam traduxiſſe. Deviat in hoc paſſu Bartholomæus Paproczky (x) cùm aſſerit : ex eadem nobilitate quæ cum Czecho & Lecho ducibus in has Boëmiæ partes ex Croatia venerat, Comites Lybicenſes rubram roſam in albo campo primos intuliſſe: Slavnicum enim â Croatis ortum, qui dicat, vix putem è Boëmis unum : Hagecio (y) & alijs altum ſuper hac re ſilentium. Crediderim Paprocium plures familias, quarum originem & fontes ipſos aſſequi non potuit, ad illam primam cum Czecho & Lecho tranſmigrationem reduxiſſe : & ejuſmodi difficultates, â ſe procul in Croatiam uſque abegiſſe. Similiter Roſenbergici & nonnulli patrueles eorundem, â Vitkone veriſſimè deſcendentes, actum agunt:

(x) De Baronibus, pag: 9. ſub initio. (y) fol: 91. pag: B. Coſmas ad annum 981. Dubrau: l·6. initio. Pontan: l: 3. cap: 2. pag: 15. Sylvius, cap: 16. Veleslau: 4. Non: Ian: 11. Kal: Martij 15. Kal: April: nullus ex iſtis.

agunt: ſi proavos Urſinos, Octavianæ familiæ congenitos, ab Italia proſpiciunt. & â ſanctiſſimis majoribus longè deſciſcunt, ſi B: Slavnicum, Poray, S: Woytiechum & Gaudentium, tantos amicos Dei, pro ſuis, & domi ſuæ natis Patronis non agnoſcunt *(z)*. Tot roſas Urſinorum, & varias, hactenus legiſſe ſufficiat: ad ipſum fruticem, noſtrum Lybicenſe roſetum Slavnicum Comitem redeamus oportet.

CAPVT II.

De Parentibus S. Woytiechi & eorum opibus.

1. SLavnik igitur, vel Slavonicus Lybicenſis comes, â Beringeris (ex quibus poſtea Principes Anhaltini) Saxonibus oriundus, primus Chriſtianorum Roſenſium ſeu Vitkovæorum propagator, non ex S: Henrico ejus nominis II. *(a)* Bavaro, ſed Henrici primi Aucupis de Saxonum

(z) Paprozky de Equit: pag: 296. Huc etiam Balbinus in Famil: Malov: pag: 2. & in MM: SS: adminic: (a) Anonym: Sury: cap: 1. Bzovius ad Paulum Iordanum in præfatione ſuper vitam. S: Adalb: p: 599. Veleslavina 31. Kal: Apr: p: 156. Raderus in Bavaria. S. pag: 101. Dranſſovius. cap: 1.

xonum gente primi Germaniæ Regis, ex ſorore *(b)* nepos fuiſſe dicitur. adeoque Aucupis filium, & Nepotes Ottones reliquos Germaniæ *(c) reges, lineâ ſanguinis contingens.* vixit feliciſſimus ſub Ottone I. Germaniæ Rege, Henrici Aucupis filio: liberis, honoribus, & opibus circumfluens. Tunc inter Boëmiæ flores primas roſa tenuit, cùm virtutibus & fortunis reliquos proceres Slavnik antceſſit. *erat* quippe *flagrans amore juſtitiæ, ac operibus miſericordiæ: vir magnus inter cunctos terræ habitatores: auro & argento locupletiſſimus, inter delicias ambulans, cuſtos divinæ legis, obediens præceptis Eccleſiæ. charus omni populo, & verè amicus pauperum: homo ſtaturæ mediocris (d)*, facies digna principe.

2. Titulum comitis *(e)*, illo ſæculo

apud

(b) Chriſtannus de Scala MS. Balbinus in Erneſto: & Guttenſtein, Familia. Bzovius ſuper 2. c: Sylveſtri. (c) Anonym: Surij. c. 1. (d) Anony ibid. (e) Hagek in Præfat: Hiſtor: Boëm: p: 2. lin: 1. & fol. 85. B. Dubrau: l: 6. initio. Pontanꝰ l: 2. p: 15. & l: 3. c: 3. Æn. Sylviꝰ l: 3. in S. Adalb: Bangertꝰ in Helmoldi. l: 1. c: 1. p: 4. Veleslavina p: 93. & 156. Lupatiꝰ. 19. Febr. Paproczky in Ducibus p. 71. in Epp: cap: 3. p: 271. in Baronibus pag: 11. Chanovsky veſtig: Boëm: pag: 42.

apud Bëmos per rarum, & inter ordines gradum ſummum, Slavnik Lybicenſis præ cæteris habuit. non obſtante enim authoritate Hagecij fol: 100. pag: A. dicentis: per Hovoram primò ſub annum Chriſti 1003. in Regno Boëmiæ Baronatûs ordinem inchoatum: & Balbino *(f)* teſtante, ante 40. proximos annos in Boëmica nobilitate comites (Imperij ſubintelligas) præter Schlickios & Guttenſteinios, nullos adhuc extitiſſe: credendum eſt, Slavnicum verè Boëmiæ comitem jam tunc nominatum: tum ex eo, quòd Reges Germaniæ, & Impp: Rom: lineâ ſanguinis contigiſſet; tum, quòd ab Urſinis principibus Beringeris per lineam paternam deſcendiſſet. Illis equidem caſcis temporibus, priuſquàm Imperium, totaque nobilitas Imperij, per ſuas claſſes & ordines diſtingueretur, quòd primùm in torneamentis ſeu ludis equeſtribus *(g)* Henricus I. inſtituiſſe fertur, illi tantùm comites appellati, qui vel

(f) In Famil: Guttenſt: pag: 5. V: em. Goldaſtum comment: l. 1: c: 15. & Hagekum. in Præfatione citatum. (g) In Familia Guttenſtein: Balbinus pag: 6.

vel ex regibus, vel principibus oriundi fuiſſent : teſte Marco Velſero in Boicis, & Paprocio *(h)*. Aliam adhuc dignitatis hujus rationem adfert Dubravius *(i)*: *Comites*, inquit, *eo tempore vocari ſolitos, qui vicariam principis jurisdictionem regionatim per arces & oppida adminiſtrabant.* quaſi dicat : Slavnicum talem comitem, non jure dominij, ſed officij titulo, velut Vicarium principis ampliſſimarum ditionum, quas paulò pòſt videbimus, præfecturam geſſiſſe. Demus hanc veritatem Joanni Dubravio: certè magna ſatis adhuc ratio, & authoritas pro Slavnico comite: ſiquidem primitus *(k)* ſub Joanne rege, *regnum uni Capitaneo, vel duobus à rege commiſſum fuit, & ad annos pro determinata ſumma pecuniæ expoſitum : & populus qui in regno fuit, tributarius reputabatur.* Meliori poſteà fine eoſdem regni præfectos Carolus IV. Imper: Joannis filius auxit, & contra latrones patriam infeſtantes, minoribus

(h) *De Baronibus.pag: 324.* (i) *Lib:6. Hiſt:Boëm:pag:38.in fine.* (k) *Chronicon Aulæ-Regiæ c:16. Hagek:fol:417 pag: B. Balbini Arneſtus pag:161. & 166. Stransky c:2. pag:2.*

bus etiam cauſis nobilium, ac civitatum, cognoſcendis, per duodecim Regiones ſeu diſtrictus, ſingulis duos, capitaneos Baronem unum, Equeſtris ordinis alterum conſtituens, Regno præfecit. Ego tamen majorem in Beato Slavniko, Woytiechi noſtri Patre, quàm exactoriam Dynaſtæ cujuſpiam poteſtatem deſideravero: neque verebor inter imperij Comites noſtrum quoque Lybicenſem adnumerare.

3. Bonfinius decade. 2. lib: 1. Brottuffius, Balbin: in admin: MM: SS: & alij, clariſſimè perhibent prænominatum Slavnicum, præter eas ditiones quas in Regno tenuerat, etiam extra Boëmiam, in ipſos Tevtones Herciniam ad uſque ſylvam mediam agrum habuiſſe. confirmat Mecœnas meus in litera MS. quàm reverentiſſimè ſervo, & amplius aliquid aſſerit: verbis ipſius utar. *Dynaſtas* inquit, *Boëmicos Lybicenſes habuiſſe valdè apparenter præter ditionem Boëmicam, in Miſnia etiam inferiore aliquid fortunarum: qualiter Pragenſes quoque*

Duces

Duces temporum illorum habebant, Quà etiam occaſione Henricus Auceps Imper: ſororem ſuam Slavnikonis Patri, tanquam Imperij Romani ea per loca jam fortè Comiti, in conjugem dederit: cùm difficile planè ſit creditu, unius Imperatoris ſororem datam fuiſſe nuptui uni privato tantùm Dynaſtæ Boëmico; & qui à Rom: Imperio titulum prorſus nullum, ſive Principis, ſive Comitis tunc adhuc haberet. Ad hæc non incongruus accedit Urſpergenſis, cùm dicit: Henricus autem Rex cùm eſſet ſedulus in exaltando gentem ſuam, rarus, aut nullus nominatorum virorum in omni Saxonia erat, quem aut præclaro munere aut officio aliquo non promoverit. Itaq; ſi liberaliſſimus Imperator erga pleroſq; Saxonum, inter quos natus, ita ſe habuit; quantò magis erga ſuos cognatos & familiares, quorum de numero ſuæ ſororis maritus, pater Slavnikonis fuit non poſtremus. Hujus filium, Slavnikum intellego, præclaris munijs & honoribus Imperator affecit; atque etiam in Torneamentis Imperialibus, ſive ludis equeſtri-

ſtribus 935, vel 936. ſalutis anno celebratis, nullus dubito, præ multis alijs titulo comitis Imperialis decoravit. Quorum intuitu Boleslaus Pius dictus II, Boëmiæ Dux, ordine XIII, non dubitavit ſororem ſuam Strzezyslavam Slavniko Lybicenſi Dynaſtæ matrimonio copulare.

4. Majus quidpiam Coſmas autor vetuſtiſſimus (l) pronuntiat, *cùm inſignem ducem nominat* : Anonymus verò (*m*) *longè lateq; jura dantem, adeoq; Henrico regi accedentem proximum nepotem, virum magnum & præpotentem : cujus ſubſtantia integra, poſſeſſio diffuſa.* utpote quem in diſtrictu Pilznenſi, amnes Surinam inter & Myſam ad caſtrum Oſſek, Oſſecæ colli tunc ſuperſtructum, occidentalis limes tenuit : ad orientem Moraviam verſùs, in Chrudimenſi diſtrictu, Lytomislium uſque, & alluentem Svitavam : ex parte Auſtrali juxta Bechinenſis diſtrictûs fines, contra Tevtonicos orien-

(*l*) *ad annum 981. Goldaſtus lib:3. cap:2. pag:272. Roſenbergios, Principes nominat.* (*m*) *Aony: Sury. c.1.*

orientales, ad confinia Cheinow, Daublebium & Netoliǖtz, ejuſque ſylvam mediam: ad ſeptentrionalem verò plagam, Sileſiæ conterminam, Glacium uſque & Niſſæ fluvium, ampliſſimis ditionibus, mediâ prope Boëmiæ Regni parte, longè lateque ſuâ potentiâ circumſcripſit (*n*). Centrum peripheriæ hujus Lybitium fuit, majorum Slavnici ſedes, ad Auſtrum circumfluente Czydlinâ ad Boream & ortum, vallo profundo & aggere, ad occidentem caſtro Lybecz, adverſùs hoſtium occurſus pro eo ſæculo ſatis firmum præſidium: de quo infra fuſiùs attingemus. Tam amplis terræ Boëmicæ tractibus potentia Vitkovæorum Lybicenſium comitum dominata fuiſſe creditur. eo ſcilicet egebat circino Slavnici virtus, & animus illuſtriſſimus, quòd niſi potiori regni parte aliter concludi non poſſet.

5. In uno regno tantarum ditionum amplitudinem uni Slavnico contigiſſe,

(*n*) *De hoc Principatu vide apud Coſmam. anno 981. Hagekum. fol: 91. pag: B. initio Paproczky de Baronibus p: 12. Bonfinium. Decade 2, l: 1. Drouſſovium. c. 1.*

non ſatis admirari, nec ad credendum in-duci poſſunt Chorographi, Boëmicæque regionis periti: autores tamen Coſmas, Hagek, Bonfinius, & alij: fidei locum facere poſſunt: ſi cum Henrico Imperatore cognatio, Boleslai Sævi Boëmiæ principis affinitas, in mentem veniant. Illo præterea ſæculo, terminis longè amplioribus quàm hodie Boëmiæ principatum, utpote Moraviâ, Sileſiâ, Luſatâ ſuperiori, & inferiori, nec non alijs vicinijs, inter quas Miſnia, circumjacentibus patuiſſe, certum eſt. Vetuſtiſſima M: S: Boëmorum hiſtoria, patrijs verſibus ante 300. annos ſcripta, Dalymili Mezricenſis (o), Canonici Boleslavienſis, docet expreſsè, ab una tantùm parte orientem verſus, â Lybitio intellige, Svitavam uſque, ad ipſos Moraviæ limites, totum eum tractum Lybicenſibus comitibus ſubjectum. Pluſquàm tredecim milliarium Germanicorum diſtantiam hanc Chorographi metiuntur: & ipſa tabula geographica, quàm eo fine inſertam habes, ad oculum de-

(o) *In exemplari MS. capite 35. in impreſſo cap: 32.*



NOTARUM EXplicatio
Ciuitas
Oppidum
Pagus
Arx
Caſtellum
Monaſterium
Slawici Comitis de Lybietz ditiones
Per Boemiam memoriæ S: Adalberti.
TABULA GEOGRAPHIca Incliti
BOEMIÆ REGNI
in ſuas partes et diſtrictus diuiſa, et ad honorem S. Adalberti nouiter edita. Salutis An: 1667
Sumptibus Nobilium et Gener: D.D
LUSATIÆ PARS
MISNIÆ PARS
SILESIÆ PARS
COMITATUS GLACENSIS
MORAVIÆ PARS
AUSTRIÆ PARS
BAVARIÆ PARS
PRAGA
Scala Miliarium

demonſtrat. Si verò ab eodem Lybitio, Glacium ad ſeptentrionem, atque iterum ad Daublebium & Netolitz ad Auſtrum, rurſus Netolitio ad Oſſek, verſûs occidentem obvia quæque, juxta ſenſum Hagecij *(p)*. comprehendas, longè majoribus intervallis Roſenſium regulorum, ut ſic dicam, principatum duffuſum fateberis.

6. Verùm quid beatiſſimi comitis modeſtiam falſis adornare titulis contendimus? quem nec cognatio Cæſaris talem facere, neque Boëmiæ ducis majeſtas talem eſſe, potuit permiſiſſe. Conſtat ex domeſticis hiſtorijs, Boëmiæ ducatum, quàquà hodieque Herciniâ cingitur, in plures principatus diviſum fuiſſe: Pragenſi ſeu Wiſſegradenſi, Boleslavienſi, Caurimenſi, Bilinenſi, Lucenſiq; ſeu Ziatecenſi *(pp)* principibus paruiſſe. Ubi præterea cæterorum comitum Bſo-

 viorum

(p) *Fol: 91. pag: 2. initio.* (pp) *Lucenſem ferè Pragenſi parem fuiſſe, bella oſtendunt, inter hos Principes habita. videri etiam poteſt Veleslavina. 6. Idus. Maij, ſeu 10. Maij. pag: 254. & Lupacius. 8. Maij. V. Stransky. de Repb: Boëm: cap. 2. initio.*

viorum ſcilicet ſeu Mielnicenſium, Wrſſoviciorum, Stroſſiorum, Kaunitiorum, Swichoviciorum â Przemislio deſcendentium & ſimilium? quos adſtruit Balbinus in Guttenſtein, pag: 1. in fine. ubi multorum regni procerum? ubi Equitum & nobilium quàm plurimæ familiæ, tunc florentiſſimæ? quas omnes & ſingulas pro ratione ſtatûs, ditiones debitas, arces, oppida, pagos, villas habuiſſe, negare non poſſumus. Idcirco licet probatiſſimorum ſcriptorum teſtimonio contraire ſit graviſſimum, manu tamen hìc aliquâ opus exiſtimaverim Oſſekam, Netolitium, Daublebium, Cheinow, Lytomislium & Glacium, Lybicenſis comitatûs, non limites, vel tanquàm longè latéque diffuſi principatûs terminos, ſed velut ad reſidentialem ſedem alias atque alias, & per varios diſtrictus ſparſas (quod in dominijs Boëmiæ comitum & Baronum hodieque conſpicitur) fuiſſe ditiones acceſſorias, nec tamen cum Lybicenſi ſede Slavnici poſteris perenniter durantes: quandoquidem poſt fugam Poray, cædem

dem quinque fratrum, & Slavnici comitis obitum, omnes hæ ditiones ad alios tranſierunt.

7. Nomen ſaltem hujus familiæ, diutiùs quàm Lybitium ſtetit, quia Poraijani poſteri, è Polonia in Boëmiam reverſi, etiam ad annum uſque 1220, Vitigonum, Vitkonum, & Vitkovæorum nomen conſervârunt *(q)*. Primo enim illo & ſecundo inchoante poſt milleſimum annum Chriſtí ſæculo, uti Paprocius oſtendit, *(r)* Boëmiæ proceres, non â ditionibus quas tenebant, ſed ab officijs aulæ principis, quibus præerant: vel â gentilitio majorum vocabulo, plerumq; nominum ſuorum differentias ſubſcribere morem habuerunt. Neque operæ pretium fuit, per exiguam adhuc, & quaſi de novo reſurgentem Roſenſium Vitkovæorum familiam, tot nominum differentijs circumſcribi: quæ primùm ſub annum 1126. *(s)* â prælio Uladislaum I. inter & Sobieslaum fratres commiſſo, ob he-

(q) *Paproczky de Baronibus pag: 36.* (r) *Idem ibidem.* (s) *Cuthenus pag: 75. in fine ponit annum 1110.*

heroica facinora gloriosè audire cæpit. Tunc & deinceps, viribus & opibus auctior, novis titulis ac nominibus diſcerni voluit. Exinde teſte Balbino (t) Strazij Novodomenſes, Roſenbergici, circa annum 1200, Landſteinij ſub annum 1230. de Chauſtnik poſt annum 1260. Welharticij Sezymæi, & Przibienicij poſt annum 1300, ab arcibus & ditionibus ſuis, quaſi proprijs deſumptis agnominibus dici, ſcribique voluerunt. Porrò quòd ab arcibus & ſedibus ſuis appellati ſint vulgò, ſtirpis unius propagatio in plures propagines, cauſam præbuit: cùm enim familiam prolibus auxiſſent, & omnes uno nomine dicerentur, populus, ut diſcrimen ſingulorum faceret, notas addere cæpit: ad id verò ſingulorum arces, & ſedes aptiſſimæ ſunt viſæ. Idcirco Roſenbergicos alios de Landſtein, alios de novo caſtro ſeu Novadomo, de Straz, de Auſti, de Crumlow, â totidem arcibus & ditionibus, licet ab origine una deſcendiſſent, legimus appellatos. Idem de Bercis Haſmbur-

(t) *Balbinus in MS. adminiculis.*

burgicis Sschelembergijs, Roſmithalenſibus, Kaunicijs, Martinicijs, Stoſſijs, Talembergicis, & multis alijs obſervabis, in Paprocij tum ſtemmatographia Boëmica, tum etiam in ſpeculo Moravico: & apud Balbinum Guttenſtein, familiæ. pag: 3. & ibidem pag: 87.

8. Eam nominum varietatem, etiam armorum & inſignium diverſitas longè anteceſſit, atque ita quàm ab origine, Slavnik Lybicenſis comes, Poray ejuſdem filius, dein etiam Vitigo quiſpiam & Landſteiniani Roſenſes (*u*), albam roſam in campo rubeo conſtanter tenuerunt; Vitkones de nova domo (w) auream in campo cœruleo, Sezimæj verò de Auſt, & DD: de Straze cæruleam in rubro variârunt (*x*). Confirmat idipſum Paprocius (*y*) cùm dicit: *ex priſcis igitur hiſtorijs & privilegijs verè demonſtratur, quòd Vitkovæi de Chauſtnik, de Roſenberg*

 & de

(*u*) *Paproczky in Baronibus pag: 12. lin: 7. pag: 13. lin: 14. pag: 56. ante finem Chavowsky in Veſtig: pag: 181. Balbinus paſſim.* (w) *Paproczky loc: cit: pag: 50. clarius Balbinus. in Guttenſt: pag: 49. ante finem.* (*x*) *Paproczky de Baron: pag: 36. cap: 3.* (*y*) *Ibidem. pag: 14.*

& de Nova-Domo , ab iÿsdem omnes majoribus deſcenderint, & iÿsdem armis cum dominis de Landſtein, de Straze, de Auſtiâ caſcis temporibus in eum planè modum uſi fuerint, ſolùm coloribus , addo ego numero roſarum & ſitu , *inter ſe differentes.* Balbinus in inſignibus familiæ Guttenſteinianæ *(z)* id ipſiſſimum oſtendit: ubi de Roſenbergicis quoque noſtris ad verbum, ita: *apertiſſimè id conſtat ex inſignibus Altovadenſis cænobiÿ, quòd â Roſenbergenſibus conditum eſſe nemo dubitat: & tamen quanta inter roſas diverſitas? nihil ſimile eſſe videtur, figura ipſa roſarum numero, campo, aliÿsq; adjunctis â fundatoris* D.Wok de roſis *clypeo diſcordant.* Trebonæ Roſenſium inſignia , lapidibus & columnis inſculpta , differunt clariſſimè ab illis quæ Crumlovienſibus armis inciſa, in ipſo templi tholo & fornice S: Viti Crumlovienſis Eccleſiæ hodieque conſpiciuntur. Jodoci, Petri, Joannis, Henrici , Roſenbergenſium fratrum ea arma ſunt : inter arma tamen fraterna nullam

(z) *In Famil: Guttenſteiniana pag: 30. ſub initio.*

lam ſimilitudinem eſſe, lapides ipſi clamant, oſtendunt. Alij roſam unam, duas alij, vel alio modo poſitas eâ diverſitate præferunt, quòd niſi ex varijs monumentis certum haberemus, arma germanorum fratrum fuiſſe in dubium vocari poſſet. aliam hujus differentiæ cauſam non reperies, præter quòd Vitek quiſcunque ille tandem Roſenbergicus, multarum ditionum dominus, eam, ut ſic dicam, accidentalem inſignium varietatem filijs & poſteris â ſe deſcendentibus relictam voluerit. Wenceslaus Brzezan *(a)* ante annum 1100. Vitigonem quendam expreſsè nominat, & hunc ſuis quinque filijs roſas coloribus diſtinctas, Henrico quippe auream, Wilhelmo candidam, Smiloni cæruleam, Wokoni rubram, Sezymæ nigram diſtribuiſſe clarè teſtatur. primitus autem omnibus Vitkovæis una fuit: albam aliqui ſcriptores, alij rubram fuiſſe autumant.

9. Hagecius princeps hiſtoriæ Boëmi-

(a) In MS. Roſenſium hiſtoria apud Balbini Guttenſt: p: 39. Huc pulchre Stransky. c: 2. pag: 57. in fine.

micæ (*b*), Slavnici comitis inſignia, in vexillo ejuſdem per S: Woytiechi revelationem reperto, ſic depinxit: in aureo clypeo, lineas nigras, in quarum medio, linea candida latiſſima tres roſas rubeas continebat. Simile quid apud noſtrum S: Adalbertum Majorem Neo-Pragæ ſub Zderaz: priùſquàm ſumma ara S: Adalberti, ejuſdem Eccleſiæ novo opere conſtructa, ſalutis anno 1659. erecta fuiſſet, vetus altare per centum ſeptuaginta octo annos, adhuc ante tempora Hagecij in hoc ſacro loco ſteterat: ejus inſcriptio in limbo ſupremo imaginis mediaſtinæ literis aureis exarata, ſic legit: *A: D: 1483, ob amorem Ieſu Chriſti, hoc opus levatum eſt per* D: *Ioannem Medulan, ſuâ magnâ diligentiâ; ſacerdote Iacobo de Praga*, parocho tunc exiſtente (*c*) ſubintelligas. Valvarum altera (ſic enim pleraque vetuſtiora altaria, quaſi ad unum modum facta,

(*b*) *Fol: 170. ſub initio.* (*c*) *Hanc Eccleſiam, jam anno 1415. Parochialem fuiſſe, probat Hagecius. fol:371. pag: B lin:7. imò centum annis ante, 1360. ſtetiſſe, ex ſecundo tomo in libris Erectionum, ipſe notavi. igitur ante hæreſim, idem reperi, de Eccleſia S: Michaelis in Oppatovicz.*

ɛta, paſſim per Boëmiam videmus) quibus imago altaris media tanquàm alis quibuſdam velari, aut pandi ſolita, dextram habuit, in hac effigies ejuſdem Eccleſiæ patroni S: Adalberti epiſcopalem ornatum induti præſentatur. Sub patroni pedibus ad eum planè modum quo Hagecius præſcribit, inſignia Lybicenſium comitum depicta ſunt; in flavo clypeo, quatuor lineæ cæruleæ, & in medio candida latiſſima diſtinctim â ſummo dextri lateris ad imum ſiniſtri tranſverſaliter decurrentes: in media (quæ latiſſima & candida) tres roſæ rubeæ, ſingulæ foliorum ſex *(d)*, & in medio calice cujusvis roſæ, lutei apices conſpiciuntur: in hoc ſolùm differt Hagecius, quòd pro cæruleis tractibus nigros conſtituat.

10. Paprocius ſimiliter *(e)* dicit: ex eadem nobilitate, quæ cum Czecho & Lecho ducibus in has partes Boëmiæ de Croatia venerat, Lybicenſes comites rubram

(d) *Olim Roſa Vitkovaorum, an pentaphylla, vel plena fuerit, parum refert: Vide Balbinum in Guttenſtein, Fam: pag: 7. in fine. & pag: 30. initio.* (e) *De Baronibus. pag: 9.*

bram roſam in albo campo primos huc intuliſſe: verùm ſibi ipſi non conſtat. pro alba tamen roſa firmior, quemadmodùm in hoc capite §. 8 ſub lit: u. oſtendi: & illa ſententia mihi probabilior. Si honores & (*ee*) dignitates, connubia, inſignesꝗ opes, cæteraque tantorum heroum decora Illuſtriſſimæ domûs Roſenbergicæ propiùs inſpicere ſatagis, Hagecium, Paproczky, Balbinum, & aliorum ſcriptorum monumenta revolve. nos ad Slavnici comitis matrimonium, unde tam felicis conjugij fructum, S: Woytiechum noſtrum tandem videamus, gradum facimusꝗ.

11. Slavnik Lybicenſis comes, Vitigonum aut Vitkovæorum gloriæ filiusꝗ & hæres, quomodo Illuſtriſſimorum majorum amplitudini reſponderet, & ſibi quaſi per manus traditam dignitatem conſervaret, aut etiam augeret, impensè ſolicitus; conſortem vitæ proſapiæ ſuæ condignam ducere, animo adjecit. Wratis-

(*ee*) *Videatur. Balbini Guttenſteiniana. Fam:pag:27. & Veleslavi:pag:263. in fine.*

tiſlaus tunc Boëmiæ Dux præter S: Wenceſlaum & Boleſlaum Sævum, duas filias ex Drahomira Brzoſlai de Lutitz filia ſuſcepit; Przybislavam ſanctam virginem, etiam in vivis (*f*) miraculis coruſcantem, alicui principum nuptui dedit: Strzezyslavam autem, tam â dotibus corporis quàm virtutibus Illuſtrem (*g*), Slavnik ſibi matrimonio junxit. teſte Sylveſtro papa ejus nominis II. (*h*), *ſanctam moribus, ſanctam ſermonibus, fortem in jejuniis, familiarem Deo in orationibus, matrem lugentium pupillorum, peregrinis & viduis gratiſſimam ſororem*: per omnia ſancti fratris & martyris ita ſimilem, ita Wenceſlai virtutum lineamentis expreſſam; quòd germanam & quaſi alteram Wenceſlai animam fuiſſe, negare non poſſis: conjugem verè principem.

Qualem blanda Venus daretq; Iuno,

For-

(*f*) *Hagek. fol: 78. B. initio.* (*g*) *Idem fol: 84. pag: B. initio. aliam adhuc Strzezyslavam, Mnata Principis conjugem memorat Stransky: cap. 9. §. 4. pag: 378.* (*h*) *In vita. S: Adalberti. cap: 2. & alij.*

Formâ, ſimplicitate, comitate,
Cenſu, ſanguine, gratiâ, decore. (*i*)

Digna igitur conjunx digno juncta marito, ex qua vel affinitati sereniſſimæ condignam, vel familiæ Roſenſi debitam prolem Slavnikus excitaret; Et verò proſperante Numine, mater ex conjugio facta, felici utero fœcunda parens: octo viro comites, ſex Deo martyres eſt enixa, præter beatos viros & martyres parturire neſcia.

12. Illud ſpeciale quod nuſpiam alibi reperi: Dalymilus Mezrycenſis (*k*) adſerit, S. Woytiechum Zluczenſi ſeu Caurimenſi duci conſobrinum fuiſſe: unde neceſſariò S: Woytiechum ex una, & Zluczenſem principem ex altera ſorore prognatos, credendum erit. Authoritas Balbini pro præſenti valde placet, cùm Przybislavam, quam (*l*) alij virginem ſcribunt, viduam fuiſſe teſtatur (*m*). verùm

(*i*) *Statius. Sylvar: lib:2 in genethl: Lucani.* (*k*) *Impreſſum exemplar. cap:32. MS: cap: 35.* (*l*) *Chanowsky in veſtig: b.p:* (*m*) *Balb: in Guttenſtein, pag: 38. in fine. huc etiam inclinare videtur Hagek. fol. 78. pag: B. initio.*

rùm idipſum laboris non nihil adfert; cui Przybislava nupſerit, indagare. Quòd ſi Annales Hagecij, maximè verò Chronologiæ ſeriem ſcrutêre diligentiùs, facilè veritas deprehendi poterit; Przybislavam non alij quàm Radyslao (Hagek Drslaum vocat) (*n*) Mſtibogi filio, qui cum S: Wenceslao in duellum deſcenderat, nubere potuiſſe. Gentilis quidem̃ tunc Radyslaus fuit: neque credibile, S: Wenceslaum ante certamen initum, ſororem ſanctiſſimam pagano & effero juveni nuptui tradidiſſe. Hoc certiſſimum, ab Hagecio (*o*) & alijs memoriæ proditum: nempe quòd Wenceslaus Pragenſis Princeps poſt victoriam de Radyslao Caurimenſi Duce per prodigium acceptam: eundem Radyslaum victum, & in genua ſuppliciter provolutum, benigniſſimè habuerit, & ita ad juſtitiam̃, pacem deinceps conſervandam adhortatus, á paganiſſimo revocatũ per baptiſmum

(*n*) *Hagek.fol:71.pag:2.* (*o*) *Hagek. loc: cit: Dubrau: lib:5. pag:35. lin:30. Sylvius.cap:15.Pont.Boë: Pia. lib.2. cap:14. Dalymilus. in exemple impreſſo: cap: 28. MS. 29. & alij.*

ſmum Chriſto lucratus eſt: primoque tunc probabiliſſimè per ſanctæ Przybislavæ germanæ ſororis oblatum connubium (quod inter principes penè innumeros quaſi æternum fœdus pacis fuiſſe diſcimus) cum affine Radyslao ſanctiſſimus dux amiciſſimè tranſegit.

13. Quòd ſi verum eſt, Hoſtivodum (p) Radyslai principis Caurimenſis, & noſtrum Woytiechum Slavnici comitis, filios, ex Przybislava & Strzezyslava ſororibus prognatos; conſobrinos inter ſe fuiſſe, dicere habemus. Eâque ratione Caurimenſes cives mirari deſinam (q), quòd Hoſtivodo domino quocunque modo tandem amiſſo: Przybislavâ quoque jam ante annos tredecim defunctâ (r): oppidum Caurzim, & ſemetipſos cum liberis Boleslao Sævo Hoſtivodi avunculo, tanquàm hæreditario domino

(p) *Hagek. anno 959. expreſsè quidem, non dicit: Hoſtivodum fuiſſe Radislai filium, ſed annorum ſeries, id quaſi oſtendit. Stransky cap. 2. pag: 23. in fine, dicit expreſſe Hoſtivodum Drslai filium fuiſſe.* (q) *Hagek: fol: 81. pag: B. medio. Dubravius. lib: 5. pag: 36. lin: 35.* (r) *Przybislava nata 910, mortua fuit 945. habuit annos ætatis 36. Vide Hagecium.*

Hoſtivodus Boë-miæ Princ:)(Miloslava Hraboslai de Duorecz filia.

Borzivoius I. Chriſti Princ:)(S: Ludomilla Slavibori Mielnicens: Com: filia.

Slaviborus Comes de Mielnik.)(Lydoslava. Liberi.

Hauſek Comes de Mielnik ex quo Comites Guttenſteinij.

Wratislaus Boë-miæ Princ:)(Drahomira Brzoslai de Luticz filia.

S. Wenceslaus Boëm: Dux cælebs Martyr. | Boleslaus Sævus dictus.)(Brzena vel Boziena Brzoslai de Luticz Filia.

Przybislava vidua.

Strzezyslava)(Slavnici Roſeſis comitis de Lybicz. conjunx.

Filij Slavnici.
1. Poray. natu maxim:
2. Sobieborus.
3. Spitimirus.
4. Bohuslaus.
5. Borzek.
6 Czaslaus.
7. S. Woyciech9. Frat: Marty:
8. B. Gaudentius.

Daubravka Mieczislai, I. Poloniæ Regis conjunx.

B. Milada. vel Maria adS. Georgium. Abbatiſſa I.

Boleslaus II. Pius Dictus Boë: Princ:

Strachiquas Ratisbonenſis Religioſus ad D. Emerammū.

Christann9 de Scala Benedictinus Mona: in Brzevniow.

no A:C: 959. ultro in poteſtatem dederint. Varios comitum Lybicenſium cum Pragenſi, Caurimenſi, principibus, nec non cum comitibus de Mielnik affinitatis & cognationis gradus hoc breviuſculo paradigmate ab oculos ponere, utile videbatur: vide amice lector, & lege: & in brevi ſchemate tot ſanctos & ſanctas Dei venerare.

CAPVT III.

Woytiechi nativitas, & anni pueriles.

I. AB his tam ſactis & magnis, utrinq; poſtea major filius CMXXXIX. ſalutis anno, Leonis VII. ultimo, vel Stephani IX. dicti VII, ſedis primo (*a*): Ottonis ejus nominis I, Germaniæ Regis (*b*) regni IV. Boleslai Sævi poſt perpetratum fratricidium (*c*) decimo. Woytie-

(a) Bullarium, Gordonus. Baronius. Calviſus & alij. (b) Vide citationes. capitis primi, ſub primis literis citatis. (b)

(c) Coſmas, Hagek, Lupacius, Cuthenus, Veleslavina, & alij, qui mortem S. VVenceslai referunt ad annum. 929.

tiechus probababiliter naſcitur. Hic difficultatis cardinē quo cœlum Adalberti totum volvitur, agitari vides, nec aſtrologus quiſpiam oſtendi poteſt, qui magni hujus ſyderis ortum indigitet, nox confuſa & cæca, in qua nihil Argus aut vix cernat. Annos nativitatis & quicquid adoleſcentiæ, vel juventutis ad infulas uſq; proceſſit, in calculum reducere impoſſibile, exiſtimem; nullo has ex veteribus, quàm neotericis ſalebras præeunte. Non id Woytiecho ſoli contigit: Sanctorum quam plurimi nec ortum, nec mortem, poſteris notam reliquerunt. Quid ipſius Chriſti nativitas? apud graviſſimos etiam autores quàm dubia? in quo creati mundi ſæculo, Cæſaris Auguſti, Regis Herodis imperij: vel quo Beatiſſimæ *(d)* Virginis ætatis anno, Servator noſter, natus, inter hiſtoricos & SS: PP: quanta varietas? annos, menſes, dies, & horas, pro hac nativitate quaſi pugnantes crederes (*e*): non abſimiliter pro magnæ

 Dei

(d) *Ioan: Poza. Soc: Ieſu. in Elucidario B. M. V. lib: 1. tract: 1.* (e) *Seb: Barradius Concor: Evangel: tom: 1. l: 8. cap: 9. 10. 11.*

Dei matris natalibus (*f*). Commune iſtud humani generis fatum eſt, ut non modò corpus mortale feramus, ſed pleraque mortalium facta mortalia ſint, etiam Sanctiſſimorum, quos quia Deus in terris pulveri inſcriptos noluit, tabulis æternitatis inſertos reſervavit, omnibus deinceps æternitatibus memorandos.

2. Si tamen in tenebris (quòd humanæ hiſtoricæque veritati non derogat) ſuſpicari liceat, annum 939. natalibus divi præſulis Adalberti tribuendum eſſe, probabilitas aliqua faciet. Juxta ſacros canones inter tria dignitatis Epiſcopalis neceſſaria, *ætatis maturitas*, ſemper ab Eccleſia requiſita, etiam hodieque deſideratur: quàm completum trigeſimum ætatis annum facere, juxta ſacras Eccleſiæ leges certum habemus (*g*). Ita concilium

(f) Ioan: Poza loc: cit: tractat: 2. 3. 4. fusè. *(g) Ita communiter: præſertim Gutierez cano: qq. lib: 1. cap: 26. numer: 39. Leſſius de Iuſt: & jure: lib: 2. cap: 34. num: 107. Monochius de arbitr: jud: caſu 427. num: 24. Fillivcius. tom: 3. tract. 41. cap: 5. numer: 32. Barboſa in collectan: ad Conc: Trid: mihi pag: 52. numer: 5. Aſcan: Tamburino Vallumbr: de jure Abbatum diſputat: 5. quæſtio: 9. numer: 2. 8.*

cilium Neocæſarienſe can: 11. juxta Baronium A: D: 314. celebratum: *preſbyter* inquit (idem intelligendum de Epiſcopis) *ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quàmvis ſit probabilis vitæ.* Gratianus in decreto (*h*): *nemo presbyter ordinetur, qui minor triginta annis ætatis ſit.* clariùs concilium Arelatenſe III. cap: 1. A: D: 453. habitum. *Epiſcopatûs vel presbyterij honorem nullus laicus ante præmiſſam anni converſionem, vel ante triginta annos ætatis accipiat.* Annis poſtea ſuccedentibus ætas ad ordinationem ſacerdotum requiſita, licet in Epiſcopis huc uſque permanſerit, tamen in presbyteris imminuta fuit. patet ex epiſtola Zachariæ Papæ ad Bonifacium (*i*). *inquisiſti etiam & hoc, ſi ante triceſimum annum liceat ſacerdotem ordinari? bonum & congruum chariſſime frater, ſi fieri, & invenire poteſt, ut provectæ ætatis, & boni viri teſtimonij, juxta ſacrorum canonum inſtitu-*

(*h*) *Diſtinct: 78. & habetur apud Iuſtini: in colla: 9. Authent: de SS. Epp. § Clericus.* (*i*) *Epiſt: ad Bonifac: Epiſc: incipit: Benedictus Deus Pater Domini, &c. Trident: ſeſſ: 23. c. 12.*

ſtituta ordinentur. Quidquid igitur de ſacerdotibus actum ſit, ſaltem in Epiſcopis triceſimus annus (*k*) inchoatus, jure Eccleſiaſtico requiſitus ſemper fuit. ita Laym: (*l*)

3. Communis autem hiſtoricorum ſenſus eſt A: C: CMLXIX, Woytiechum Epiſcopum confirmatum & ordinatum fuiſſe: natus itaque fuerit 939. id ſic oſtendo. Plures hiſtorici dicunt Woytiechum Philoſophum novem annos integros (Coſmas & Hagek decennium & plus) in Magdeburgico ſtudio conſumpſiſſe. Joan: Olom: (*m*) etiam expreſsè notat: quòd Slavnik comes *filium ſuum Woytiechum egregiâ indole juvenem, quem in aulam Cæſaris Ottonis mittere deſtinaverat, mutatâ ſententiâ Magdeburgum miſit.* Vide ſis egregiam indolem? non pueritiam, non adoleſcentiam, ſed (ut ad curam & deſtinationem optimam Illuſtriſſimi parentis accedam) aulis

(k) *Laym: Theol: Moral: lib: 5. tract: 9. cap: 7. numer: 1.* (l) *lib: 5. tract: 9. cap: 7. Bonac: diſp: 8. quæſt: 1. Filliuc: tract: 9. cap: 4. Diana part: 3. tract: 4. & alij.* (m) *Dubr: lib: 6. initio Borek in Boleslao Pio. vide priora.*



Quaſi roſa plantata iuxta riuos aquarum.
Eccleſiaſtici cap: 39. V. 17.

lis & ſervitijs principum accommodam juventutem ? credibile annum vigeſimum inchoantem, ſiquidem (n) *non priùs patrium limen egreſſus fuit, quàm totum pſalterium Davidis memoriter didiciſſet*: ad quod memoriter & integrè perdiſcendum etiam felici memoriæ, quantum temporis in his parvis annis tribuere poſſis, amice lector ipſe diſcernas. ego decimum nonum, aut inchoantem vigeſimum numero, nec incongrue: demus enim Woytiechum 939 natum, ſeptennium vel decennium ad ſummum inter nutrices ſub manu paternâ primis & patrijs elementis puer impendit. ſcilicet ad annum 949. poſtea latinis rudimentis & Grammaticæ, ſacris hymnis & pſalterio Davidis, apud presbyteros per novennium inſtructus, ætatis decimum nonum & Chriſti 958. annum ſuperavit. Magdeburgum tandem profectus, novennium vel decennium Philoſophiam & Theologi-

(n) *Sylveſter Pp: cap: 5. Drauſſov: cap: 2. in fine. dicit expreſsè: trigeſimo ætatis exacto, demum rediiſſe, factumq; Prag: Epiſcopum.*

logiam ibidem edoctus, ſubdiaconus etiam creatus, ætatis vigeſimo nono, ſalutis 968. Pragam redijt. hic â Dithmaro Diaconus & presbyter inſtitutus in fine anni, paulò pòſt 969. 2. Januar: defuncto Pontifice, per Boleslaum Pium Boëmiæ Ducem 19. Febr: electus, 11, Junij Veronæ per Willigiſum Archiepiſcopum, conſecratus, Pragenſem ſedem ætatis trigeſimo novus Epiſcopus regendam ſuſcepit.

4. Nonnulli tamen ſunt, qui nimis juvenem Woytiechum ad Epiſcopale munus promotum ſentiunt. Sylveſter Papa (*o*) Magdeburgi Adalberto Archiepiſcopo commorantem, *Deo plenum infantulum*, Anonymus Surij (*p*) Magdeburgo reducem *vacantem puerilibus jocis*, Ribadeneira (*q*) *vernantis ævi juvenculum, omnibus ludicris & illecebris genioq; deditum* appellant. Coſmas (*r*) Woytiechum inquit, *juvenem nimis reverenter*

(o) *Sylveſter. Pp: cap: 5.* (p) *In ejus vita. apud Sur: 23. April: in ejus vita. apud Sur: 23. April: cap: 5.* (q) *In Vitis SS. part: 2. 23. April:* (r) *lib: 1: ad annum. 969. huc etiam Hagecius. hic.*

ter rapiunt. nervum hic aliquem credideram, ſed nevus eſt: Hanovienſis editio mille erroribus obnoxia, in præſenti quoque peccatum habet. *nimis* inquit: iſtud *nimis* quo referam neſcio: ad ætatem? *juvenem nimis?* hoc neque ipſa præſulatûs dignitas, neque ſacri canones admittunt: *nimis reverenter raptum?* iſtud credo; juvenculum enim ephæbiam vix excedentem, â nucibus & puerilibus jocis totius Cleri populique unanimi conſenſu, ad inſulas & regimen Apoſtolicum ad actum quis credat. Joannes XII. Romanæ ſedis Epiſcopus, nihil ad ſanctum noſtrum: is Alberici Romanæ urbis Principis filius, decimum octavum ætatis annum agens, pontificiam ſedem accepit: tunc ſcilicet, quando (*s*) *ingens perturbatio Eccleſiam Romæ invaſit*: ille quoque per factioſos homines ſupremum Eccleſiæ culmen illegitimè puer aſcendit. Ob quod ab Ottone Magno de Eccleſia optimè merito Principe, cùm ſediſſet jam annum octavum, & numeraret ætatis vigeſi-

(*s*) *Baron: ad anuum 955. n:2*

geſimum ſeptimum, puer appellatus eſt. Fors Otto Rex antiquo more Varronem ſecutus (*t*), & illum priſcum, minùs propriè loquendi modum: quo ſimiliter vetuſti ſcriptores, Sylveſter, Anonymus, & Coſmas reduci poſſunt. Nos Hypocratem quàm Varronem ſequi malumus: ac juxta ſacros canones & Jurisconſultos, (*u*) mentis potiùs & judicij, quàm corporis aut incrementi rationem, ætatem juſtam, legitimam ac perfectam in ſancto Præſule deſideramus: id ratio, dignitas officij, & illius temporis Boëmorum primitiva Religio nobiſcum expoſtulant: atque ita beatum noſtrum Epiſcopum ſalutis anno 939. natum, piè credere perſvadent. Olim futurum eſt, cùm Sanctum Dei facie ad faciem intueri licebit, humanos errores feliciùs videbimus, ridebimus.

5. *Igitur cùm de tam nobili conjugio ſan-*

(*t*) *Apud Cenſorinum lib: de die Nativit: cap:14. V. em. Sypontinum Perott: mihi pag: 413. lin: 60.* (*u*) *Schardius in lexico Iur: Cenſor: cit: Vlpian: in lib: 1. ff. de minor: l: 5. §. lex Iulia ff. de adult. lib: 2. §. 1. de vacat. mun: l: ult: C. de his qui veniam ætatis.*

ſancta proles meritò nata fuiſſet (Sylveſtri Papæ verba ſunt) (w), *inter cæteros magnanimos juvenes quos procreaverant, natus eſt illis puer ſpecioſior cunctis, cui pòſt in ſancti baptiſmatis lavacro datum eſt nomen Woytiech: qui quantus eſſet futurus cùm ignoratum fuiſſet*, ob ſingularem ſpeciem, generoſæque indolis præſentiam, præ cæteris fratrum, ſæculo, & honorum titulis unicè ſervabatur. Buczko de Popowitz (x), ejus formæ elegantiam ſic deſcripſit: *legitur de ipſo quod dum eſſet infantulus, tantæ erat pulchritudinis, quòd pater & mater magnos amicos per matrimonium mediante ipſo acquirere cogitabant.* Verùm ſecus agente Numine, præter opinionem filius tenerrimè dilectus, *adhuc lactens* (y) in graviſſimam febrim (z) incidit, præmaturè ſuccreſcens: (a) ventre etiam ſupra corpuſculi exi-

(w) *In vita. cap. 3.* (x) *MS. in ejus vita. habetur in Metrópol- S. Viti. M S. Biblioth.* (y) *Anony: Sury. cap: 2. Pontanus in Orat. S. Adalbert. Ribadene.* (z) *Anony. cap: 2. Sylveſt: cap. 4. Brevian: Polon: in ipſo feſto noct: 2. lect: 1. Bonf: dec: 2. lib. 2.* (a) *Sylveſter Ppæ cap: 4.*

li exigentiam (*b*) tumidus (timpanitis hic morbus fuiſſe creditur â Medicis) novis ac novis dolorum incrementis mortem operiebatur, non amplius herbarum ulla virtus, non mediciorum ſolers induſtria, non denique ab humanis quæſita conſilia valuerunt: pia profuit parentum lacryma. *Confugiunt (c) ad pium & miſericordem dominum, & quæ humanæ neceſſitati plus omnibus ſanctis ſuccurrere ſolet, matrem domini glorioſam Mariam appellant.* ſupplices ad Eccleſiam Divæ Virgini ſacram in Lybicz oppidum ex caſtro Lybecz moribundum deferunt, *ponuntq; (d) ſub altare Virginis;* opem divinæ manûs interpellant, vota nuncupant: & Woytiechum ex toto ſuum, integrè abrenuntiant: quòd ſi ſalvus & incoluminis ſervari poſſit, *ut jugum Chri-*

(b) Idem ibid: Drauſſov: cap. 1. VVugecius, Bohemicè translatus, in vita. S. Adalbert: (c) Idem Sylveſt: cap. 4. Lippeloo in ejus vita. 23. April: Anony: Surij & alij communiter. [d] Lect: propria Brevi: Boem: in feſto Anony: cap. 2. Pontanus in Orat. de S. Adalbert: Ribadeneira cit: ſed Sylveſt: Pp cap. 4. Drauſſov: cap: 4. & Vita MM. SS. dua dicunt ſuper altare poſitum.



Pro puero iſto oraui & dedit mihi Dominꝰ petitionem meam. 1. Reg: 1. v. 27.

Car: Screta delin: I. Caſpa: Deom sculpſit

Chriſti (e) Clericus portet, Deo Divæque conſecrant. Reſpexit vota Deus, ac urgentibus parentum precibus, mors cum dolore ceſſit; & infans Woytiechus, libata Deo victima, ſalvus evaſit, nobiliori coronæ reſervatus. Tantùm Slavnici & Strzezyslavæ preces valuerunt, quod niſi tunc oráſſent, Boëmi Apoſtolum, martyrem, ac tantum Patronum nunquàm habuiſſent.

6. Non jam ſui neque parentum juris, ſed ipſi cœlo debitus, Deo renatus puer, infantiam rudem ſupergreſſus, â matris blandimentis ſub magiſtri ferulam, â nutricibus ad ſacerdotes, â lacte denique ad ſancti timoris fercula traducitur: primiſque elementis domeſticis, pòſt etiam publicis ſcholis erudiendus *presbyterorum manibus traditur (f)*. De S: Wenceslao Duce memorijs proditum eſt, tenellum adhuc puerum Paulo presbytero (g) Wratislai principis capellano diſciplinæ fuiſſe com-

(e) *Ano: Sur: cap. 2. Ribaden: &c.* (f) *Anony: Sury: cap: 2.* (g) *Hagek. anno 911. Pont: Boëm. p. lib: 2. pag: 13. in VVratislao. Dubrav: l: 4. pag: 28.*

ſe commiſſum. Dubravius & Æneas
" Sylvius ita ſcribunt : quia verò Ludo-
" milla pietate & ſanguinis conjunctione
" nota, conſenſu parentum, cùm optio pe-
" nes illam eſſet, in Wenceslao meliorem
" indolem, & ſpem agnoſcebat, illum edu-
" candum ſibi adoptavit: aluitque deinceps
" pro ſuo, præceptorem adjungens ei Pau-
" lum presbyterum ſuum, virum opinione
" ſanctitatis celebrem. Hic puerum ali-
" quàmdiu docuit, pòſt autor fuit, ut Bude-
" cium ad Nycenum presbyterum ludi illic
" magiſtrum mitteretur, inquiens : majo-
" res ibi eum literis & diſciplinis Chriſtia-
" nis profectus facturum, inter multos con-
" diſcipulos Chriſtianos : hactenus illi.
Colligitur exinde, principum & magnatum filios ijs temporibus in domeſticis primùm ſtudijs, pòſt etiam in publicis gymnaſijs, curæ presbyterorum fuiſſe commiſſos. neque dubium eſt puerum Woytiechum, tantorum parentum filium, domi privatim â Lybicenſi presbytero primis elementis inſtructum: is autem an Radda *(h)*, vel alius aliquis presbyter fue-

(h) *De Radda. Vide in Excidio Lybicenſi.*

fuerit, non conſtat. Hoc certum quòd adhuc ſcholæ infrequentes, & rari tunc in regno, qui Boëmos literas edocerent: ſiquidem gens inculta, Idolis adhuc dedita, bellis & cædibus aſſveta, literarum ſtudia non curabat. Ea quidem Borzivojus S: Methudij Slavorum Apoſtoli conſilio Pragæ pridem conſtituit, *in quibus ſcholaſtici latinis literis diſcendis, à Boëmis priùs planè ignoratis, vacarent* (*i*). Poſt etiam Spitigneus Wratislai filius propè Pragam in Budecz oppido ſcholas *celebritate ſtudioſorum omnibus tunc antecellentes* (*k*) novas erexit. Verùm ſub tyrannide Drahomiræ, templis exuſtis, presbyteris ad mortem condemnatis, vel in exilium miſſis, literarum uſus pene interierat, niſi S: Wenceslaus, & Boleslaus Pius optimi principes, eaſdem flori priſtino reddidiſſent.

7. Aſſurgentibus deinde Canonicorum Eccleſiaſticorum collegijs, atque Religioſorum cænobijs, è tenebris quaſi

 rur-

(*i*) *Dubrau: lib. 4. pag: 26. lin: 39. Stransky cap. 6. num: 3. pag: 253.* (*k*) *Pontanus. Boëm. Pia. lib. 2. in Spitign: Dubrav. l. 2. Borek in Boleslao Pio.*

rurſus in lucem publicam ſtudia prodierunt. *Eâ namque tempeſtate* inquit Joannes Olomucenſis (*l*) *cænobitæ non minùs in erudiendis diſcipulis, quàm cæremonijs procurandis occupati fuerunt. Imò pleraq; cænobia id erant tunc, quod nunc*
" *ſunt gymnaſia.* De Clero autem ita Cu-
" reus (*m*), collegia Canonicorum olim
fuerant ſcholæ, in quibus adoleſcentia
" condiebatur in doctrina cœleſti, in bonis
" artibus, & ſimul habebat exercitia preca-
" tionum & lectionum in templis, illis col-
" legijs Epiſcopus tanquàm præcipuus re-
" ctor & inſpector, doctrinæ & diſciplinæ
" Eccleſiaſticæ præerat. ſicut circa illam
" ætatem Otto II, filius præſtantiſſimi Im-
" peratoris Ottonis I, adoleſcens didicit li-
" teras, & Eccleſiæ doctrinam in collegio
" Hildeshemenſi, & publicè unà cum ſuis
" æqualibus in templo precatus eſt, & cecinit. hucuſque Cureus: qui licet ad Saxonum mores reſpexerit, de Boëmis quoqne intelligendus eſt: quia primus Religionis

(*l*) *Dubrau: l. 6. pag: 39. Vide etiam Arneſtum Balb: p. 18.*
(*m*) *In Annalibus Sileſiæ.*

nis & pietatis uſus in Boëmia, per Henricum & Ottonem Magnum Henrici filium Germaniæ reges, per Germaniæ Archipræſules, tum etiam per Saxones natos, Pragenſes Epiſcopos ad nos derivatus, tanquàm â magiſtris, fidei & diſciplinæ normam accepit (*n*). Saxonibus igitur & Boëmis in erudiendis pueris & adoleſcentibus modus unus fuit. De literis domeſticis pueri Woytiechi dictum ſatis: publicum ſtudium innoteſcat.

8. Bartholdus Pontanus â Braitenberg Metropolitanæ S: Pragenſis Eccleſiæ Præpoſitus, MS: Metropolitanæ bibliothecæ lector ſedulus, breviter aliquid pro præſenti quæſtione ſubminiſtrat: *Spitigneus*, inquit, *in oppido Budecz ludum literarium aperuit, celebritate ſtudioſorum omnibus tunc antecellentem*: præter Pragenſes igitur & Budecenſes ſcholas, plures publicas fuiſſe ſequi neceſſe eſt. præ cæteris omnibus quas hiſtoriæ ſilentio prætereunt, ego Vetero Boleslavienſes

 in-

(*n*) *Vide quoq; Balb: Guttenſtein, Fam: pag: 3. ſub initio.*



Puer autem creſcebat, & confortabatur plenꝰ ſapientiâ; & gratia Dei erat in illo.

Lucæ Cap. x. V. 40

intellego, quoniam Wratiſlaus Boëmiæ Dux anno CMXV *(o)*, inſtinctu Numinis in honorem S: Cyrilli & Methudij Eccleſiam extruxit: & illi loco, â Boleslao juniore filio Bolesſaviæ nomen indidit. Primos autem Eccleſiæ presbyteros, Bohuslaum Præpoſitum, Decanum Wſſemilum, & Canonicos duos, omnibus honeſtam ſuſtentationem in temporalibus proſpiciens, ibidem inſtituit: & in perpetuum illis ac eorum poſteris, Eccleſiam tenendam ſanxit. quòd autem ſcholas ibidem inſtitutas voluerit, Cureus, Pontanus â Braitenberg: & ſubſequens Anonymi congruentia fidem impetrant. Ad hoc deinde Canonicorum collegium Slavnik Lybicenſis comes octennem, ad ſummum decennem puerum *(p)* Woytiechum filium, ad humaniora ſtudia, Lybicio proxima, circa A: C: 948, Boleslaviam adduxit, *& presbyterorum in manus dedit (q)*. mira hìc & nova rerum facies

(o) *Hagek. anno. 915.* (p) *Anony: cap. 2. dicit cum in plenilunium pueritiæ ſenſibilis veniſſet.* (q) *Anony: ibidem.*

Woytiecho viſa, domi non ſuæ quaſi deſtitui, ſcabelloque adfixum minaces virgas coram intueri, ad omne momentum â ſevera manu pallere, trepidare, defixoque obtutu ſuper literarum elementis obrigeſcere, & triſtem abſque matre vitam ducere, malorum peſſimum videbatur.

9. Contigit aliquando vitæ ſuæ arbitrum ludi magiſtrum ſcholis exeſſe, hoc abſente, arbitratus puer bene gerendæ rei occaſionem præſtò eſſe, fugam concipit, & nemine conſulto vel conſcio, paternam domum propediem abijt: amplexibus & ſvavijs pia mater excipit: adventum ſui amoris Slavniko patri (iram antevertens) gratiosè ſuggerit, & culpam tenellæ ætati necdum notam, quaquà poteſt excuſat; Sat potens oratio matris puero videbatur, niſi patri importuna fuiſſet: improviſo hoſpiti Slavnicus obviat, in vias & pericula ſerius inquirit: culpâque cognitâ, filium à ſcholis abſque magiſtro, & abſque comite pro fugum *infrendens, diris ictibus & vitalibus*

bus plagis correxit (r): neque diu moratus, virgis exceptum, ad eaſdem quas ſubterfugerat ſcholas Boleslaviam iterum reduxit. Boleslaviam dixi: nulla enim adhuc tunc apud Boëmos Religioſorum cænobia conſtituta, in quibus juventus doceri poſſet: ſed cura literarum apud ſolos presbyteros fuit; adeoque incredibile ſextum ab urbe lapidem Pragâ ſcilicet, vel Budecio milliaribus novem diſtante, talium parentum filium, puerum adhuc, & ſolùm quidem, iter pedeſtre Lybicium uſque facere potuiſſe: Boleslavia verò quatuor tantùm à Lybitio milliaribus diſſita, nec periculum tantum, nec moleſtiam itineris puero talem præbuit, quò minus domum paternam ipſe ſolus accurreret.

10. Poſtmodùm quantùm paterna correptio Woytiecho profuerit, & puer quomodo mutatus ab illo, dictu mirabile: puer duodecimo ætatis major, parentum educatione, tum etiam Boleslavienſium ludimagiſtrorum operâ, eò pieta-

(r) *Anony: Sury, 23: April: in prima vita cap: 20.*

tis aſcendit, ut bonas artes cùm diſceret, docuerit meliores: jam vel inde magnus, ubi vix eſſe cæpit, pertæſus enim coætaneorum conſortij, omnisque pueris adnatæ levitatis, in puero nihil puerile deinceps habuit, præter ætatem. angulorum & quietis amantiſſimus, literis humanioribus, & virtutibus, orationibus & hymnodijs ſacris, totum ſe impendit, nec priùs patrium limen eſt egreſſus: *quàm Pſalterium Davidis* (*s*) *ex integro memoriter didiciſſet.* & tunc primò cùm novennium aut decennium patrijs ſcholis teneretur, atque vigeſimum ætatis annum attigiſſet, quid ingenij capacitas, tenax memoria, & acre ſemper judicium deinceps præſtare poſſet, ex facili noſcebatur.

CA-

(*s*) *Sylveſter Pp. in ejus vita cap:15. Breviar Polonicum, in ipſo feſto in primis lectioni. noct:2. lect:1.*

CAPVT IV.

Woytiechi Magdeburgicum ſtudium.

1. SLavnik igitur Lybicenſis comes, cùm in filio ſuo & ſcholaſtica eruditio, & ætas, provectior ad aulas principum aptiſſima videretur, Woytiechum ad Ottonem Magnum mittere animo adjecit: facturus, niſi quo infantem adhuc Deo & Beatiſſimæ Matri deſpondit, votum obfuiſſet. Hujus memor, *Woytiechum* inquit Dubravius (*a*) *egregiâ indole juvenem, quem in aulam Ottonis mittere deſtinaverat, mutatâ ſententiâ ad Albertum, ſanctitatis famâ ubique notum Antiſtitem, Magdeburgum miſit; ut ibi eisdem inſtitutis & præceptis, in eodem quo Dithmarus Pragenſis primus Epiſcopus cænobio edoctus erat, imbueretur.* Adalberto I. Magdeburgenſi Archiepiſcopo commendatum, omnes ferè qui quidem noſtro ſancto ſcripſerunt, uno ore perhibent:

(*a*) *Hiſtoria Boëmica lib:6.pag:39.lin: 2.*

bent : verùm quomodo? novennium (*b*) noſter Woytiechus Magdeburgi ſtuduit: Magdeburgum igitur CMLIX. veniſſe oportuit; quia 968. domum redux, juxta comunem ſententiam CMLXIX. Pragenſis Epiſcopus conſecratus eſt. Adalbertus autem, juxta communem quoque ſententiam, primùm 971. Magdeburgenſem Archiepiſcopatum accepit. adeoque difficilè credere, Woytiechum, ſub Adalberto vel unum annum in hac urbe ſtudere potuiſſe: quandoquidem, Woytiechus duos jam annos ſui epiſcopatûs tranſegerat, dum ille Magdeburgenſem ſedem accepiſſet. Fateor ſi ſolùm Anonymum Sury 23. April: in ejus vita mihi. pag: 289. cap: 5. & Sylveſtrum Papam: in Bzovio Annal: tom: 20. cap. 9. mihi. pag: 601. inſpexeris, nodum hic difficilem reperies; quem aliquis Macedo findat potiùs, quàm ſolvat. In ipſis annis, pluribus Adalbertis, nec non ipſo Magdeburgenſis urbis exordio, quanta apud ſcriptores varietas! filo aliquo opus eſt in hoc labyrintho.

(*q*) *Vide c:6.n:1.citationem ſub lit: (F)*

2. Mag-



Puer eram ingenioſus, et sortitus ſum animam bonam. Sapient. cap: 8. v. 19.

2. Magdeburgum vetus oppidum, ab Idolo Partheniæ virginis (*c*) olim Parthenopolis dictum, quod Albis fluvius alluit, in inferiori Saxonia celebre fuit. Hoc aut vetuſtate collapſum, aut ad frænandos Saxones non ſatis firmum, 782. Carolus Magnus auxit, (*d*) munivit: pòſt Vandali quos Vendos & Slavos dicimus, 789 irruptione factâ, hoſtiliter direptum, (*e*) penitus everterunt: atque ita per centum annos & quinquaginta deſolatum permanſit. Deinde cùm, Otto ſuaque conjunx Editha, Edmundi regis Anglorum filia, ab Italia domum reduces Magdeburgum tranſijſſent: Auguſtiſſima fluminis Albiæ mercimonijs opportuniſſimi, ac loci amœnitate capta, eam ſibi pro dote donari petijt. & 939. (*f*), vel certe 940. (*g*) accepit. *Deſigna-*

(c) Munſteri Coſmograph: lib. 3: pag: 737. & Strevesdorfius in Primate Magdeb: (d) Chronica Saxonum. V. Gordonum anno 982. (e) Calviſus ad hunc annum. (f) Sigebertus. Henninges part: 2. pag. 4. Calviſus. (g) Bucelinus in annalibus. & in compendio annalium. Veleslavina. 7. Idus Iunij. Huc etiam Crantzij Saxoniæ libr: 3. cap: 24. Bucholzerus & Sigebertus. ad annum 944.

gnatis terminis, juſſit regina vallum circumduci: rex forum indixit, & profecit nova urbs vehementer, ut fieret non contemnenda civitas (h).

3. Eodem quoque anno 940, Magnus Otto donatam urbem templo (*i*) ſumptuoſiſſimo decoravit: Eccleſiam enim Cæſare dignam in honorem SS: Apoſtolorum Petri & Pauli, & B: Innocentij martyris (cujus ibi reliquias collocaverat) erexit, & S: Mauritij patrocinio præcipuo ſubijciens, viros Religioſos S: Benedicti familiæ monachos, primos induxit: ad cujus gubernationem accerſiverat quendam Annonem ex cænobio S: Maximini Trevirenſis diœceſeos virum eruditum, & Deo charum (*k*). Quindecim annis continuis ibidem ſacra Benedictinorum familia permanſit: uſque dum Hunni, gens tunc adhuc barbara Saxonibus & Germaniæ provincijs infeſtiſſima, cum ingentibus copijs (ultra cen-

(*h*) *Crantzius Saxon: lib:3. cap. 24.* (*i*) *Bucelinus in compendio. & Crantz: citatus. Martinus Polonus habet. 942. V. Veleslavi: 7. Idus Iunij.* (*k*) *Strevesdorfius in Primate Magdeburgico.*

centum millia referunt hiſtorici) cædibus & incendijs Imperium affeciſſet: quâ neceſſitate princeps maximus adactus, cum hoſtibus congreſſurus, Deo, & S: Mauritio (quem in omnibus bellis & periculis Patronum ſpecialem coluit) votum vovit, ſi adverſùs tantas copias victor evaſerit, ſeſe Cathedralem Eccleſiam honori Dei & S: Mauritio martyri propediem erecturum: imperatoque pridie apud exercitum jejunio, 4. Idus Auguſti: die ſancto Laurentio ſacrâ, CMLV. cum hoſtibus manus conſeruit, ac licet ultra octo legiones (*l*) non haberet, hoſtium tamen copias ad internecionem uſque delevit. Tres eorum ſupremi duces laqueo ſuſpenſi: de cæteris neque nuntius ferè, qui cladem ſuorum Ungaris renuntiaret, evaſit. De hoc prodigioſo conflictu (qui cædes Ungarorum potiùs quàm pugna fuit) videri poteſt Urſpergenſis in Ottone primo. Friſingenſis libr: 6. cap: 20. Saxonia Crantzij libro 4. cap: 6. & Baronij

10. Auguſti.

(*l*) *Vrſpergenſis in Ottone I. & alij.*

ronij 955. annus.num: 5.6.7.8. & alij plures (*m*).

4. Patratâ tam inſigni de Hunnis victoriâ, ut gratiorem ſe Deo redderet Imperator, votum implere non diſtulit: ſed in Magdeburgo jam inſigniter inſtaurata urbe, Archiepiſcopatum, qui Vandalorum caput eſſet, ac Metropolis, apud S: Mauritium condere moliebatur: & ab hoc tempore Familia S: Benedicti pro conſtituto ſibi loco timere cæpit. nec immeritò: quandoquidem Cæſar Vallerslevenſem epiſcopatum (quem pater Henricus (*n*) erexerat) ſalutis anno 967. (*o*) Magdeburgum tranſtulit. Crantzius ita loquitur: (*p*) *remanſit Imperatori fixa de Magdeburgo ſede ſurrigenda ſententia,*

F licet

(*m*) *Schaſnaburgens. Reginon. Chronica Auſtralis. Frodoardus. Herman: Contractus. Aventinus. lib: 5. Marian: Scotus. Henninges Genealo parte 2. in Ottone I. Baronius. Gordonus. Bucholcerus. Calviſus: omnes ad annum 955. & diem, 4. idus Auguſti.* (*n*) *Baronius anno 936. numer: 2.* (*o*) *Dithmarus lib: 2. Bangertus in Helmolds lib: 1. cap: 11. Chronica Slavica, & Mindenſis pag: 97. Fabritius anno 973. Vide Baronium anno 967. numer: 1. Calviſum 967 initio. Crantzij Saxon: lib: 4. cap: 7.* (*p*) *Crantzius Saxon: lib: 4. cap: 7.*

licet per annos quinque (*q*) *per Bernhardum Halberſtadenſem Epiſcopum intercluderetur. ideoq́ꝫ Bernhardus ordinationi regis ſe oppoſuiſſet* : (*r*) *quòd in illius parochia eſſet locus, quem novæ Rex voluit diœceſi applicare. Faciebat augebatq́ꝫ regi animos, quia paternâ ditione ad ſe locus pertineret. Erat etiam Burgravius de Magdeburgo, qui regi permiſit, ut eam arcem primæ conjugi donaret, titulo propter nuptias &c. Providerat* prætereà cùm inter Papam & urbem Romanam diſſidium complanâſſet, *ut ad eam rem ſummi Pontiſicis Ioannis XIII. decretum haberet, etiam repugnante epiſcopo Bernhardo valiturum.* Idcirco regni ſui 35 (*s*), Magnus Otto ejus nominis primus Germaniæ rex & Imperator, Archiepiſcopatum Magdeburgenſem primùm inſtituit; & Adalbertum Weiſſenburgenſem Ab-

(*q*) *Calviſius anno 972. Baronius dicit anno 973.* (*r*) *Crantzius Saxon: lib:4. cap. 14.* (*s*) *Adami vetus Chronicon lib:2. cap: 7. apud Baronium hîc numer: 11. Helmoldus lib: 1. cap: 13. Chronica Slavica incerti aut cap: 8. clariſſimè Crantzius in Metrop: lib: 3. cap: 28. Adami hiſt: Eccleſiaſt: cap. 8. Vide Veleslau: 15. Kal: Novembr.*

Abbatem, ibidem Archiepiſcopum induxit; fuit hic ſalutis annus CMLXXI. ita communiter quicunque Henrico patri 936. 6. Non. Maij defuncto, filium 2. Maij. Ottonem in regno eodem ſucceſſiſſe teſtantur *(t)*. Mortuo poſtmodùm Bernhardo Halberſtadenſi *(u)* Epiſcopo, quinque ſuffraganeos epiſcopos Rex Otto Magdeburgenſi ſubdidit, & Adalbertum ejuſque poſteros Germaniæ Primates eſſe juſſit.

5. Adalberti nomen quod concernit, cum Baronio (w), & Strevesdorfio (*x*) licebit obſervare: illo ſæculo, ferè etiam ijſdem annis, pluribus id nominis contigiſſe. Venerabilis vir Adalbertus Baſſoënſis Epiſcopus Ingelheimenſi Synodo interfuit 948. Baron: hic numer: 3. Adalbertus etiam Metenſis Epiſcopus, tem-

(*t*) *Frodoardus. Vrſpergenſis. Dithmarus. lib:1. Chronicon Hirſavienſe apud Bucholcerum. Annales Rhemorum Reginonis appendix. Coſmas. Marianus Scotus. Herman: Contrac. Friſingens. Baronius hic numer. 1. Lupacius. Gordonus. Calviſus. Veleslavina. 7. Maij.* (*u*) *Bernhardus mortuus eſt* 972. *Calviſus ex Fabritio. Vide Baronium anno.* 973. *numer:* 2. (w) *ad annum.* 973. *numer:* 13. (*x*) *In Primate Magdeburgico. pag.* 5.

temporibus Ottonis Magni vixit, & (*y*) 962. vitæ diem terminavit. Alios adhuc præter Metenſem, & Baſſoënſem, Reginon (*z*) commemorat: Helena Rugiorum (inquit Reginon) ſeu Ruſſorum regina, ſub Rom: Imperatore Conſtantinopolitano Conſtantinopoli 959. baptiſata, fictè ut pòſt claruit, ad regem Ottonem legatos miſit, qui epiſcopum & presbyteros eidem genti peterent. Chriſtianiſſimus Imperator illicò Sebutium (Reginon Libutium vocat) ad S: Albani monachum, ab Adaldago Hamburgenſi Epiſcopo CMLX. Rugiorum Epiſcopum ordinari, eoq; mitti decernit: ſed cum remoris quibuſdam diſtineretur
15. Februar. 15. Kal: Martij, CMLXI, hujus miſſio per mortem interrupta fuit. Poſt eum Adalbertus ex cænobitis S: Maximini, juſſu Wilhelmi Moguntinenſis Archiepiſcopi, Ruſſorum ſecundus Epiſcopus ordinatur, & primus ad eos mittitur: verùm anno ſequenti ab ordinatione ſua, ſci-

(*y*) *ad annum 959. Baronius hic numer: 1. Bucelinus. de hoc Epiſcopo. Vide Baron: 942. numer: 9.* (*z*) *Reginon ad annum 962.*

ſcilicet CMLXII malè â Ruſſis acceptus, vix manus eorum evaſit, nonnullis ſuorum occiſis. Ab Ottone benigniſſimè receptus, apud Wilhelmum honorificè fraterneq; habitus, in Erkanberti Wirtzburgenſis Abbatis defuncti locum ſufficitur 966. Alter Adalbertus, & ipſe Benedictinus Trevirorum cænobij profeſſus, eodem anno CMLXII, unde primus vix effugerat, ad eoſdem tertius epiſcopus ordinatur & Rugijs ſecundus mittitur (a): quia tamen functionem Apoſtolicam quemadmodùm præcurſor pari ferè laboris diſpendio brevi tempore transegit, ad ſuos, Ottonem & Wilhelmum reverſus, Abbas Weiſſenburgenſis (b) eſſe promeruit.

6. Chronologia temporum adhuc ſupereſt difficilis, & apud Autores ſibimet non conſtans: hanc ne longiùs abeam, per compendium ſub oculos adduco,

(a) Reginon citato loco. (b) Bangertus ſuper Helmoldi lib: 1. cap: 11. Strevesd. in Prim: Magd: pag: 5. hîc etiam intelligendus Baronius ad annum 971. numer: 11. Veleslavina 15. Kal: Novembr. Bucholcerus anno 970.

936. Otto I. Henrico patri in regno ſuccedit.

940. Editha Magdeburgum in dotem impetrat, & Eccleſia nova Benedictinis extruitur.

955. Cæſis Ungaris: Otto S: Mauritium in Cathedralem Eccleſiam erigere molitur.

959. Woytiechus ad Magdeburgicas ſcholas mittitur.

962. Adalbertus â Rugijs redit, fit Abbas Weiſſenburgi.

968. Adalbertus Abbas Magdeburgum Archiepiſcopus poſtulatur. Woytiechus Magdeburgo domum redit.

969. Woytiechus Pragenſis, fit Epiſcopus.

971. Adalbertus Abbas, Magdeburgi fit Archiepiſcopus.

972. Bernhardus Halberſtadenſis Epiſcopus moritur.

973. Otto I. moritur.

983. Adalbertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus moritur.

Quàm

Quàm aſpero cœlo nongenteſimi ſexageſimi noni, & 971, annorum tempora, Beatum Woytiechum ſub Magdeburgenſi Adalberto novennio deſudantem, in patriam reducunt. Latini, an Boëmi hiſtorici ejuſmodi ſubſtillum cœlum faciant? minimè: utrinque ſcriptores clariſſimi, quibus contraſtare temerarium: die tamen aliquâ ſit opus, ut in clarie Divum noſtrum recipiamus. Anni ſupra nongenteſimum ſexageſimus ſecundus, 968, 971. lucis aliquid accommodabunt.

7. Nongenteſimo ſexageſimo ſecundo Rugiorum Epiſcopus Adalbertus, inde expulſus, ad ſuos Germanos redijt: Weiſſenburgi conſtitutus Abbas, 968 (c) pro ſede Magdeburgenſi poſtulabatur: & 971. Archiepiſcopalem ſedem ab Ottone ſuſcepit. Illis autem annis 962. & ſexageſimo octavo, Woytiechus adhuc Magdeburgi fuit. Adalbertus quoque licet Weiſſenburgenſem Abbatiam teneret, ad Vandalos tanquàm Apoſtolus ordinatus excurrit: & Magdeburgi fuiſ-

(c) *Strevesdorfius loco citato.*

ſe probabile eſt: igitur non repugnat, Woytiechum Boëmum ſub Adalberto Vandalorum tunc adhuc Apoſtolo, Archiepiſcopatum ibidem expectante, Philoſophiam audiviſſe. Bucelinus opportuniſſimè in Annalibus ad annum 968. *nec quærendus*, inquit: *hoc anno alius Adalberto titulus, quàm ſedis incertæ Archiepiſcopi, nempe ad converſionem gentium ordinati. unde ſeducti non pauci, certam eidem ante tempus ſedem deſignârunt.* dicit: *ſedis incertæ*: hanc ego Magdeburgum intellego. addit & alterum: *ad converſionem gentium ordinati*: Rugios deſeruit, & apud ſuos, Ottonem ac Wilhelmum Ottonis Magni filium, (*d*) Archiepiſcopum Moguntinum receptus eſt: quo igitur ulterius Apoſtolus ordinetur? ſcire velim: non certè ad aliam quàm noviter extructam Vandalorum Eccleſiam Magdeburgum: hoc pater Otto, Editha conjunx, & filius Archiepiſcopus adverſùs Halberſtadenſem Bernhardum, pro communi bono Eccle-
ſiæ

(*d*) *Baronius anno 954. num: 4.*

ſiæ Vandalicæ, ſuâque Majeſtate voluerunt. Quibus præmiſſis, dicendum eſt neceſſariò, Woytiechum ad ſummum ſexennio Magdeburgi ſub Adalberto, tunc ſolùm nominato Archiepiſcopo Philoſophum fuiſſe: adeoque Slavnik pater tribus annis ante adventum Adalberti Othrico Philoſopho primùm, deinde 963. ſupervenienti Adalberto filium commendavit: á quo etiam Woytiechus confirmationem,& nomen Adalberti suſcepit. Nunc ad ejuſdem capitis quarti numerum primum revertamur.

8. Illuſtriſſimum juvenem vultu amabilem, verum ex Urſinorum roſeto floſculum, & ex ipſis quaſi virtutibus genitum, Othricus (Diethericum alij nominant) 959. Woytiechum excipit: hic Philoſophus, eo tempore Magdeburgi floruit. vir doctus, & probitate vitæ ſpectabilis: cujus *doctrinæ fama ſupra modum celebris* (*e*) *etiam illius auditores illuſtravit: qui enim Othricum meruit audire præceptorem, aliquid ſupra cæteros acce-*

F 5 *piſſe*

(*e*) *Cranzij Metropol: lib: 3. cap: 37.*

piſſe videbatur. Sub tanto magiſtro ſedulus etiam diſcipulus, magno ſuo fructui, ſolatioque magiſtri Woytiechus reſpondit: *toto enim tempore ſcholaris ſtudij,* Sylveſter inquit (*f*) *non æmulatus eſt facientes iniquitatem: nec ſtetit in concilio eorum quibus erant inutiles actus. Quandoq; ſi magiſtrum ſcholis abeſſe contigit, cùm cæteri inanibus ludis, & joco pro legendi labore inſerviebant, ille Davidici nectaris mella deguſtans, ſpirituali gaudio ſe ſolabatur. Quando illi prandentes in angulis ſcholæ dulcia obſonia magiſtro furabantur, ille furtivas orationes matri domini ſui mittens, Angelicas dapes ſibi mercabatur.* Et quàmvis ingenij acumine cæteros coætaneos longè præſtaret, & ob inſignes â DEO ſibi inditas gratias ab omnibus amaretur, inſolentium tamen condiſcipulorum petulantiam vitare non potuit (*g*). Contigit aliquando poſt veſpertinam lectionem ſcholis exeuntibus, puellam â vultu & modeſtia virginem,

(f) In ejus vita. cap: 7. *(g) Sylveſter Pp: cap: 8. MS. Vita ſub lit: B. in priori vita & MS. vita ſub lit: D. Drauſſovius. cap: 2.*

nem, in platea obviam, Adalberto proximam tranſiviſſe: petulcus comes itineris, in eam juvenem fortiùs impulit, ita ut, concidente utroque Adalbertus ſuperior caderet. de fælici ſucceſſu ridet effuſiſſimè ludibrio: ſequuntur & alij, rident unà: quid tandem beatulum futurum ſit, expectant. Nitentem quantocius lapſum erigere, manibus explodunt: & ut fieri natum, ſarcaſmis exſibilant: ſubdolæq; ſanctitatis proterviùs arguunt. Pius juvenis non tam illatæ memor injuriæ, quàm impudici contactûs impatiens (ratus ab hoc caſu pudoris aliquid excidiſſe) querulâ voce *heu me! nupſeram*, ingeminat: & ſubdolè condolentibus, *criminis machinatorem digito monſtrans: hic me nubere fecit, palàm incuſat (h).* Verùm etiam in lapſu ſtetit inviolata pudoris integritas: & vel ſic beatus juvenis jacens quoque miraculo fuit, omnis illiciti caloris expers, alio præter amorem Numinis calere neſcius: nequitiam execratus, antequàm nôſſet.

9. An-

(h) *Sylveſter. cap:8.*



Ab infantia mea creuit mecum miſeratio: et de utero matris meæ egreſſa é mecum. Iob. cap: 31 V. 18.

9. Angelicam puritatem non impar ſubſecuta pietas: ſi quando enim per otium ſtudij licuiſſet, Magdeburgenſes Sanctorum reliquias, *Cyriaci nempe, Cæſarij, Victoris, Coronæ, Felicis, & Felicitanæ martyrum SS: Coſmæ & Damiani* (quas Otto Imperator A:D:CMLXVI. Româ ſecum (*i*) attulit, & in Eccleſia tunc noviter extructa collocavit) ſupplex adibat (*k*). pauperum & afflictorum amantiſſimus, ſub noctem (ne fors pietatis opera ſoli Deo nota, dies proſtitueret) noſocomia, tuguria pauperum, & ipſos carceres viſitabat, ſingulis pro poſſibili per amica ſolatia, & eleemozynas uberes condeſcendens. ſic terrena divinis attemperans Adalbertus, humaniores artes in ſe divinas effecit, & ad altiora ſemper animum intendens, eò tandem pervenit, ut cùm fuerit in nullo non maximus, dubites in quo

(*i*) *Adami vetus Chronicon. lib:3. cap:6. ex eo Baronius anno 965. num: 2. Vitichindus lib: 2. Adami Hiſtoria Eccleſiaſtica. cap: 6. Sigebertus. & alij. Nota cum Strevesdorfio longe prius Eccleſiam S. Mauritij extructam, quam ſedem Archiepiſcopalem.* (*k*) *Sylveſter. Pp. c. 7. Vita MS. ſub lit: D.*

quo major eſſe potuerit, omnia ſupergreſſus. Epiſcopum agens, antequàm fieret: qualisnam futurus eſſet, tunc vel maximè docuit, cùm didicit *(l)*. *Beatiſſimæ enim Virgini Mariæ ſingulariter uniceq́ deditus, ita fæliciter in literis & pietate profecit, quòd ſolus* inter diſcipulos Philoſophus dici, cæterorumq́ue magiſter eſſe mereretur: *atque per totam ferè Germaniam* (teſte Bonfinio) *parem non haberet (m).* Erat quippe congruum qui venuſtate formæ, morûmq́ue probitate reliquos anteceſſit, ingenio quoque præcelleret: & quid in pulchro corpore pulchrior animus poſſet, ipſo facto probaret. Propter ejuſmodi virtutes, vitam cælibem & immaculatam, apud Adalbertum Magdeburgenſem nominatum Archiepiſcopum tantam gratiam & amorem promeruit, quòd in confirmatione nomen illi ſuum indiderit. Exinde licet impoſterùm apud Germanos & Latinos Adalbertus adſcititio vocaretur agnomine:

(l) *Pontanus Boëmiæ Piæ lib: 4.* (m) *Decade 2. lib: 1. Hiſtoriæ Hungaricæ.*

ne : apud Boëmos tamen primum Woytiechi nomen proprium, vereque patrium uſque in hodiernum ſibi reſervavit: *Woytiechus* enim Boëmis frequens, & dulce nomen eſt; quaſi tu *belli ſolamen* diceres.

CAPVT V.

Dithmari primi Pragenſis Epiſcopi electio, mors: ejuſdem, & S: Adalberti defenſio.

1. INterim dum Woytiechus vigeſimum octavum ætatis agens, inter Saxones Magdeburgi virtutibus & literis altioribus inſtruitur: & poſt impœnitentis Boleslai Sævi obitum Boleslaus Pius defuncti filius, paternam ſedem aſcendit: Princeps devotiſſimus magnoperè curavit, ut quod infœlix pater aſſequi non poterat, ipſe communi bono Pragenſis Eccleſiæ, totiusque Regni ſpirituali commodo provideret. namque poſt S: Methudij primi Boëmorum Apoſtoli diſceſſum, tres

tres & ſexaginta anni jam præterlapſi; quibus novella Pragenſis Eccleſia, ſine patre, ſine præſule, Ratisbonenſium Epiſcoporum curæ demandata, hæc ad uſque tempora Boleslai ſecundi, ſolitaria permanſit. Pater quidem Boleslaus primus Epiſcopum habere conatus eſt, verùm propter Cæſarem Ottonem I. quo cum vario Marte per continuos quatuordecim (*a*) annos bella geſſit; tum ob fratricidium, quòd S: fratrem Wenceslaum occidiſſet: & ob ſchiſma Romanæ Urbis, id honoris nunquàm aſſequi meruit, nec potuit.

2. Opportuniſſimè Mlada ſive Milada Sævi Boleslai filia, Boleslai Pij germana ſoror, virgo ſpecioſiſſima, religioſiſſimaque (*b*), latinas & ſacras literas bene docta,

(*a*) *Vrſpergenſis in Ottone I. mihi pag: 155. Boregk in Boleslao Sævo. Sigebertus anno 940. Vitichindus lib:2. Goldaſtus lib: 2. cap: 3. numer:1. &c. Helmoldus in Chronico. lib: 1. cap: 9. Chron: Mansfeldenſe. cap:128. & ex eo Veleslavina. 18. Kal: Maij & 7. Kal: Octobris. cœpit hoc bellum anno 937. duravit usq; ad 951. Dreſſerus Iſagoge, millenario 5. pag: 417. n:12. Stransky cap:8. §. 13.* (*b*) *Coſmas ad annum 967. etiam Hagecius hic. Dubravius, Æneas Sylv: Pontanus &c. Lupacius. 5. Id. Febr:*

docta, quod adhuc eum in modum Pragenſis Eccleſia ſub tutoribus conſtituta, proprij paſtoris & Epiſcopi deſiderio teneretur: neque per alium quàm ſummum Romanum Epiſcopum haberi poſſet, eam ſolicitudinem, procurandi aliquem, in ſe ſuſcepit, tunc etiam Romam profectura, niſi Romana ſedes infelici ſchiſmate laboráſſet. Quia verò Joannes XII, Romani Alberici filius, ob graves exceſſus, Cardinalibus, & nonnullis Romanis civibus exoſus, apud Ottonem accuſatus eſt, Imperator tum ad eum commovendum, tum etiam ad Berengariorum impotentem dominatum refrænandum, coacto exercitu, in urbem proficiſcitur: ad cujus præſentiam Joannes & Adalbertus fugâ lapſi, ſaluti conſuluerunt. Synodus intereà Romana contra Joannem Pontificem enormia quædam queſta fuit. Poſtulatus ad Synodum, adeſſe contempſit, idcirco Synodus in contumacem, Eccleſiaſticum fulmen intorſit, & Otto Leonem anti papam dictum VIII, loco ſubſtituit. Rebus Ita-

liæ bene, ut credebatur compoſitis, Otto Imperator urbe diſceſſit. Joannes Romam iterum revocatus, Leonem expulit: & ſedem priſtinam reſumpſit, quo paulò pòſt miſerè mortuo, Romani ſpreto Cæſare, poſt habito Leone, Benedictum V. omnium unanimi conſenſu, in Joannis XII. locum ſufficiunt. Cæſar ſui contemptum, Leonis injuriam, & civium perfidiam acerbiùs ferens, poſtpoſitis alijs negotijs, urbem repetit, fameque preſſam recipit, Leonem priſtinæ dignitati reſtituens, Benedicto ad Hamburgenſem Epiſcopum in exilium relegato, in periuros Romanos principes crudeliùs animadvertit, atque ita Romanorum novitates aliquatenus antiquavit (*c*).

3. Ubi Milada cognoviſſet, interpoſitione majeſtatis Regiæ Romæ pacata eſſe omnia, & certum tandem ibidem extare Pontificem, de concepto itinere fratrem certiorem reddit, ſpondet etiam, effe-

(*c*) *De hoc Schiſmate. Baronius ab anno 962. ad 966. incluſivè. Luithprandus lib: 6. cap: 6. 7. 8. usq; ad 11. Sigebertus anno 962. & ſeqq. Reginon 963. 964. Saxonia Crantzij. l. 4. c. 9. num: 13.*

effecturam omnino apud ſedem Apoſtolicam, ut Boleslaus nominandi Pragenſis antiſtitis habeat poteſtatem. An: Chriſti CMLXVII. (*d*) acceptis â Principe ad urbem epiſtolis, Romam proficiſcitur: & in cænobium ſanctimonialium familiæ S: Benedicti divertit, manſura tantiſper, uſq; dum ſacris legibus ad eam profeſſionem requiſitis imbueretur. Sufficienter inſtructa, in manibus ipſiuſmet Apoſtolici Joannis XIII. vota ſolenniter emittens, ſublato Mladæ nomine Romanis barbaro, Maria dicta, ſacro flammeo velatur. acceptâque poteſtate nominandi præſulis, & Apoſtolicâ benedictione, nonnullis Religioſis virginibus comitata, reditum accelerat. Pragam redux, diploma pontificium (*e*) quo idem Romanus papa nominandi Pragenſis Epiſcopi Duci Boleslao Pio facultatem

 dede-

(*d*) *Hagek. anno 967. Dubravius lib:6. initio. Pontanus-Boregk in Boleslao Pio. Æneas Sylvius: cap:16. Coſmas ad annum 967. Bartholdus Bontanus. Boëm: pia lib:2. pag: 15. & lib: 3. in Dithmaro Epiſcopo. Et lib: 3. pag: 52.* (*e*) *Coſmas habet eas literas ſub anno 967. Hagek eaſdem Boëmicè ad eundem annum.*

dederat, principi in manus tradit; & ſæculo valere juſſo, cum ſacris comitibus ad Abbatiam ſuam D: Georgio Martyri dicatam, & eo fine â Wratislao (*f*) poſitam, conceſſit. Boleslaum verò principem Deo & Religioni deditiſſimum, ea res unicè habuit, ut ditionibus ad ſe pertinentibus epiſcopum, officio tanto condignum Apoſtolum, quàm ocyſſimè provideret.

4. Eodem anno CMLXVII. vir quidam religioſiſſimus, regularis Canonicus, natione, patriâque Saxo Magdeburgicus (*g*) Dithmarus nomine, opinione ſanctitatis (*h*) inſignis, ad B: Wenceslai martyris ſacra lypſana venerationis ergò Pragam opportunè venit; pluſculos ibidem dies etiam commoratus, ob ininſignes animi dotes, ſvavem in actionibus, & ſibi ſemper conſtantem comitatem, linguæ quoque Boëmicæ (*i*), vel potiùs tunc Slavicæ peritiam (adhuc enim eo

(*f*) *Hagek anno 912. & 913. & alij communiter.* (*g*) *Pontanus Boëmiæ Piæ. lib: 2.* (*h*) *Sylvius cap: 16. Paproczky de Epiſcopis pag: 270.* (*i*) *Pontanus. lib: 3. in Dithmaro.*

eó tempore per Saxoniam, totum ferè Imperium, Mechlemburgum, Pomeraniam, ad ipſum uſque ſinum Balthicum, Slavici ſermonis uſus ab antiquis Vendis & Slavis relictus, paſſim viguerat) & eloquentiam ſingularem, Pio Boleslao Duci fit acceptus. Iſtum, totius Cleri Boëmiæq; ordinum unanimi conſenſu, ſibi jam aliqua ex parte probatum Dithmarum, Boëmiæ primum Epiſcopum palàm pronuntiat, atque ſubornatis illico nuntijs, per epiſtolas eundem Ottoni I. Cæſari regiâ ſuâ majeſtate confirmandum, inveſtiendumque coram ſiſtit. Id perquàm congruum, publicæque Chriſtianorum utilitati neceſſarium Otto proſpiciens, ſanctis Pij Boleslai deſiderijs lubens ceſſit, & Dithmarum benignè acceptum nec non annulo, pedoque, regalibus præſulum donatum, Hattoni Moguntino Archipræſuli de more aliorum in Germania Pontificum anno CMLXVII. (k) ordinandum & conſecrandum tradidit.

5. A principe, Clero, Regni proceribus,

(k) *Coſmas & Hagek. in hunc annum.*

ribus, & univerſo fideli populo ſuſceptus honorificè, dignitatem præſulis quam ſemel induit, ad mortem uſque ſanctiſſimè geſſit: *velut aurora virtutum*, inquit Pontanus (*l*) â Braitenberg, *Lucifer ſacerdotum & anteſignanus ſequentium Epiſcoporum, præclarâ vitæ morúmq; innocentiâ, ſuum curſum, omnium opinione & expectatione citiùs, abſolvit: Clero & populo magnum ſui poſt ſe relinquens deſiderium.* Difficilem æque ſucceſſoribus in certamine virtutum palmam relicturus, niſi B: Woytiechum ſuccedaneum habuiſſet. Et quanquàm omni præconio dignus præſul, *integer vitæ, ſceleriſq; purus* extiterit, illuſtremque ſui pontificatûs periodum ſanctè perſolverit, vitia quæ vivus evaſerat, poſt mortem non effugit, cùm cœlo licet dignus videretur apud Deum, ab hominibus tamen inferni ſupplicijs addiceretur. Ita Anonymus Surij (*m*): *moritur intereà Boëmiæ provinciæ Epiſcopus, & ſic eſt (ut audivimus) coram adſtantibus*

(*l*) *Pontanus lib: 3.* (*m*) *In vita S. Adalberti. cap: 5. & ex eo Sylveſter Papa. cap: 9.*



Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbyteros Ecclesiæ, et orent ſuper eum, ungentes eum òleo. Jacobi 5. V: 14.

tibus deſperatâ voce teſtatur, quòd â nigris ſpiritibus immundis ad Tartareum chaos deportaretur. Præſens erat tunc Adalbertus, unus extrema videntium, quem, ut ipſe pòſt Abbati in monaſterio dixit, viſionis illius magnus horror invaſit, & ad primam ſalutem direxit. Toto enim illo tempore (â pueritia ſcilicet uſque ad ipſam Dithmari mortem, & annum vitæ ſuæ trigeſimum) *adeo laſcivus erat Adalbertus, dicit idem* Anonymus, *ut homo incubans terrenis delicÿs, vacans puerilibus jocis, quærens cibum & potum ut pecus, incurvans vultum, & neſciens rectus cernere cœlum. Exinde*, velut ab exemplo malè pereuntis epiſcopi, *emendare mores, frænа ponere animis, deſideria carnis igne divini amoris excoquere cœpit.* Ita vetus autor apud S: Alexium Romæ Benedictinus Religioſus, Synchronus Woytiechi in ejus vita cap: 5.

6. Ex iſto poſteà, velut ex equo Trojano, malè armati prodierunt cæteri (*n*).

Bzovi-

(*n*) *Baron: ad annum 980. Ribadeneira part:2. 23. April: Henricus Caniſius tom: 5. antiquar: lection: Pontanus in Oratione de S. Adalberto. Drauſſovius, in vita c. 3.*

Bzovius (*o*) etiam pro hac ſententia Coſmam in Chronico, Dubravium lib: 6. Breviaria, Boëmicum, & Polonicum adducit, qui tamen pro innocentia Dithmari nobiſcum ſentiunt. Sylveſter papa ſcriptor etiam illius temporis, moribundi Dithmari voces ultimas, juxta Anonymum, deſperationis plenas fuſiùs enarrat, verùm Anonymum potiùs referre, quàm ita ſentire videtur. Agonizantis autem verba ſic ediſſerit (*p*): Heu me
” miſerum! perdidi dies meos; jam pœni-
” tentiæ fructus nuſquàm eſt: veniabile
” tamen utcunque erga pium dominum
” foret, niſi quòd commendatæ plebis ſcele-
” ra ad cumulum miſeriarum accedunt.
” Voluptates enim & deſideria, eis pro le-
” ge erant: nec prohibui furentem, nec
” prohibere potui ſponte pereuntem popu-
” lum, qui adhuc hodie nil ſciunt, vel faci-
” unt, extra quod digitus Sathanæ in eo-
” rum cordibus ſcripſit. Væ mihi quia
” ſilui: & hoc dolet dolebitque in ævum.
”

 Nam

(o) *tomo 20. annal. apud Sylveſtrum. in vita. S. Adalb: c: 9. mihi pag: 601.* (p) *Sylveſter Pp: c: 9 apud Surium eſt ſecunda hæc vita. 23. April: vide c: 8.*

"Nam ecce diræ mortis victima, in infer-
"num rectâ viâ proficiſcor, ubi vermes
"mei non morientur, & ignis meus arde-
"bit in æternum, & ultra. ſic ait: & dicto ci-
tius obdormivit. Morientis Dithmari ea verba fuiſſe credamus, certè animi deſperati eſſe, credere non poſſumus. Verba ſunt timoris Dei, propriæque diffidentiæ plena, contritionem veram, & Sanctis adnatam humilitatem, verba ſenſum Chriſti exprimentia: *cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus* (*q*). Aliàs & Arneſtum primum Pragenſem Archiepiſcopum, perfectum & ſanctum virum, ex ipſiuſmet confeſſione ſceleſtiſſimum arguere impunè liceret, cùm de ſe ipſo ſcriptum ita reliquit (*r*).
" Ego inter peccatores præ-
" cipuus - - - ne tantus peccator apparerem,
" quia me bonum ſimulabam extra, ſed
" intra, in cogitationibus, & operibus in oc-
" culto ſceleratiſſimus, ab illa hora uſque
" nunc. - - - laſcivus & levis: - - - & ca-
nis

(*q*) *Lucæ. 17. u. 10.* (*r*) *Mariale Erneſti in ipſo fine. & Balbinus in Arneſto pag. 27. & ſeqq.*

nis fœtidi digna omnibus hominibus deteſtatio. - - ſcriptum per me Arneſtum S: Pragenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, indignum, manibus meis ſanguine peccatorum repletis. Magna hæc certè, & enormia! non tamen â ſceleribus, ſed â profundiſſima humilitate manantia. Satis abunde pro præſenti Bohuslaus (s) Balbinus, in Arneſto capite 7. & notis. Vide, lege: & vel á tanta humilitate & contemptu ſui, ſanctorum innocentiam diſce: ubi pro Dithmaro, tum & alibi (t), modeſtè ſatis obſtructum eſt os loquentium iniqua. *Quis accuſabit adversùs electos Dei? Deus qui juſtificat, quis eſt, qui condemnet?* (u)

7. De beato Woytiecho quid referam? neque hæc cœleſtis roſa apud Anonymum, ſine ſpinis in lucem prodire potuit: *toto tempore* inquit *adeò laſcivus erat* &c. verùm hæc unde vir optimus? ſæcularem adhuc Magdeburgi ſtudioſum adire

(s) *In Arneſto Balbinus. pag: 35.* (t) *Balbin: in Arneſto pag: 228. ſimilia quoq; de ſe dicit S. Petrus Damianus tom: 3. opuſculo 19. cap. ult. in fine.* (u) *Ad Romanos c: 8. v: 34.*

adire vix potuit, Pragenſem Epiſcopum non novit: apud S: Alexium cum Religioſo monachus non convixit.? Reſpondet ille: *ipſe Adalbertus pòſt Abbati in monaſterio dixit.* Quando igitur dixit? poſteaquàm Epiſcopatui renuntiavit; occultus & humilis ſemetipſum denegavit; viliſſimas quasque operas inter monachos, cæteris poſthabitus, quinquennium exercuit; etiam proprijs miraculis clarus, omnem ſuperbiæ & inanis gloriæ ſtimulum ſupprimere conatus fuit; tunc dixit. Et hoc eſt, quod velim in S: Woytiecho certiſſimum humilitatis argumentum. Vetuſtam & ſæculis probatam autoritatem Anonymi ego veneror, nec non ſequaces ejus, ſcriptores graviſſimos amplector: alij ſunt Patroni noſtri ſanctimoniæ vindices, qui ſuas partes agant.

8. Coſmas Decanus, deinde ſecundùm aliquos Epiſcopus Pragenſis, Anonymo ſæculis par, dignitate illuſtrior, & fide major, ex Italia reducem Adalbertum, *ſpectabilem heroa, velut tenerum agnum inter oves vitæ bono opere probatum* no-

nominat: utpote cunctis in patria *talos â vertice notum ad imos, cujus nobilitas, mores, & actus optimè concordarent cum honore pontificatûs* (w). Wenceslaus Hagecius idem aſſerit (*x*). MS. Proſarium in ſancta Pragenſi Eccleſia â ſæculis uſitatum, hujus de quo agimus Patroni noſtri, laudes ſic occinit (*y*).

Flos eſt tuus Adalbertus,
Cujus color eſt repertus
Candens, vernans, germinans:
Caſtitatis vi refertus,
Labem carnis inexpertus,
In candore germinans.

Brzevnovienſis Anonymus (*z*) MS: religione, votis, & fide, Surij Anonymo (vetuſtatem excipe) non impar: circa ſalutis annum 1397 ita ſcripſit: *dignitas ſanctitatis Sancti Adalberti, ortum habuit tam â radice parentum naturali, quàm â gra-*

(w) *Coſmas in Chron: lib: 1. ad annum 969. pag: 15.*
(x) *Folio 85. pag: B. anno 969.* (y) *habetur hic liber in Metropol. Eccleſ. S. Viti in Choro. etiam alius MS. apud PP. Soc. Ieſu ad S. Clement: Pragæ. invenitur em. hæc proſa in omnibus antiquis Boëmicis miſſalibus in feſto S. Adalb:* (z) *habetur hic liber apud PP. Societat. Ieſu ad S. Clementem Pragæ.*

gratia Dei ſpeciali, nam legitur in legenda ſua, quòd ejus fuit bonus pater, melior mater, optimus ex eis ipſe filius ſacer. Joannes de Duba Metropolitanæ Pragenſis Decanus in officiario MS: *(a)* de ſanctis: *dicitur*, inquit, beatus Adalbertus *alter Angelus, propter munditiam quam habuit, fuit enim puriſſimus, virgo usque ad mortem.* & iterum de eodem: *notatur triplex corona quam accepit â domino, corona enim debetur virginibus, prædicatoribus, & martyribus. & quia fuit prædicator, & martyr, & virgo: hanc coronam â Domino accepit.* Petrus de natalibus lib:4.cap.87. de SS: quoque dicit: *Adalbertus fuit â juvenilibus annis eleemozynis, & orationibus, ac jejunijs intentus: liberalibus & Catholicæ fidei diſciplinis imbutus.* Bartholdus Pontanus â Braitenberg Pragenſis Eccleſiæ Præpoſitus *(b)*: *Beatiſſimæ Virgini Mariæ, ſingulariter uniceq; deditus: ideo feliciter literis, & pietate proficiens.* Bangertus ſuper Helmol-

dum

(a) eſt legenda MS. in Bibliotheca MS. Metropolitana ad S. Vitum Praga. *(b) Boëmia Pia lib:4. pag:49 in medio.*

dum (*c*): *hic cùm Alberti primi Archiepiſcopi Magdeburgenſis diſcipulus fuiſſet, Albertus eum propter morum ſanctitatem, & diſcendi ardorem, tam tenero eſt proſecutus amore, ut ei ſuum nomen imponeret.* & Breviarium Polonicum (*d*): *apud quem piè, ac honeſtiſſimè educatus eſt.* Aubertus Myræus autem (*e*) Magdeburgo redeuntem, hoc elogio proſequitur: *ſapientiæ, atque Chriſtianæ pietatis ornamentis imbutus, reverſus inde ad ſuos, omnibus fuit admirationi, ſanctitate vitæ, & eruditionis famâ, ac gentis ſplendore, civibus ſuis gratiſſimus.* Trithemius de viris illuſtribus lib:4. cap: 206. *Adalbertus monachus S: Bonifacij Romæ, Epiſcopus Pragenſis, ante Epiſcopatum, vir doctus & ſanctus. ob inſignes tandem* (verba ſunt Breviarij Polonici (*f*) *virtutes, ſummumq; pietatis ſtudium, poſt mortem Dithmari unanimi totius populi conſenſu, Epiſcopus*

(c) *ſuper Helmoldi Chronicon. lib:1. cap:1.* (d) *in ipſo feſto in ſecundis lection. lectione 1.* (e) *De rebus Boëmicis. apud Bzov: tom: 20. annal. in fine.* (f) *in ipſo feſto. in primis lection: noct: 2. lect: 2.*

pus deſignatur. Similiter Pontanus *(g)*: *tanquàm lucerna ardens animo, & omni converſatione, magno collegij ſacerdotum aſſenſu Epiſcopus declaratur.*

9. Dicat nunc contra tot pugnax Anonymus, & ſui ſequaces *(h)*: ecquando noſter Woytiechus, & ſuus Adalbertus puerilis, luxurioſus, adeò laſcivus, & brutalis ut pecus extitit? ſi ſub infantia puerilíve ætate dicat: in hac ejuſmodi crimina non admitto. ſi leviora aliqua pueris adnata, hæc pia Slavnici manus adhuc in herba pullulantia, levi falce ſuccidit, & labis maculam unâ virgâ deterſit. Fors in ſcholis domeſticis, inter ſacerdotes magiſtros? *ab eis*, dicit Sylveſter *(i)*: *á quo edoctus eſt, verbis, moribus, & vitâ nunquàm diſceſſit.* & iterum: *hæc, & ſimilia, Deo plenus infantulus* (intellige pietatis opera, non vitia) *tunc agendo, multorum oculos in ſe defixit.* An Magdeburgi, ſcholares inter coætaneos? niſi, quando cæteris comeſſantibus, *ille furtivas ora-*

(g) *Boëmia Pia lib: 3. pag: 36. lin. 5.* (h) *citati ſuperius. ſub lit: (n)* (i) *in vita cap: 5. apud Bzovium, ſed apud Surium mihi pag: 298. eſt capite 4.*

orationes matri domini ſui mittens, Angelicas dapes ſibi mercabatur (*k*): Eccleſias viſitabat: pauperes, infirmos, incarceratos, amicis verbis, & eleemozynis ſolabatur. Adeò laſcivus, num â caſu poſtquàm virgo cum virgine lapſus eſt? nunquàm minus: *dedit enim ſe in amariſſimas lamentationes*: ita ſentit Sylveſter, (*l*) *atque continuo lacrymarum imbre oculos humectavit*. Certè tunc vel ipſa virtus, & Angelica puritas, non firmiùs & ſanctiùs ſtare potuiſſet: nec roſam aliter decuit, *florem* (*m*) *pudicitiæ plenum*. Num pòſt, annis provectior? minimè. *toto tempore ſcholaris ſtudij*, dicit Sylveſter Papa, (*n*) *non æmulatus eſt facientes iniquitatem, nec ſtetit in concilio eorum, quibus erant inutiles actus*. Denique ita natus eſt, ut degenerare ſi vellet, malus eſſe non poſſet: ita vixit, ut imitari qui vellet, peccare graviter non poſſet. Unus, quantùm judicare præſumitur, Sylveſter æquè Synchronus Papa ſufficit, qui Surij

(*k*) *cap:7. Sylveſter Pp.* (*l*) *capite 8.* (*m*) *Columella de Re Ruſt:lib:10. verſu 101.* (*n*) *capite 7.*

Anonymum erroris convincat, autoritatem retundat, & innocentiæ B: Patroni noſtri ſatisfaciat.

10. Prætereà de geſtis Woytiechi, domi ſuæ tranſactis, etiam ſcriptoribus indigenis non minor fides concedenda, teſte Melchiore Goldaſto *(o)*; cùm vel de ſolo Hagecio dicit: *cujus dicta ceu teſtis idonei & domeſtici, non permittimus eſſe indicta.* Iſti præ Anonymo Surij, & alijs ejuſdem aſſeclis, pueritiam, juventutem, totam denique tranſactam vitam, â parentibus, individuo laborum ſuorum participe, germanoque fratre Gaudentio, ab amicis, aut eorum poſteris, oculatis teſtibus, ſcripto vel traditione notam, & perſpectam habere potuerunt: qualis Coſmas eſt, & vetuſtiſſima quàmplurima MM: SS: ex quibus tanquàm originalibus, Dalimilus Boleslavienſis Canonicus; Brzevnovienſis Anonymus monachus, Pulkava, Joannes Merigniola, Laurentius Brzezyna, Sylvius, Hagecius, Du-

(o) In Commentar: Boëm: lib:6. cap: 6. numer: 10. Pagina 564.

Dubravius, Pontanus, Weleslavina, Stransky, Boregk, Lupatius, Cuthenus, Paprocius, & alij quàmplurimi ſcriptores domeſtici, optimâ fide congeſſerunt: nobisque poſteris, quaſi manu tradita reliquerunt. De tantis autem exorbitantijs, quarum Anonymus B: Woytiechum inſimulat, antiquornm noſtratium vix aliquis memoriam facit. Salvâ igitur Anonymi vetuſtate, ac religiosâ fide, dicendum neceſſariò cum Bohuslao (*p*) Balbino: *aut mendum ſubeſſe, aut benignâ interpretatione locum adjuvandum.* Nunc unde digreſſi ſumus, redeamus: & Sanctum noſtrum de ſcholis Magdeburgicis revertentem, alacriùs in patriam comitemur.

(*p*) *In Arneſto pag: 229. ſub initio.*

CAPVT VI.

Woytiechus Magdeburgo redux, mortuo Dithmaro, ſecundus Pragenſis Epiſcopus eligitur.

1. MAgdeburgi quot annos Woytiechus altioribus literis impenderit, incertum dicit Sylveſter *(a)* Papa: decennium, vel ultra numerant Coſmas *(b)*, & Hagecius: juxta quos etiam Lupatius *(c)*, Weleslavina, Drauſchovius (*d*) aſſerunt, poſt Magdeburgenſem Philoſophiam, fors propter Theologicum ſtudium, in Italiam abiviſſe; & inde (ubi annum alterum aut tertium morari neceſſe fuit) primùm ad patriam 968. rediviſſe. Per id ſolùm autem facilè cognoſcitur, quòd quò diutius Woytiechus in Italia morabatur, Adalberto Magdeburgenſi eò minus potuerat notus eſſe. De-

(a) In vita illius cap: 8. (b) uterq; ad annum 969. (c) 11. Kal:Martias. hic etiam Veleslavina. (d) In vita cap:2. in fine, dicit trigeſimo ætatis exacto, Magdeburgo primò ad Italiam abiiſſe.

Demus, neceſſariò enim ſequitur ex iſtorum ſententia, Magdeburgo Romam diſceſſiſſe 946. in dubium vocabitur, num aliquando Woytiechus, & Adalbertus Magdeburgi ſimul fuiſſe potuerint. Dixi ſuperiùs: 962. Adalbertus â Rugijs in Germaniam redit; hoc, vel anno ſubſequenti, Weiſſenburgenſis Abbas Erkanberto mortuo ſufficitur: & 968. primùm pro Magdeburgenſi ſede poſtulatur; eo ſcilicet anno, quo, Woytiechus poſt Romanam triennalem habitationem, rurſus ad patriam revertitur. Quocirca Magdeburgenſi Archiepiſcopo, vel etiam poſtulato ſolùm, quàmdiu noſter Woytiechus cohabitare potuiſſet, ipſi viderint: anni certè pro contraria parte militant. Lectiones Breviarij Polonici (e), Surianus Anonymus (f), & alij (g), vero ſimilius dicunt: novennium tantùm Woytiechum noſtrum Magdeburgi detentum, indeque non ad Italiam,

 ſed

(e) *Legenda Polonica in ipſo feſto in primis lectionibus. lectione 2.* (f) *Anonymus Surij cap: 5.* (g) *Ribadeneyra & Lippeloo. 23. April: in ejus vita.*

ſed rurſus in Boëmiam profectum (*h*). Et quidem Romana peregrinatio doctiſſimo juveni ut quid neceſſaria? ſub Adalberto & Othrico, cum ſumma laude ſtudium peregit, vir uterque magnus, uterq; ſanctus ac doctiſſimus, etiam in Theologicis eximius uterque, quis ambigat? apud quos Libycenſis comes Ottonis Magni amicus, Theologicis æquè literis operam dederit, nullus dubito. Nec induci poſſum ut credam, quod ſolùm ſtudium Philoſophicum totos novem annos Woytiechum teneret, juvenem acris ingenij, memoriæ (*i*) ſummæ, laboris indefeſſi. Sanè *Beatiſſimæ Virgini Mariæ* (*k*) *ſingulariter uniceque deditus, ita feliciter literis & pietate profecit, ut per totam ferè Germaniam parem non haberet* (*l*).

2. Eodem etiam anno CMLXVIII. quo Dithmarus primus Boëmorum Pragen-

(*h*) *Propriæ lectiones Brevi. Boëmici Noct: 2. lect: 1. Dubrau: lib: 6. pag: 36. Pontanus lib: 4. §. S. Adalbertus. & lib: 2. pag: 15. in medio. Vita MS. ſub lit: B. Ribadeneyra. Miræus. Boregk in Boleslao Pio.* (*i*) *Anonym: Surij. cap: 4.* (*k*) *Pontanus. lib: 4. pag. 49.* (*l*) *Bonfinius. Decade. 2. lib. 1.*

genſis Epiſcopus electus, & confirmatus, annum unum ſedere cæpit, Woytiechus virtutibus & literis inſtructiſſimus, *ſecum haud modicam librorum copiam ferens*(m), Magdeburgo (ubi *novem totos annos* (n) *magnâ conſtantiâ* Philoſophus ac Theologus *perſeveraverat*) Pragam revertitur. Quia verò præcedenter apud Adalbertum Magdeburgenſem, adhuc nominatum ſolùm Archiepiſcopum, Subdiaconus ordinatus fuerat (o): ne votum à parentibus olim Deo præſtitum, & propriam vocationem in dies differre videretur, *ſub ſacræ civitatis Pragæ Epiſcopo*, (p) Diaconatûs & presbyterij reſiduos ordines, *Chriſtianæ militiæ arma, militaturus aſſumpſit* (q) atque etiam cum ſumma laude non minùs utiliter, quàm ſanctè ſacerdos exercuit: Clericis ad exemplum, alijs in admirationem. Ac-

 cidit

(m) *Coſmas & Hagek ad annum 969. Lup:23. Apr:* (n) *Breviar Polonic: in ipſo feſto in primis lectionibus. lectione 3.* (o) *Hagek. anno 969. Pontanus. lib:3 cap: 3. Paproczky de Baronibus. pag: 12.* (p) *Paproczky in Epiſcopis. pagina 271. lin. 5.* (q) *Sylveſter Pp. cap: 9.*

cidit præterea, prænominatum Dithmarum, virum juſtum, & Apoſtolicum (dum Eccleſias â fidelibus in multis locis ad Dei laudem conſtructas conſecrâſſet, & populum gentilem baptizans (r) quàmplurimum ad ovile Chriſti contuliſſet.) ſupremis angi doloribus. Præſens aderat Woytiechus presbyter, *unus extrema videntium, & verba morientis aure audientium.* Tunc, licet Philoſophus optimus, pro gloria laborante Dithmaro, in extremis didicit, quid eſſet ſeveriſſimo coram judice, juſtos etiam & perfectos, ultimum ſolvere argumentum. Diu non ſtetit hoc proſcenium, CMLXIX,
8. Januar: 4. Non: Januar: (s), cùm tantùm annum unum pro æternitate felici ſediſſet, verſâ vitæ ſuæ clepſydrâ: *vinculis carnis abſolutus, talentum ſibi creditum Chriſto reportavit centuplicatum (t). atque ita con-*

(r) *Coſmas & Hagek anno 968.* (s) *Coſmas & Hagek. 969. Bangertus in Helmoldi lib: 1. cap. 1. Lupacius & Veleslavina 4. Non: Ianuar: Paproczky in Epiſcopis. cap. 2. Pontanus. lib: 3. cap. 2. Boregk in Boleslao Pio. Drauſſovius. Miechovienſis. Kuthenus, & alij communiter.* (t) *Coſmas & Hagek. cit.*



Non ſum dignus uocari Apoſtolus. I. Corint: 15
Verſ: 5.

conſummatus in brevì, explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius (u).

3. Eo temporis Woytiechus, Coſmas inquit, *velut tener agnus, inter oves ſui paſtoris ſuper morte mœrentes, ſedulus exhibebat exequias funebres, orationibus diurnis inſtans, ſimul ac nocturnis, animam patris univerſalis, eleemoſynis* (addere licet & miſſæ ſacrificijs) *commendabat Deo largis, & precibus ſacris.* Funeri demandato primo Pragenſi præſule Dithmaro, Boleslaus Pius quomodo viduatæ Pragenſis Eccleſiæ, & communem Chriſtianorum luctum ſolari poſſet, paternè ſollicitus, novum quantocius antiſtitem providere animo adjecit. Non importunus electioni locus principi videbatur Levigradetz (w), Hagecio (x) Lybiegradum nominatus: ars quondam, & ſuburbanum Lybuſſæ Principis delicium, ab ea 712. ſuper alluentem Mol-

(u) *Sapientiæ 4. verſ: 13.* (w) *Coſmas 969. Veleslau: 19. Februar: Lupacius 11. Kal: Martij.* (x) *Hagek fol. 6: B. ad finem.*

Moldavam extructa, piſcatui, venationique tunc inter ſylvas (*y*) commodiſſima. *Ibi conveniunt dux terræ Boleslaus* (*z*), *& major populus, & pro eligendo paſtore ſententias dicunt. omnes tamen ad ultimum manus levant, aëra clamoribus implent; non haberi meliorem, nec alium oportere eſſe ſuum Epiſcopum, quàm indigenam Adalbertum: cujus nobilitas, divitiæ, alta ſcientia, & placabiles mores cum tanto honore concordarent.* Talium rerum minimè præſcius Woytiechus presbyter, invitus principi populoque Levigradij coram ſiſtitur, precibus & imperijs ad ſuſcipiendum Epiſcopale munus urgetur. Non principi, non Clero, non populi votis, in tantæ coronæ frequentia, licitum reſiſtere, nil aliud ſperare; audire nihil, quàm illud ſæpius acclamatum (*a*): *nolis velis, noſter Epiſcopus eris, & Pragenſis vel invitus Epiſcopus vocaberis. Tua nobilitas, tui mores, tui actus optimè concordant*

(*y*) *Hagek fol. 6. & fol: 86. pag: A. ſub medio, ubi de circumjacentibus ſylvis.* (*z*) *Anonym: Sury cap: 5. Sylveſter cap: 10.* (*a*) *Coſmas pag: 15. lin: 17. Hagek anno 969.*

dant cum honore pontificatûs. tu nobis talos â vertice notus ad imos: tu bene ſcis nobis pandere viam, quâ itur ad cæleſtem patriam. Woytiechus autem presbyter cæpit reſtitare vehementius, fugam partes in omnes reſpicere; verùm â proprijs etiam virtutibus intercluſus, effugium habere non potuit. Validiori enim acclamatione populi ſolicitatus, per Proſtislaum *(b)* Principis Boleslai Pij Camerarium, ad oblatum Epiſcopale ſuſcipiendum munus, magis ac magis urgebatur. Agnovit presbyter optimus, quòd ea vox populi, vox Dei eſſet: & quàmvis rem ſuam pro viribus ageret, tantique pondus officicij ſuis viribus impar, quantum poſſibile, declinare niteretur: illacrymans, etiam virtuti ſubiratus, quòd latere neſciſſet, cœlo & hominibus in caput ſuum conſpirantibus, manus dedit.

4. Illo ipſo tempore, dies erat (*c*) Dominicus, in Eccleſia Metropolitana S: Viti,

(b) Hagek fol:85. B ſub medio. (c) Sylveſter Pp. cap. 10. Villiconem fuiſſe Præpoſitum Eccleſiæ. habet Anony. Sur. cap. 8.

Viti, ex energumeno, *audientibus multis, loquutum eſt Dæmonium: cùm*, præſente Villicone Metropolitanæ Præpoſito, *presbyterorum imprecationibus urgeretur, ut exiens de homine poſſeſſo, daret honorem Deo vivo. Quid* inquit, *moleſti eſtis mihi? Væ! ſatis eſt mihi, ampliùs ſtare hic non poſſum, quia electus hodie eſt populo terræ Epiſcopus, quem valde timeo, Chriſticola Adalbertus. Sic ait, & quaſi citius dicto ceſſit impudens Spiritui ſancto: & ut flagello fugatus, exivit homine ſano* (*d*). Anonymi Surij verba ſunt. Ex tunc (*e*) omnes Cacodæmones poteſtate hujus antiſtitis è Boëmiæ finibus abactos, Bonfinius (*f*) memorat. Iſtud veriùs communi voce, felicique experientiâ probatum habemus: â temporibus noſtri Patroni, ferè per ſeptingentos annos, nunquàm, aut vix aliquando in Boëmia energumenum aliquem repertum: quod ſpeciali gratiæ Numinis, & Sancti hujus pre-

(*d*) *Coſmas & Hagek. anno 969. Anony: Surij cap. 5. Sylveſter: cap. 10. & ex his alij.* (*e*) *&* (*f*) *Bonfinius rerum Hungari: Decade. 2. lib. 1.*

precibus omnes acceptum referimus. Alterum addit vir Apoſtolicus Albertus Chanowsky S: J: presbyter (*g*). Sanĉti etiam Adalberti precibus adſcribitur ingens illud divinæ bonitatis erga Boëmos privilegium: quòd morbo lepræ, ut vulgò circumfertur, non laborent. Ille ſiquidem morbus cùm in viciniſſimis provincijs regnet vehementer, in Boëmia non modò eſt rariſſimus, verùm etiam ignotus: niſi fortè aliquis alienigena eo infeĉtus huc accedat. Haĉtenus de ſpecialibus gratijs per S: Patronum â Deo Regno conceſſis. Ea verò quam ſupra retulimus, nova ſecundi Pragenſis Epiſcopi eleĉtio, ſolùm uno ab urbe Praga milliario Levigradi contigit: die poſt obitum Dithmari quadrageſimo nono, 11. Kal: 19 Februar: Martij, eodem quo ſupra diximus anno ſalutis CMLXIX (*h*). Procopius Lupatius in Ephemeridibus Rerum Boëmicarum, breviter ſingula verbis ejuſmodi com-

(g) *In veſtigio Boëmiæ Piæ. pag: 45.* (h) *Videantur citationes. hujus capitis numer: 2. ſub citata lit: (t) Veleſlavinam & Lupacium. 11. Kal: Martij.*

complectitur : Anno D: 969, 19. Febr: Joanne XIII. Pontifice Romano, Ottone I. Romm: Imperatore, Adalbertus Slavnici comitis Lybicensîs ex Strzezyslava conjuge ſuſceptus filius, â Boleslao Pio in oppido Levigradetz eligitur Epiſcopus Pragenſis, in ordine ſecundus, Dithmari præſulis ſucceſſor : vir *nobili proſapiâ, tum vitæ innocentiâ pietatisq́ ſtudio clarus, & literis humanioribus egregiè imbutus.*

5. Omnium Regni fidelium unanimi conſenſu, novum declaratum antiſtitem, Boleslaus Pius, nomine reque ſecundus, cum delectis oratoribus ad Ottonem Magnum, regalia juxta morem cæterorum Germaniæ præſulum ab eo ſuſcepturum, illico Woytiechum decernit : & paucis interjectis diebus comparatis pro tam longa via neceſſarijs, Veronam ad Italiam ibidem commorantem Ottonem, cum nuntijs dirigit. ita communiter ſcriptores noſtri. Anonymus autem Surij cap: 6. Sylveſter Papa cap: 11. & eorum aſſeclæ, Baronius &c: quorum

non

non contemnenda manus : Woytiechi pro confirmatione, ſeu quod dicimus inveſtitura miſſionem, ad Ottonem II. Ottonis Magni filium, 983. factam volunt: quod â patrio ſenſu Boëmorum quantum deviet, annus nongenteſimus ſexageſimus nonus ad oculum oſtendit *(i)* : ſynopſim chronologicam cap: 4. num: 6. non gratuitè poſitam lector examinet. Ex quibus neceſſariò dicendum supereſt: Ottonis Magni hujus nominis primi Romm: Imperatoris, ex Germania ſecundi, Henrici Aucupis filij, Regni trigeſimoquarto, poſt coronationem autem Romanam Imperij octavo, anno nimirum CMLXIX. Woytiechum nominatum Epiſcopum, Veronam abijſſe à capite 6. Tunc magnus Otto, filio hujus

(i) Ex communi Boëmorum Sententia conſtat. VVoytiechum. Verona inveſtitum anno 969. quomodo igitur ſub Ottone II. poſt acceptam cladem ; quà à Saracenis victus ? ut vult, Anonym. Surij. cap: 6. Sylveſter cap. 11. Chron: Opatovicenſe. & Lupacius 3. Iunij. ea enim clades juxta communem, accidit 982. Error manifeſtus in Coſma. qui & inveſtituram VVoytiechi, & cladem Ottonis II. refert ad annum 969. De hac Chriſtianorum cœde videantur hiſtorici ad annum. 982. & 983.

hujus nominis Ottoni ſecundo, Theophaniam Nicephori Conſtantinopolitani Imperatoris filiam, in conjugem promiſſam habuit: ad eam decentiſſimè ſuſcipiendam, poſtquàm Otto pater legatos cum regijs muneribus, & aliquâ parte ſui exercitûs in Græciam dimiſiſſet, Græci cum Saracenis adjunctis, inſtinctu Nicephori, pleroſque trucidârunt: reliquos Bizantium captivos abduxerunt (*k*). Fidem Græcam execratus Imperator, ingentes copias ocyus in Calabriam dixerit: & Græculos eorumque ſocios, imparatos ingenti clade affecit. Ex tanto malo poſteaquam

Conturbabantur Conſtantinopolitani, ingens ad ipſam urbem confuſio devoluta, Nicephoro ſeni perfidoque, per Joannem Zemiſcem vitam abſtulit. Ob quod, ſceptrum orientis Joannes aſſecutus, Ottoni II. Magni filio, Theophaniam malè promiſſam, conjugem honorificè copulavit: & Græcis pacem reddidit. Per

(*k*) *De hac clade Chriſtianorum videantur Hiſtorici. ad annum 969.*

hoc bellum in Italia detentum Veronæ Ottonem legati principis adeunt, & Woytiechum nuper â Boëmis electum, Regiâ majeſtate confirmandum, Epiſcopum coram ſtatuunt. Auguſtiſſimus Imperator, cùm ipſiuſmet rei periculum, principis pro ſalute ſuorum ardens ſtudium, tum etiam Woytiechi præſentiam amabilem, ad id officij condignam debitè perpendiſſet: pijs Boleslai deſiderijs, & regni totius precibus facilè condeſcendit: ac
3. Junij. 3. Non: Junias (*l*) Epiſcopalibus annulo pedoque donatum, Willigiſo Archipræſuli Moguntino, & Adalberto Magdeburgenſi (*m*) Veronæ tunc unà præſentibus, jam inveſtitutum, 3. Idus Ju-
11. Junij. nij (*n*) conſecrandum tradit. Hanc diem principibus Apoſtolorum SS: Petro & Paulo ſacram fuiſſe, dicit Sylveſter (*o*) Papa.

7. Ad nutum peractis omnibus, Ottoni

(*l*) *Coſmas anno 969. & Hagek. Lupacius 3. Non: Iunij Velèslavina. & Adamus Pragenus 3. Non: Iuni:* (*m*) *ita communiter.* (*n*) *Bangertus in Helmoldi lib: 1. cap: 1. Calviſius. Paproczky de Epp. pag. 271.* (*o*) *Sylveſter Pp. cap: 12.*



Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ conſorti: bus tuis. Pſalm: 44. V. 8.

ni & Archiepiſcopis gratias referentesq; 13. Junij. nuntij, cum novo præſule Idibus Junij (*p*) tertia poſt conſecrationem die Pragam revertuntur. *Equus cujus tergo Woytiechus inſederat, non more frementium equorum, nec præproperis curſibus gradiebatur, neque auro & argento portans fulgentia fræna, ſed in ruſticum morem tortâ cannabe* (*q*) *ora ſtrictus, inceſſit ad arbitrium ſedentis.* Ita plebejo quàm Epiſcopo ſimilior, optatus Antiſtes patriæ fines ingreditur. Urbi proximosq;, & mœnia propediem ingreſſuros, (*r*) in albo monte tantiſper moratur nuntios; uſq; dum ab equo liber, calceos exuiſſet: â terra levatus, effuſis lacrymisq;, nudipes & humilis Pragam intrat. Ita beatiſſimus Præſul omnium honorum capax, nullius avidus, meruiſſe contentus, habere contempſerat. Occurrit Boleslaus Pius, ſuaque nobilitas: Clerus & po-

(p) *Coſmas & Hagek. loco citato. Lupacius. Idibus Iunij.*
(q) *Coſmas pag: 15. Hagek. fol 86. pag: A. initio Anony: Surij cap. 6. Baronius anno 980. numer. 3. Paproczky de Epp. pag. 271.* (r) *ſupra citati, & Drauſſovius in ejus vita. alijq;.*

& populus undique circumfluunt, & cunctis præ gaudio geſtientibus, inter hymnos & plauſus, in Metropolitanam D: Viti ſanctam Pragenſem Eccleſiam honorificè deductus; â primoribus Cleri ſuper Epiſcopalem ſedem collocatur. *Hujus poſtea tam præclari paſtoris Adalberti conſilio, & prædictæ atque dilectæ ſuæ ſororis Abbatiſſæ Mariæ interventu, Dux Boleslaus quicquid præſul Pragenſis, usq; hodie in ſuo poſſidet vel obtinet Epiſcopio* (s) *vel quicquid Abbatiſſa optavit dari, & fieri, utilitatis in ſuo cænobio, gratuitâ utriſque conceſſit pietate: & canonum ſacrâ confirmavit auctoritate.*

8. Eos Epiſcopales reditus, quales tunc fuerint Coſmas non recenſet; condignos fuiſſe nemo negaverit: vel exinde, quia Boleslaus Sævus Boëmiæ Epiſcopo (de quo Ottonem ſolicitaverat, nec obtinuit) Vetero-Boleslaviam, & quicquid de principatu Boleslavienſi trans Albim; ante S: Wenceslai fratricidium

I 3 ipſe

(s) *Coſmas pag: 15. Hagek. loco citato & Paproczky. cit:*

ipſe tenuerat, in perpetuos uſus (*t*) cedere deſtinavit. Quantò magis credendum eſt, Boleslaum Pium id ipſum, vel certè quid ampliùs Eccleſiæ Metropolitanæ, matri, & ſuis Epiſcopis providere, voluiſſe; maximè verò Woytiecho præ cæteris amato. Hic Princeps Chriſtianiſſimus, inquit (*u*) Coſmas, conſolator Clericorum, Eccleſiarum præcipuus fundator, viginti Eccleſias Chriſtianæ religioni ſedulus erexit, & eas omnibus utilitatibus, quæ pertinent ad Eccleſiaſticos uſus ſufficienter ampliavit. Brzevnovienſe cænobium auguſtiſſimum â fundamentis erexit, eâque munificentiâ quæ principes decet, ampliſſimè dotavit: quemadmodum ex ipſiuſmet privilegio donationis conſtat, apud Paprocium, Stemmatographiæ part: 1. pag: 347.

9. Præterea poſt mortem Sylveſtri ſecundi Moravorum Epiſcopi, cura paſtoralis Moravicæ Diæceſeos in Pragenſem Epiſcopum anno 975. devoluta, Woy-

(*t*) *Hagek. fol: 83. pag: B.* (*u*) *Coſmas pag: 14. lin: 4.*

Woytiecho noſtro nonnihil fructuum Eccleſiaſticorum ſuperaddidit. Severus enim Sextus Pragenſis, & Moravorum octavus Epiſcopus, qui ſolùm triginta tribus annis poſt martyrium ſui anteceſſoris Adalberti, ad eoſdem honores aſcenderat, quales ex Moravia reditus habere potuit, Coſmas (w) oſtendit. Wratislaus Moraviæ Princeps Spitigneum Pragenſem Ducem, & Severum Epiſcopum ad luſtricum ſui filij convivium Olomucium invitans, Epiſcopum jam etiam patrinum, ex nato recenter filio comparatum, inſtantiſſimè rogat, quatenus Pragenſi ſede contentus, alteram in Moravia capellano ſuo Joanni cedere vellet. nonaginta enim propemodum annis (x), ambitu Pragenſium antiſtitum, Olomucenſis Eccleſia ſuo ſponſo caruit, dum utrumque ſibi pontificatum Pragenſis Epiſcopus uſurparet. Primùm quidem, cur petitioni principis & patrini ſui

(w) *A. D. 1067. in Chronico. lib: 2. & Hagek. fol: 129. pag. A. in fine Paproczky de Epiſcopis pag. 285. Dubravius lib. 8. pag. 59.* (x) *Dubravius lib: 8. pag. 59.*

ſubſcribere non poſſet Severus, eam habuit excuſationem: *quod vetus res, non autem nova intercederet, quæ ſine collegij Pragenſis ſententia confici à ſe ſolo nequiret.* Verùm jam Spitigneo Pragenſi Duce, Conrado ac Ottone fratribus etiam intervenientibus, renitentem Epiſcopum Wratislaus urgere non deſtitit, *ut de jure interim ſuo Severus decederet, cætera ſe cum fratre principe in Boëmia curaturum. Dat manus tandem Severus, pontificatúmque Olomucenſem ad Ioannem, quemadmodum Wratislaus petebat, transfert: ſibíque Pragenſem retinet.* Priùs tamen, ſicut Coſmas loquitur, multorum ſub teſtimonio, hujuſmodi deliberato feudo, & allodio ſive concambio, ſcilicet ut Pragenſis præſul duodecim villas, in tota Moravia ſelectiſſimas, in refuſionem dimiſſæ ſedis eligat, inſuper centum marcas argenti de Wratislai Moravorum Ducis camera quotannis accipiat. Sekyr koſtel cum ſuis pertinentijs, Slawkoviam, quam Coſmas Slinnicam nominat, cum nundinis ac telonijs: atque Podivinam

nam caſtrum ad Zwratkam amnem ſitum, quemadmodùm ipſe præcedenter apud Moravos tenuerat, deinceps Pragenſes Epiſcopi æternùm habeant. Ex his, quantum vel unus Epiſcopatus æſtimari potuiſſet, ex facili noſcitur. Verùm â tantis, quas ipſe Woytiechus negligit, opibus abſtineamus: in pauperrimo S:Præſule poſtmodùm eas quæſituri.

10. Iſtud magis pro præſenti probandum ſupereſt: utrum Woytiechus Pragenſis, Moravorum etiam vicarius Epiſcopus fuiſſe potuerit? quod in ipſa fronte libelli, ſeu titulo Roſæ Boëmicæ præfixum eſt. Melchior Goldaſtus (*y*) ad hanc quæſtionem ita ſcribit: Poſt Methodij quidem abitum Moravia deſtructo regno & dilacerato, nullum proprium Epiſcopum habuit: nunc Pataviensi, nunc Salisburgenſi, nunc Reginoburgenſi, nunc Pragenſi Epiſcopo in ſpiritualibus ſubjecta. Donec anno 1063. Wratislaus Rex Boëmiæ diviſis Boëmiæ & Moraviæ Epiſcopatibus, quos ali-

(*y*) *In Commentar: Boëm. lib. 5. c. 5. num: 1.*

quamdiu Pragenſis Epiſcopus tenuerat, Joannem ſuum capellanum Olomucij in Moravia conſtituit Epiſcopum. Dubravius autem (z) Romam inquit abeunte Methudio, cùm in Moravia annis quinque inter pontificium duraret, Pataviensis Archiepiſcopus Joannem Moravum ſubſtituit, qui Patavienſis Eccleſiæ ſuffraganeus eſſet. Deinde 961. mortuo Sylveſtro ſucceſſore Joannis, idem *Epiſcopatus Moraviæ Ratisbonenſi Eccleſiæ, quæ tum Bajoariorum erat Metropolis, usque ad annos triginta quinque fuit unitus. inde verò per Benedictum VII. tempore B: Adalberti Pragenſis Epiſcopi operâ Boleslai Pij Eccleſiæ Pragenſi annexus: quæ unio nonaginta duobus annis, usque ad Severum Epiſcopum Pragenſem duravit.* Ita Auguſtinus Olomucenſis & Brunenſis Præpoſitus (a). Videri poteſt Goldaſtus lib: 5. cap: 2. pluribus locis, Dubravius, Coſmas, Hagecius & Paproczky. diſertiſſimè verò Prodromus Mo-

(z) *Hiſtor: Boëmi. lib: 4. pag: 26. Boregk in Chronico. pag: 40. Goldaſtus. lib: 5. cap: 2. numer: 11.* (a) *In Catalogo Epp: Olomucenſium. in Sylveſtro.*

Moraviæ. lib:3. cap:4. ex quibus rei ſeriem in compendium ita reduco.

11. Cyrillus, apud Slavos Crho vel Crhota dictus, natione Græcus, primus in Regno Moraviæ Chriſtum prædicavit, & Svatoplucum Regem, ac totam ſuam gentem ad fidem perduxit anno 873. Hic per Germaniæ præſules apud ſedem Apoſtolicam delatus, quod contra ritum Eccleſiæ Slavico ſermone divina faceret apud gentes, tanquàm ſuſpectus Romam accerſitur. verùm doctrinæ ſuæ rationem voce cœleſti comprobante, á Nicolao hujus nominis primo Pontifice, pallio donatus 887, (b) dignitatem Archiepiſcopalem in Moraviam intulit, & ſibi ſuisque poſteris in urbe regia Welegradij ſedem fixit. Anno quoque 894. ſanctiſſimus Archipræſul Borzivojum Boëmiæ Ducem (c) jam tunc ſexagenarium, cum triginta Boëmis alijs Welegradij in vigilia S: Joannis Ba-

(b) *Auguſtinus Præpoſitus loc. cit.* (b) *Coſmas Hagek. Pontanus Boëmiæ Piæ lib:1. cap: 2. ſed alij rem totam ad Methudium reijciunt. Vide Baronium anno 880. numer: 15.*

Baptiſtæ baptizavit. Et cùm in Archiepiſcopatu ſuo quinquennium ferè ſediſſet, ſubſtituto loco ſui beato fratre Methudio, quem Slavini Strachotam nominabant, Romam diſceſſit: ibique monachus apud S: Clementem, cujus ibidem ex Cherſoneſo delatum corpus locavit, mortuus & ſepultus eſt. Brevi poſt ejus diſceſſum, nempe ſalutis anno 900. (*d*) beatus quoque Methudius ab impio Svatobojo, Svatopluci filio, graviſſima contumelioſaque perpeſſus, excommunicato Regno, ad Boëmos tranſijt. hic aliquamdiu moratus, cùm & rege profugo, regnum Moraviæ â circumjacentibus Polonis, Ungaris, Auſtriacis, diſcerptum cognoſceret, & ſedem Archiepiſcopalem ab Ungaris exuſtam, ac deſolatam doleret, Cyrillum Romam ſecutus: in eodem quo frater loco 907. ſalutis anno diem obijt.

12. Defuncto B: Methudio, reſidua Moravorum pars, ea ſe Boëmiæ ducis fidei

(*d*) *Auguſt: Præpos. Brunens: in catalogo Epp: Olom: Prodromus Moraviæ, lib: 3. cap: 4.*

fidei commiſſerat, quinque annis paſtore deſtituta, pro Joanne Podivino Moravorum Epiſcopo, qui propter incurſum Ungarorum, & ſuam Podivinam ſedem exuſtam ad Boëmos receſſerat, Romanum Papam ſolicitant. Joannes acceptâ totius Moraviæ vicariâ poteſtate, mandato Joannis X. Pontificis circa annum Chriſti 916. ad ſuos revertitur: quia verò nec Podivinæ, neque Welegradij propter ſolitudinem habitare potuit: in oppido Poleſſovicz ad Eccleſiam SS. Petri & Pauli, vel ut alij ſentiunt Kunovicij moratus, Moravienſis Eccleſiæ curam per continuos ſedecim annos vicarius adminiſtravit: nec unquàm impoſterùm, â quo Podivinenſis Epiſcopatus deſolatus fuit, Epiſcopus nominari, vel ſcribi voluit. Mortuo poſtmodùm Joanne 932, rurſus Moravia per decennium vicario caruit; donec Sylveſter in ejus locum ſubrogatus fuiſſet. Novendecim quidem annis Moravienſi vicariatui ſupervixit, ſed eum titulum tenere

tam-

tamdiu non potuit (*e*) : bis tempore ſui vicariatûs, Hungari tunc adhuc gentiles, irruptionem in Moraviam fecerant, (*f*) anno 947, & 949. hoc anno ſæviſſimè graſſati, reſiduam Moraviæ partem Boëmis adhærentem, in ſuam poteſtatem redegerunt. Tunc probabiliſſimè ſuæ ſedis anno ſeptimo Sylveſter, abjectâ ulteriori ſpe gubernij, ad Ratisbonenſem Archiepiſcopum confugit, & cum facultate Agapiti II. Moraviæ curam Ratisbonenſi, cui tunc etiam Eccleſia Boëmica fuit ſubjecta, ſponte ceſſit, ibique mortuus anno 961. Oblatam ſibi ultro Moraviam Ratisbonenſis annis 35. (vel potiùs legendum viginti quinque) ad annum nempe 975. conſtanter habuit.

13. Poſteà Boleslaus Pius á Benedicto VII, ſuæ ſedis anno primo Woytie-

(*e*) *Nempè juxta hanc ſententiam. quia Ioanni ſubrogatur Sylveſter anno 941. & jus annis Moraviam tenuit, usque ad annnum 961. quo defunctus eſt. vacantem ſedem Ratisbanenſis aſiumpſit. 35. annis tenuit, ad annum igitur 996. quo Benedictus VII. jam non vixit, & VVoytiechus Pragenſem Epiſcopatum, pridem deſeruit nempe inter Vngaros & Polonos moratus, inde jamjam ad Pruſſiam abiturus.* (*f*) *Hagek ad hunc annum.*

tiecho Boëmorum Epiſcopo, ſuisque ſucceſſoribus Moravienſem Ecclesiam impetravit : quam deinceps Adalbertus, Deodatus, Helicardus, Iſo, & Severus Pragenſes Epiſcopi continuis nonaginta annis, uſque ad annum 1065. (g) pacificè conſervârunt : etiam ſervaturi poſteris, niſi Wratislaus non ampliùs Moraviæ Princeps, quod vult Dubravius, ſed Boëmiæ Dux, Moraviæ procerum inſtantiſſimis precibus exoratus, apud Severum impetrâſſet, ut relicto ſibi Pragenſi præſulatu, Moravienſem capellano Joanni cederet. quod etiam ad inſtantiam ſui principis ſub conditionibus numer: nono memoratis, facilè Severus conceſſit. Manſit hæc Epiſcopatuum ſeparatio annis uno ſupra viginti, quos Jaromirius Wratislai tunc jam primi Boëmorum regis coronati frater, Pragenſis Epiſcopus defuncto Joanne Moravorum præſule, 1086, iterum copulavit : verùm ad dies vitæ tantùm, quia Wratislaus illam ſexennem

(g) *Vide Auguſtinum Brunenſem, & Prodromum Moraviæ, locis citatis vide etiam. Veleſla. 4. Non: Martij.*

ennem unionem, mortuo fratre Jaromirio, rurſus 1062. diſſolvit, & Pragenſem Epiſcopatum Coſmæ, Moravorum autem Andreæ de Dubrawitz in perpetuum diviſit. & veterem Eccleſiæ Moraviæ ſedem Epiſcopalem ante 176. annos Poleſſovicij â Joanne conditam Olomucium tranſtulit, indeque Andreas hodiernorum Olomucenſium Præſulum, primus nominari cæpit. Videri poſſunt Auguſtinus Præpoſitus; & Moraviæ Prodromus, priùs citati.

CAPUT VII.

Epiſcopi vitæ auſteritas, in pauperes miſericordia: & Clattovienſium paganorum converſio.

1. EUm in modum beatiſſimus præſul, Pragenſem apud Boëmos Epiſcopatum ultro delatum, & per vim etiam impoſitum humillimè ſuſcipiens: quî tantæ dignitati ſuique præſulatus officio

ficio debitè reſponderet, ſeriò meditari cæpit. Tandem in doctorem gentium, Paulum Apoſtolum, ad perfectionis hujus apicem vias præmonſtrantem, incidit: ex cujus ad Titum (a) Epiſtola compendiosè legit: qualiter *oporteret Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum. ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.* Theſim hanc Apoſtolicam quia perfectè didicerat, conſtanter ac inviolabiliter tenuit: atque operibus etiam in ſe ad vivum expreſſit. *pontificatûsq; munus, quoad vixit (b), ſummâ fide diligentiâq; ſemper adminiſtravit.* Primo Epiſcopatûs anno, reditus Eccleſiaſticos abundè proviſos, quadrifariam

 divi-

(a) *cap: 1. verſu. 7. 8.* (b) *Myræus in compend. hiſt: Boëm: de S. Adalberto, apud Brovium, tom: 20. annalium in fine.*

diviſit (c) : & quartâ ſolùm parte pro ſuis uſibus reſervatâ, primam pro neceſſarijs, & ornatibus D: Viti Pragenſis Eccleſiæ, alteram Clericorum uſibus, tertiam *in agmina pauperum profusâ pietate diviſit* (d). Veteri enim ſanctæ Matris Eccleſiæ conſvetudini, ac præſcripto, morem geſſit (e), quod in ea tunc proventus Eccleſiaſticos in quatuor partes dividere mos obtinuiſſet; quarum non poſtrema, velut Chriſto debita portio, pauperibus deſtinata fuit. Quam ob rem ex antiqua traditione, illius temporis Eccleſiarum Pontifices, *Patres pauperum* (f) dicebantur. Primum in Boëmia *Patrem Pauperum*, eo titulo digniſſimum, noſtrum Woytiechum Epiſcopum, Sylveſter (g) Papa ejuſmodi verbis oſtendit: *omni die feſto quinquagenos pauperes ad miſericordiæ opera vocabat, quæ eis neceſſaria erant, affluente copiâ miniſtrans.*

Item

(c) *Offic: Polonicum. in feſto. noct: 2. lect: 3: Sylveſter. cap 13. Anonymus cap: 8. & alij.* (d) *Sylveſter cap: 13.* (e) *Paul: Layman de Eccleſiaſt: benef. lib: 4.* (f) *Laym: ibid: cap. 3. numer: 3 in fine capitis.* (g) *Anonym. Surij c. 12. Sylveſter cap: 12.*



Si comedi buccellam meam ſolus: et non comedit pupil:lus ex ea. Iob 31 V 17.

Item quotidianis diebus ter quaternos habere ſolitus erat, quos in Apoſtolici nominis honore, dape & potu ſatiabat. Una cogitatio, unum ſtudium fuit, nihil concupiſcere, nihil quærere præter Chriſtum. inquit Anonymus Surij. in ejus vita cap: 8. Tantam in pauperes miſericordiam, mortuus etiam poſt ſe reliquit, poſteaquàm in poſteros quoque Pragenſes Antiſtites, quaſi hæreditariam tranſcripſit.

2. Deodatus natione Saxo, tertius ordine Pragenſis Epiſcopus, & beati Woytiechi ſucceſſor, â Boëmis Tegdardus & „Bochdal (*h*) dictus, vir magnæ pietatis in „Deum, in ſuos benevolentiæ, verus imita„tor Adalberti; priusquàm mortem, quam „ſibi imminentem animadvertebat, obi„ret, omnem ſuam ſubſtantiam, quam „vivus collegerat, in uſus Eccleſiæ S: Viti, „pauperumque Chriſtianorum convertit (*i*). Iſo quintus Epiſcopus, dicit idem Pon-

(*h*) *Coſmas. Hagek. fol: 86. pag: A. initio, de alijs Epiſcopis videatur ſuis locis.* (*i*) *Boëm: Pia lib: 3. de Epp: in Theodato. De Izone vide Lupacium. 30. Ianuar:*

Pontanus, *in pauperes ita beneficus, ut ſingulis diebus quadraginta in ſua aula paſceret.* Arneſtus etiam primus Archiepiſcopus, cùm aulam aleret ſplendidiſſimam, ex Illuſtriſſimis Baronum & Equitum familijs collectam, ipſe tamen domi menſæ nunquàm accubuit, quin unà duodecim pauperes veſcerentur, & ad ſatietatem reficerentur; idque duobus & viginti annis, æternâ ſibi indictâ lege ſervavit. abeuntes ipſe comitabatur, & ſtipe donatos dimittebat. Eleemoſynarum præfectos duûm generum habebat, alios publicos, qui obvijs omnibus, nullo omninò paupere excepto, ſeu per urbes, ſeu per agros iter faceret, largirentur. Quemcunque proficiſcens, ipſe eminus Arneſtus conſpicaretur, & pauperem putaret, licet non petentem, celeriter ſequi famulos, & ſtipem dare jubebat. Alterum erogantium genus, erant majores aulæ Prælati, qui occultos pauperes, & quibus è ſtatu unde deciderant, accipere pudor eſt, explorarent & ditarent, hos majoribus pecunijs inſtruxerat. Præci-

puâ quoq; beneficentiâ ferebatur in pauperes, ijs per annum diebus, quibus memoria paſſionis Chriſti recolitur, in Paraſceve videlicet: ſeptuaginta aut plura ſtamina, ſeu petias criſei panni, pauperibus per conſuta pallia, tunicas & caputia dividebat. Nec in morte pauperum immemor, præter alias quæ inopi populo numerarentur, pecunias maximas, ducentas argenti marcas, pro panibus & veſtitu pauperum miniſtrorum Eccleſiæ, quorum aliquando apud S: Vitum, ſi Prælatorum & Canonicorum numerum adijcias propè trecenti fuerunt (quemadmodùm â Rdmis Capitularibus didici) teſtamento legavit: pluribus videri poteſt Balbinus in Arneſto (*k*).

3. Ad Olomucenſes quoque Moravorum Epiſcopos Woytiechi munificentiam tranſijſſe, docet Auguſtinus Præpoſitus (*l*). Henricus Zdik Epiſcoporum Olo·

(k) *lib: 4. cap: 9. toto. pag: 354. &c. Hagecius anno 1364. fol: 337. & fol: 338. Dubrau: lib: 22. Pontanus Boëmia Pia lib: 3. de Archiep: & Paproczky de Archiep: mihi pag: 323: fuſiſſime.* (l) *in catalogo. Epicopor: Olomucens. Vide etiam Hagecium fol· 184, pag: A in fine.*

Olomucenſium ſeptimus, fuit miræ ſanctitatis ac innocentiæ pontifex : miſerorumque ſingulare profugium. Et Joannes Epiſcopus ordine nonus, cognomento Calvus, vir etiam eximiæ largitatis, ac ſingularis in omnes humanitatis ac benevolentiæ. Cayn ordine duodecimus pontifex, qualem Paulus eſſe voluit, & Woytiechus per exemplum oſtendit, talis fuit: hoſpitalis ac modeſtus, profuſæque in omnes largitatis, in Clerumque ſuum potiſſimùm. Paulus ortu nobilis de Miliczin, ex Præpoſito Pragenſi propter memorabilem hominis probitatem, Olomucenſis Eccleſiæ pontificatum adeptus, in ordine præſulum triceſimus quartus, ſingulare in pauperes pietatis exemplum : quorum greges, quocunque ibat, ipſum conſequebantur, pro foribus hoſpitij ipſius continuè excubantes. hactenus Auguſtinus. Prolixiùs aliquantum in pauperibus occupati fuimus ; nec tamen ſatis pro noſtro Adalberto, quem egenis quantus quantus eſt, totum deberemus. verùm ad alias virtutes accedimus.

 4. Raro

“ 4. Rarò beatiſſimum Præſulem,
“ extra feſtum aliquod vidit meridianus
ſol manducantem, & nunquàm media
“ nox ſomno indulgentem. Stetit quidem
“ lectus altis plumis & oſtro rigidus *(m)*,
“ de die oculos hominum paſcens: nocte
“ verò aut habuit fratrem Gaudentium,
aut cæcum natum, extra quos cubili ſuo
“ amiciſſimâ familiaritate junctos, & ſe ter-
“ tium, nemo recubuit in una domo. Ipſi
“ verò nuda humus, aut leve cilicium, & la-
“ pis, pro capitis ſuſtentaculo ſomnum da-
“ bant. Corpus verò & corporis incenti-
va acerrimis attriverat jejunijs, nec ulli
“ unquàm voluptati animum dare volebat.
“ Sic mitiſſimus in omnes, ſibi ſoli inimicиſ-
“ ſimus: *refugit non ſolùm quod ſvave eſt*,
“ *ſed etiam ipſa naturæ neceſſaria ſibi dene-*
“ *gabat (n)*. Ita aſſvetus ærumnis, ut eas
etiam adamaret. Parva quies oculis, &
“ nulla venia defeſſis pedibus. Iuſtraverat
“ enim carceres, & in carceribus poſitos,
quo-

(m) *Anonymus. Surij cap: 12. Sylveſter Pp: cap: 14. Miræus & alij.* (n) *Anonym: Surij: cap: 9. ſequentia ſunt Sylveſtri Papæ, cap: 14. & 15.*

quorum longa ſeries, & infinitum agmen erat. Nulli plùs nota propria domus, quàm ſibi erat; quis, quo nomine, & in qua parte cubaret infirmus; aut quot capita rediviva ſalus vitæ redderet; quot fatalis hora Letho mitteret. Quorum omnium poſt pia obſequia, ſi ſeminis tempus erat, ad campum recurrebat, & ſatione factâ, unde viveret, proprijs ſe laborâſſe manibus gaudebat. A completorio uſque ad primam non egreſſus eſt de ore ejus ſermo, & ad inſtar monaſticæ profeſſionis nocturna ſilentia ſervabat. Quando autem exteriori curæ vacabat, uſque ad miſſæ celebrationem Davidicis utebatur colloquijs. Nemini locutus eſt verbum, quàmdiu divinæ menſæ infulatus aſſiſtebat, & ſupra Sancta Sanctorum immolabat Angelicum panem. Ita tremendum miſſæ ſacrificium in Deo ſemper collectiſſimus, ſummâ voluptate animi, ſuffuſis oculis peragebat. Pòſt, aut opera manuum elaborabat, aut cum charis Capellanis ſacræ lectionis cibaria deguſtabat. His ocijs longum diem, tali-

 bus

„bus negotijs totam ducere noctem con-
„ſvevit beatus præſul: hi ſibi mores, hoc
„ſtudium, hæc erat norma vivendi. Ne-
mo unquàm vidit Epiſcopum iratum,
nemo triſtem, nemo ridentem: unus
idemque ſemper cœleſtem quandam in
actionibus conſtantiam præ ſe tulit. Tot
Woytiechi præſulis virtutibus & exem-
plis provocati Boëmorum animi, Chri-
ſtiani virtutes, pagani fidem amplecte-
bantur.

5. Bozdiech & Vitan ex villa Stude-
necz (hodie civitati Clattovienſi ſubur-
bium eſt, ad occidentem ſitum) Boëmi
nati germanique fratres, Rohmili & Sla-
voncæ nobilium parentum filij, apud Bo-
leslaum Pium Sævi Boleslai filium â ſer-
vitijs erant (o), primò quidem pagani,
ſed prædicationibus Woytiechi Pragen-
ſis Epiſcopi converſi, ac eodem, anno
CMLXX. baptizati, gratiam ſpecia-
lem apud pijſſimum principem ſibi com-
parârunt: deinceps etiam ut firmam ha-
berent, & majorem obtinerent, ſolicitè
curâ-

(o) *Fundatio Clattovienſis. MS.*

curârunt. Eodem igitur anno, quo fidem ſuſceperant, de convertendis parentibus iterata conſilia conferunt: ſtatuuntque, Rohmilum & Slavoncam in tam ſalutari negotio, quaſi ſub viſitationis prætextu, vel obſequij filialis titulo conveniendos; id acceptum Deo, parentibus utile, gratumque fore Boleſlao Principi, Vitanus fratre doctior, & ingenio promptior, licet arduum, pietatis tamen negotium, in ſe ſuſcipit; Boleſlaum adit, rem communicat: probanteque principe, parentes inviſendi facultatem obtinet.

6. Spem totam Deo committens, ad villam Studenecz Vitanus proficiſcitur. paternè ſuſceptus ibidem dies pluſculos Chriſtianus modeſtiſſimè tranſigit: ſeque verbis & factis Chriſtianum oſtendit. Inter prandia, frequentes cœnas, de varijs rogatus, Boleſlaum benigniſſimum principem, Chriſti cultui deditum: Woytiechum Slavnici Libycenſis comitis filium, Pragenſem Epiſcopum, in prædicatione verbi & operibus vitæ ſanctum, atque admirabilem: cæteroſque

Chri-

Chriſtianos in urbe, magis & magis in dies accreſcentes, quantis poteſt, laudibus extollit. His omnibus unum Deum eſſe, ter optimum, maximum, omnium Deorum dominum: illique ſoli ſervire Chriſtianos omnes. Aliam iſtis quàm paganis poſt mortem vitam ſupereſſe: nec morituris naulo, vel danace futurum opus, ad inferos, triſtes illas ærumnas, per Acheronta, Stygem, & Cocythum, nunquàm tranſmittendis; quêis lux cœleſtis, & vita perennis per Chriſtum promiſſa creditur. Aderat Vitani verbis gratia Numinis: & ad narrata filij, parentum animi Deo parabantur. Gaudia, quàm pœnas malim inquit Rohmil, & ſedes beatas, quàm tenebras æternas optaverim. Reſpondit Vitan: beata vita tuis in manibus eſt pater optime, ſi Chriſtum, fidem, & baptiſma noſtrum ſuſceperis. Deum quem aves diſcere, Woytiechus monſtrabit, & ad æterna diriget: ſuſtiné paululùm, uſque dum, qui ad vitam deſiderabilem manu ducant, magiſtros adduxero.

7. Fi-

7. Filius Pragam reverſus, principem accedit, & qualiter notitiam Chriſti Rohmil & Slavonka parentes expetant, pluribus enarrat: oratque, ſuis incæptis, ac votis parentum, cum Epiſcopo adlaborare vellet. Gaviſus ex eo nuntio Princeps pijſſimus, petitionem ſuam, & paganorum in Chriſtum ardens deſiderium, pontifici ſuggerit: hortatur etiam, quatenus anhelantes fidem, doceat, dubios confirmet. futurum deinde, quod nobilium hominum exemplo Studenecenſium & Clattovienſium plebs illecta, ſe quoque veritati fidei facilem præbitura ſit. Placuit admodùm Epiſcopo de propaganda fide ſtudium principis, & quia domeſticis curis implicitus, per ſe non potuit, per alium poſtulata illius adimplere contendit: ac propediem Svietislaum pium & doctum ſacerdotem, circa feſta Paſchalia ſalutis CMLXXI. cum Vitano Studenecium ire jubet. Inter paganos conſtitutus Presbyter: omni curâ diligentiâque munus Apoſtolicum, ab Epiſcopo ſibi delegatum, obit: jugibus præ-



Tu uerò uigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Timoth: 4. V. 5.

prædicationibus, diurnis orationibus & nocturnis infidelem populum ad Chriſtum perducere nititur. Primùm quidem rudiſſimis barbaris, Evangelica novitas admirationi fuit: nec diu pòſt, etiam contemptum & riſum fecit: unde Vitanus Rohmili filius, quòd nullum exinde fructum ſequi cognoſceret, tædere cæpit. Triſtem & perplexum Svietislaus erigit, & verbis, quibus Chriſtianum decet, adhortatur, ſpem ſuam in cœlo figat, pro parentibus & paganis cæteris Deum precari ne deſiſtat: futurum per Dei gratiam, quod patria domus pulſis Idolomaniæ tenebris, lumen Evangelicæ veritatis agnoſcet. Verba Svietislai paulò pòſt eventus comprobavit: poſteaquàm intra illius anni ſpatium, non ſolùm Studenecenſes domini, Rohmil & Slavonka cum tertia familiæ ſuæ parte, verùm etiam Clattovienſium pene medietas fidem amplexa, fonte baptismatis ablui non dubitavit.

8. Taliter annum integrum poſtquàm Apoſtolicis laboribus Studenecij

Svie-

Svietislaus impendiſſet, ac major ſemper fidelium numerus accreſceret; è re ſibi viſum fuit, Woytiechum Epiſcopum ſuper ulterioribus fidei negotijs Pragæ convenire. de neceſſariò igitur ad urbem abitu Rohmilum informat: alios quoque Chriſtianos ad perſeverantiam hortatur. meminiſſent ſemel datam Chriſto fidem ſemper tenere, & â falſis Dijs quos ante abjuraverant, deinceps abhorrere. Rohmilus autem curaret interea ſicubi templum honori Dei dicandum, in loco Fidelium congregationi commodo, poſſit extruere: quod ipſe Pragâ redux (ſi ita Deo & Epiſcopo viſum fuerit) poſteà benedicat. Sibi tamen optimum videri, fanum gentilium, villæ ſuæ proximum, aut penitus everti; ne, ſi propinquiùs alicubi novum Deo templum conderetur, illud Chriſtianis officeret: aut Idolis ejectis, vetus Dæmonum ſpelæum, in altiorem Eccleſiam reformari. conſtare enim ſibi, quòd nulla ſit Chriſto cum Belial conventio: neque conſenſus templi Dei cum Idolis, vel juſtorum cum impijs

pijs poſſit conſiſtere. Accepto Rohmilus ſaluberrimo Svietislai conſilio, promittit ſe facturum omnia, quæ magiſter docuiſſet, ſolùmmodò Studenecenſium memor eſſet: & rebus apud Epiſcopum Pragæ compoſitis, ad ſuos quos in Chriſto genuiſſet, iterum reditum approperaret. Vix abierat Svietislaus, pro ulteriori, Studenecenſium communi bono ſolicitus, Rohmil quoque promiſſi non immemor, Apoſtoli ſui ſemel probatum conſilium proſequi conſtituit: ejectoque Dæmonij ſimulacro, novam ex fano veteri Chriſto Eccleſiam formare cæpit. Super villam Studenecz orientem verſùs collis aſſurgit, majorum Rohmili quondam ſepulturæ locus: in hoc Wiechoslaus, Rohmili avus delubrum, & in eo Clyvinam Idolum muliebre DCCCLXXIX. poſuit. Rem ipſam Fundatio Clattovienſis M: S: ſic habet.

9. Ex bello quod Neclanum Pragenſem inter, & Wlaſtislaum Lucenſem Boëmos principes exortum fuerat, in quo Styr etiam vir probatæ virtutis, in-

ductus arma principis, fortiter pro Neclano dimicans, victor evaſerat, poſteaquàm Wiechoslaus incolumis rediјſſet, domi ſuæ, Bellonæ fortaſſis, â Boëmis Clyvina nuncupatæ, gratitudinis ergò fanum, & in eo ſtatuam argenteam collocavit. Idolum tunc apud Boëmos celebre, ex quo paganis, quemadmodùm olim ex Delphico tripode Stygius impoſtor, reſponſa dabat. Hoc ſimulacrum Rohmil deijcit, deſtruit: & fanum â ſummo demolitus, novo ſumptu fornicare, & ſacris imaginibus adornare jubet. Servis autem, qui ſcilicet in paganiſmo permanſerant, audacius obloquentibus, & cum eo expoſtulantibus, quod ſacra profanaret, ſanctiſſimos Penates, & ritus eorum â ſuis majoribus ibidem â ſæculo celebratos, abrogatum iret; Rohmil in faciem reſtitit: & non ſolùm Idola palàm contempſit, ſed jus quoque ſuum & fidem Chriſtianam pro virili tutatus eſt. Paganis quidem, ſi ſalutem reſpuant, inveteratæ dementiæ miſerandam cæcitatem non invidere, neque Deorum cultum im-

impedire velle: verùm in domo ſua Idolomaniam ultro ſufferre non poſſe. Favere tamen, ſi velint, locum ſuis ritibus opportunum, alium deligant: & proximè montem ſatis altum, occidentis plagis oppoſitum, & ampliſſimis quercubus umbroſum indigitans, acceptum habere velint, promptiſſimus offert. Ibi Dijs montanis, ſylvaniſque cœlo futuris propinquioribus, haud dubiè gratiſſimum fore receptaculum. Tam inſperato duroque reſponſo Domini, pagani Studenecenſes exaſperati; contra Rohmilum, velut in Numina blaſphemum, & in parentes impium, graviter excandeſcunt.

10. Propè perierat Rohmilus ab eo profano igne, cum Studenecenſibus & Clattovienſibus Chriſtianis abſumendus, niſi latentem adhuc in cinere ſcintillam præoccupâſſet. Podhurinus enim gentilis, Dolani Chriſtiani frater, ex Czinislai familia Clattovienſis nobilis, ſervos paganos contra dominum, & contra reliquos Chriſtianos ſuccendens, infidelium

quoque Clattovienſium fomentum igni ſuperaddidit. Dum igitur adverſùs innocentes arma parantur, & interitui fidelium dies clam decernitur; Rohmil non neſcius imminentis periculi, cum ſuis & Clattovienſibus fidelibus, pro aris & focis pugnare paratus, fatalem horam armatus præſtolatur. At ubi paganorum furor in Chriſtianorum Clattovienſium cædem prorupit, inſperatus Rohmil, cum ſocia fidelium manu viriliter occurrit: multos cædit, reliquos in fugam vertit: & ſic auſpice Chriſto, penes fideles victoria ſtetit; duobus ſolùm ex parte ſua deſideratis. paganorum pluribus ſexaginta cæſis. Podhurinus Dux, & caput mali, eam, quam inteſtino bello facem prætulit, ſuo quoque ſanguine reſtinxit. Acciderunt iſta noſtræ reparationis anno CMLXXII. ſub id ipſum temporis, quo Pragæ Svietislaus Woytiechi Lybitio reditum opperiebatur.

11. Slavnik Lybicenſis comes, pater beati Præſulis, novam tunc honori D: Georgij martyris in Lybicz oppido Ecclе-



Percuſſerunt me, & uulnerauerunt me; tulerunt pal:
lium meum mihi. Cantic: 5 Verſ: 7.

cleſiam erexit : verùm adhuc Epiſcopi manus ultima, conſummando operi poſcebatur. Ad patris igitur & Strzezyslavæ matris inſtantiam cucullum indutus, manocho vel peregrino ſimilior, nudipes per ſylvarum devia (neceſſariò enim â paganorum periculis cavendum erat) Lybicium profectus eſt: & die ſubſequenti prænominatam Eccleſiam conſecrans, per biduum cum ſuis fratribus ibidem dedicationem templi celebravit. Poſt triduum parentibus & fratribus Epiſcopalem benedictionem impertitus, per aſpreta Pragam reverti cogitans, in præſentiſſimum vitæ periculum incidit (*p*). Accidit, ut ſolet â via declinantibus, quòd præter opinionem in pagum Zelenkam inter paganos inciderit. Mox ad ſpectandum habitu mirabilem, & nunquàm antehàc viſum ejuſmodi hominem, tota colonia concurrit: â ruſtcis comprehenſus, quâ gente? quâ domo? quo tenderet? ſeriò inquiritur. Homo veſtri ſimilis ego, inquit Epiſcopus: de Lybicz oppido Pra-

(*p*) *Hagetius anno* 972.

Pragam tendo. Non procul inde quiſpiam nobilis Prodislaus nomine, de Tunaci poſteris (q), villam Przerow dictam tenebat, ad eum inter ludibria & ſcurriles jocos Woytiechus deducitur: cui de multis inquirenti, B:Præſul vix verbum reſpondit. Subodoratus Eques, virum hunc Chriſtianum eſſe, ſervos accerſiri, & quo tegebatur,capucium tolli, ſudibusque præuſtis dorſum ad ſenſum metiri jubet: atque ita liberum dimitti, neſciens quem teneret. Illinc egreſſus præſul, obverſâ in villam facie ſubſtitit: Brodislao ſuisque ſucceſſoribus malè precatus. Faxit Deus, inquit, quicunque villam hanc poſſederint, ære alieno graventur & ſint ſolvendo nunquàm. Proprio tunc periculo didicit Epiſcopus, quanto eſſet odio apud paganos Chriſti nomen: vel quo in diſcrimine fidelium ſalus verſaretur.

12. Cùm ab ejuſmodi periculis triſtior domum redijſſet, ex Svietislao presbytero aliqualem conſolationem habuit, poſt-

(q) *Hagek. ad annum 679. fol; 4. pag: A.*

poſtquàm inaudijt Studenecenſes & Clattovienſes abjuratis Idolis Chriſti fidem amplexos. Quamobrem Svietislaum majori charitate proſecutus, apud ſe tanquàm fidelem laborum ſocium, aliquot dies tenuit. Studenecenſes interim & Clattovienſes Chriſtiani, maximè verò Rohmil & Slavonka, verbi divini cupidiſſimi, Rohmil per Leſyslaum & Horaunum, Clattovienſes per Dolanum & Slavoſſium nuntios, Svetislai presbyteri reditum apud Epiſcopum Pragæ ſolicitant. Sancta petentibus, benignum ſe Woytiechus exhibet; Svietislaum reddit: & qualem in Eccleſiæ benedictione proceſſum aut modum tenere oporteret præmonito, Dobrohonum & Bohuſſium capellanos, præterà cantores duodecim adijcit: muneraque ſibi Studenecio per nuntios allata, ſingulis diſtribuens, ut Deo ſemel promiſſam fidem, Svietislao ſubmiſſionem & obedientiam debitam præſtent, ſeveriſſimè præcipit: datâque benedictione & pacis oſculo, ad Rohmilum cum nuntijs dirigit.

13. Roh-

13. Rohmilus cum cæteris Chriſtianis, advenientem Svietislaum honorificè ſuſcepit: & omnibus victum neceſſarium proſpiciens, in villa Studenecz, uſque dum propriam domum ſolis inhabitandam extrueret apud ſe detinuit. Svietislaus verò presbyter tantæ Rohmili beneficentiæ viciſſim reſpondens, labores Apoſtolicos reſumit alacriùs: & quartâ die pòſt, novam Studenecenſium Eccleſiam, in feſto S: Jacobi Apoſtoli, ſub titulo ejuſdem Patroni, quemadmodùm ab Epiſcopo edoctus erat, benedicit. Prima hæc in diſtrictu Clattovienſi (qui Plznenſis hodie dicitur) S: Jacobi Eccleſia erecta fuit A: C: 973. 8. Kal: Septembris. Magnum exinde fidelium incrementum, & paganorum diminutionem Stygius Cacodæmon ultra ſufferre non valens, novos in religionem, & fideles Chriſti, dolos apparat. Nec dum novelli Chriſtiani mores veteres ex toto exuerant, præſtigijs magicis adhuc impliciti, delubrum quod poſt fanum Studenecenſe demolitum, pagani verſùs occiden- 25. Auguſti.

cidentem in Zialudenſi monte noviſſimè poſuerunt, nonnulli frequentabant, de negotijs domeſticis, & futurorum eventis Deos conſulturi. Hos, quòd ſemel Chriſtum agnoviſſent, nullis ultra reſponſis tenebrio dignabatur: ſi verò à novitate recedere, veterique religioni reſpondere vellent, priſtinis beneficijs, & amplioribus quàm antea gratijs cumulandos promittebat. Ex quo puſillus grex pœnitudine ductus, Chriſtum negare: abiurare fidem: & in cæcitatem priſtinam relabi cæpit: non precibus moveri, nec vi teneri ſeſſinens, ſemel malis aſſvetum vulgus.

14. Eum tot animarum interitum, Svietislaus continuis deplorabat lacrymis, anxius quâ viâ ſponte pereuntibus occurri poſſet: verbis ejuſmodi ſemetipſum hortabatur:

Eſt aliquis iſtis noſter in ſylvis locus,
Qui me repoſcit: hunc petam curſu incito.
Non hæſitabit greſſus: huc, omni duce
Spoliatus ibo (r).

ſine

(r) *Seneca in Thebaide: actu. I.*

ſine arbitris, cum ſolo Deo ſolus agam. Aliquando rei bene gerendæ tempus opportunum proſpiciens, ſolus unicus per teſqua & invia progreſſus, in lucum paganis celebratum incidit. Hic providè rem agere, partes in omnes, ſicubi paganorum quiſpiam præſtò, oculos verſare cæpit. Nemine hominum conſpecto, propiùs ad vaſtam & ramis diffuſam quercum appropiat: ſub ea lapideam aram, & ſaxeum deformis hominis ſimulacrum dextrâ lanceam, ſcutum ſiniſtrâ manu geſtans, ſupra verticem lampades plurimas ramis appenſas, conſpicit: aræ adgeniculatus, panſis manibus & oculis in cœlum levatis Deum precatur, tantum humani generis ludibrium è medio ſublatum vellet. Surgens illicò, quiſquis Dæmonum es inquit: per virtutem nominis Jeſu Chriſti crucifixi jubeo, ſic impero; Dæmon faceſſe: & vel ſemel tandem miſeris mortalibus ponere fucum deſine impoſtor mendaciſſime. His dictis ne fors â paganis in flagranti

tene-



In digito Dei eijcio dæmonia: profecto peruenit in uos regnum Dei . Luc: cap:11 .V.21

teneretur, ijſdem utpriùs erroribus domum accelerat.

15. Ad conſveta pagani & apoſtatæ ſolennia redeunt: & ſine læſione loco motam aram ſaxeam conſpiciunt: & manum humanâ fortiorem admirati, ſuper prodigio obſtupeſcunt. Sacra tamen de more peragunt, Idolothyta ponunt, reſponſa flagitant, invocant, clamant: enimverò ſaxea moles voce ſpirituque Pythico deſtituta, reſpondit nihil: ultimas tantùm voces protulit Vejovis miſer, vindictam expoſcentes: Svietislaus, inquit, presbyter per nomen crucifixi me elinguem fecit:

Cedere ſede jubet ttiſtemq́, redire ſub orcum.
Aris ergò dehinc taciti ſecedite noſtris.

His dictis exacerbati barbari, novum contra Chriſtianos odium concipiunt: Svietislaum & laborum ſuorum participes, quos Pragenſis Epiſcopus Pragâ Studenecium non pridem miſerat, ad mortem requirentes. Hactenus Fundatio Clattovienſis M: S:

CA-

CAPVT VIII.

S. Præſulem Boëmi dum perſequuntur, Chriſtus in ſomnis viſione dignatur. Item de Slavorum lingua, Numinibus, & Boëmorum ſuperſtitionibus.

1. QVemadmodùm Studenecij Svietislaus paganis, pari modo Pragenſis pontifex ſuis civibus gravis, dum ſatis amari non poſſet, odium retulit: quia diu illis placere non potuit, quibus æquè virtus ac veritas diſplicebat. *Graviſſime quidem* inquit Olomucenſis (a) *Dithmarum Chriſtianæ religionis hoſtes ferebant ſed multò graviùs Woytiechò ſuccedente commovebantur.* Quia licet diſcretionis artem ita ſervare nôſſet, ut eſſet in eo & juſtè conſulens miſericordia, & piè ſæviens diſciplina (b); non minor tamen in ſermone ejus, quàm in vita gravitas inerat, ac cenſoria prorſus objurgatio, quam, ut illam delicatiores aures ferre poſſent. Unde pleraque nobilitas dum

(a) *Ioan: Dubravius lib: 6. pagina 39. Pontanus lib: 3 p. 36.*
(b) *Sylveſter Papa cap: 17.*

dum impietatem ſuam infamari, dum crebra divortia, & mox nova conjugia damnari, dum barbarum in emendis vendendisque Chriſtianis ſervitijs nomen traduci ægrè ſuſtinet, inſidias illi tendere non deſtitit (c). Tam abjecta tunc apud Boëmos fuit veritas, quòd nec in homine ſancto placuiſſe potuit.

2. Prætereà beatus Pontifex unicum erat innocentibus, egentibus maximè, contrà majorum injurias præſidium: *nulli enim (d) plus nota pauperum domus, quàm ſibi erat, quis? quo nomine? & in qua parte cubaret infirmus: quot capita rediviva ſalus vitæ redderet: quot fatalis hora mitteret letho. Poſt primam (e) paſtoralibus cauſis agendis immorabatur, audient diligenter, quid cum prædato peregrinus & vidua flerent.* Et quanquàm in ſuis injurijs vindicandis neglectiſſimus eſſet; tamen cùm pauperum res agerentur, exurgebat continuò, tantâque vi, & animi fervore, ut Woytiecho præſente ſemper bona

(c) *Dubru: Pontanus. Hagek.* (d) *Sylveſter Pp: in vita cap: 14.* (e) *Sylveſt: cap: 15.*

bona cauſa pauperum, etiam contra potentiores evinceret. De quo meritò dici poſſit Erneſtianum illud (*f*) *defenſorem pauperum & advocatum miſerorum appellatum*. Hujus unius præſidio nitebantur illi: & ſive in judicio ipſe cum principe ſederet, ſive aſſiſteret tantùm, modò præſens foret, ſciebant in cauſis pauperum ſilentium tenere non poſſe, cujus authoritate & dignitate ſibi adjuncta miſeri quique pares ſe cuicunque potentiæ futuros in judicio lætabantur. Eò metuendus omnibus, quòd nullum metueret, apud Proceres quoque intolerabilem ſe reddidit. Veriti enim ne talis præſul, quantum nobilitatis genere, neceſſitudine ſanguinis, vel gratiâ apud Boleslaum præſtaret, tantò faciliùs omnem illorum ſuperſtitionem deleret, & morum perdidiſſimorum licentiam refrænarent; concepto in eum odio, extrema moliebantur. Talium inſidijs ſemel atque iterum interceptus, ſæpe etiam ludibrio habitus, reculis quæ poſt profuſam in pau-

(*f*) *Balbinus in Arneſto. lib: 4. cap. 9.*

pauperes liberalitatem domui neceſſariæ ſupererant, ſpoliatus fuit (*g*): ſemper tamen aliquid reperit eleemoſynis aſſveta manus, quod indigentibus erogare poſſet: quin imò liberalior nunquàm fuit, quàm cùm non haberet ultrà, quod daret.

3. Quâdam die poſt Completorium (*h*) cùm ſolitis orationibus incumberet, pauper quiſpiam, cui præter vitam nihil impius latro reliquit, pænali lutore ac miſerâ macie deformatus, qualia ſolent fortunæ decermina, vili flocco præcinctus, penè nudus, accedens templi limen, oſtium pulſat; & lacrymabundus Epiſcopi miſericordiam opemque implorat, nudum ut operire velit. Compaſſus egeſtati Præſul optimus, cùm tam de erogatis, quàm per vim acceptis nihil ſupereſſet, animo verſare cæpit, quo tandem modo indigenti poſſet ſubveniri: unicum quod ſupererat cervical ſericeum animo

(g) *Dubravius. lib:6. pagina 39.* (h) *Sylveſter cap:16. Anony: Surij cap: 13. Drauſchovius cap: 7. dicit: per feneſtram projeciſſe ſtragulum: alij per valvarum rimas.*



Foris non manſit peregrinus, oſtium meum uia:
tori patuit. Iob. cap: 31. V: 32.

incidit, illud de cubili tollit, plumis evacuat; iisque per domûs angulos reconditis, inane ſtragulum complicans, ſemi aperto oſtio, pauperi in manus tradit. Die ſubſequenti Villico Præpoſitus cùm cervical amiſſum â ſervis, qui fors de die tantùm ſervire ſoliti (præter Gaudentium enim *(i)* & alterum â nativitate cæcum, tertium neminem domi ſuæ cohabitantem voluit Epiſcopus) ſeveriùs exigere cogitaret, Præſul interdixit: *nequaquàm* inquit, *inimicus homo hoc fecit, ſed qui indigens erat, forſan pro explenda neceſſitate ſumpſit.* Vide ſis, philoſophi verbis utar: *quomodo animus inveniat liberalitatis materiam etiam inter anguſtias; videtur mihi dixiſſe* beatus Pontifex: *nihil egiſti fortuna quòd me pauperem eſſe voluiſti, expediam nihilominus dignum huic viro munus. & quia de tuo non poſſum de meo dabo.* Utpote Evangelici dicti memor fuit: *niſi quis (k) renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, diſcipulum Chriſti eſſe non poſſe.* de proprio & neceſſario dedit,

(i) *Sylveſter Papa. cap: 14.* (k) *Luca 14. v. 33.*

ac totum quidem illis, quos, mundo moriturus, hæredes ex aſſe nominavit. Quis pauperibus vel animo condolentior, vel manu liberalior? *ſic enim haud dubiè quaſi alienorum bonorum procurator, nec ſuperflua tantùm, ſed neceſſaria quoque in eam rem inſumens, id, quod hominis amiciſſimi erga pauperes affecti, clariſſimum eſt argumentum (l).*

4. Id Woytiechus noſter â ſuis Majoribus beatiſſimis Præſulibus, Martino Turonenſi (*m*), S: Paulino Nolano, & S: Gregorio Pont: Max: atque alijs quàm plurimis præmonſtratum, imitandum ſibi propoſuit. De S: Gregorio, Joannes Diaconus (*n*) ita prodidit: cùm aliquando pecunias & veſtes omnes in pauperes expendiſſet, etiam argenteam ſcutellam, quæ ſupererat erogavit, inquiens: *malle ſe nihil habere, quàm pauperem ſine conſolatione dimittere.* S: Joannes Eleemozynarius Alexandrinus Patriarcha teſte Le-

(l) Gregor: Nazianz: in oratione de funere ſui patris Gregorij. (m) De S. Martino, vide Iacobum Lobbetium in ejus feſto. q.2. pag: 210. col: in fine. (n) in ejus vita. lib: 1.

Leontio in ejus vita, omnia prorſus quæ habere potuit, etiam lectorum ſtragula, pauperibus diviſit : cumque pauperes tam profuſam liberalitatem mirarentur, reſpondebat: *fratres nondum ſanguinem pro vobis fudi, ſicut mandavit mihi Dominus Ieſus Chriſtus.* Majorem hâc, dilectionem profectò nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. neque Woytiechus noſter, carius aliquid habere, neque plus dare potuit: quàm animam ſuam ponere pro miſeris, ſi neceſſitas exigeret.

5. Inter hæc ſancta opera ſtrenuus paſtor, cura & exemplo ſanctæ vitæ, & verbo prædicationis inſiſtens, commiſſum ſibi populum ad juſtitiæ virtutisque tramitem perducere conatus, opus hoc miniſterij ſenſit tardiùs, quàm optabat: Boëmis in omnem vitæ licentiam effuſis, Clero quoque Pontifici inprimis adverſante, quo minùs pios ſuos conatus provehere poſſet. *ſub quorum enim tutela quique fuerunt, contra ipſum majores*

terræ concitabant (o). Acceſſit quoque ad miſeriarum cumulum, quòd Chriſtiani quos maximo labore Chriſto comparaverat â paganis graviſſimè premerentur: *oderunt* enim *illos* (p) ut quondam Iſraëlitas Ægyptij, *& affligebant illudentes & invidentes, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum.* eum in modum cùm rapinis, incendijs, & quotidianis cædibus Chriſti gregem barbara gentilitas afflixiſſet: Epiſcopus quoque per ludibria, contumelias â leviſſimis & obvijs quibusque paganis traduceretur, neque ſummæ licentiæ finis, aut modus aliquis per alios imponi poſſet, publica neceſſitas Principem poſtulabat. Pius itaque Boleslaus cohortes fidelium aliquot contraxit, & quia mitioribus pharmacis invaleſcenti morbo mederi non potuit, ferro præcidendum cogitavit. Ubi cognovit Epiſcopus, ad arma Principem deſcendere, medius interceſſit: ſeque quàmvis excipere fortunam malle dixit; quàm ut

(o) *Pontanus in oratione de S. Adalberto.* (p) *Exodi cap: 1. v. 13.*

ut ſanguis Chriſtianus cum profano miſceatur. fili mi, inquit, quam cogitas plena periculi res eſt: & metuendum verè, ne ſi Zyzania colligas, eradices ſimul cum eis & triticum. A ferro abſtine: & curam, quæ Numen ipſum concernit, Deo committe. ad fidem tuos cogere potes, ſed bonos facere non potes; hoc opus, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Nunquid potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ? Me quod attinet, officio non deero, prædicabo verbum, inſtabo opportunè: arguam, obſecrabo, increpabo in omni patientia & doctrina; quòd ſi autem noluerint averti â vijs ſuis peſſimis, anathema ſit.

6. Quo audito Boleslaus Pius, cohortes dimittit, ac paulò pòſt plures majoresque cogit, tanta enim adverſæ factionis indignatio contra Principem, qui Chriſtianos armaverat, exorta fuit, ut furor ejus & vis, ex Lucenſibus maximè conflata, niſi juſtâ acie, aliter inhiberi haud potuerit. Auxerat hoſtium animos lo-

cus, quem ſibi ad Gizeram (*q*) flumen,
non procul â Stranow, qui pagus in diſtri-
ctu Boleslavienſi ſextum ab urbe Pragâ
milliarium diſtat, egregiè munierant: in-
deque multum Chriſtianis Albim fluvi-
um accolentibus incommodabant. Ad
eum locum infeſtis ſignis convenienti-
bus, pro ſe utrique alteri alteros laceſſe-
re cæperunt. Quadriduum utrasque
acies ea velitatio tenuit, uſque dum paga-
ni, quos intra vallum fames preſſerat, ſub
auroram diei quinti Chriſtianos impa-
ratos pugnâ ſtatariâ adorirentur. trepi-
dare primùm Chriſtiani, fugam etiam re-
ſpicere parabant, niſi Bratrymilus de
Hruſkova, Boleslai copiarum Dux, e-
quo ferociſſimo inſidens, reliquos ad for-
titer pugnandum hortatus, in cuneos ho-
ſtium primus inſilijſſet: illico centurio-
nes, Beera Kowansky, Hrozek, Przed-
mirsky, Koloslaus de Kluka, cæterique
ſtrenuiſſimi paribus armis & animis ſe-
quuti; tandem & ipſa acies Christiana
mole

(q) *Boregk in Boleslao Pio. Hagek ad hunc annum. Pa-
proczky Dubrau: l: 6. Pontanus, ad Egram habet, ſed malè.*

mole ſuâ hoſtes obruit. Et quanquàm â mane uſque ad meridiem utrinque fortiſſimè pugnatum, virtute tamen Chriſtiani militis, penes Principem victoria ſtetit A: C: CMLXXIII. quo etiam Magnus Otto Roman: Rex & Imp: poſt tertium ab Urbe Romana reditum, Regni ſui 37, Imperij verò 12, Memblebiam in Saxoniam reverſus, Nonis May, Fer: quartâ ante Pentecoſten, Imperij vitæq; finem poſuit (*r*). Poſt feliciter confectum bellum, Pragam reduci Boleslao, Woytiechus Præſul cum Clero cæteriſq; Chriſtianis, pæana ſacrum decantantibus, obviam procedit: deductoq; in Urbem triumphante exercitu, Boleslaum ad Metro- 7. Maij.

(r) *Ita Baronius. anno 973. Vitichindus. lib:3. Onuphrius. Schafnaburg: Vrſpergens: Herm: Contractus: Otto Friſingens: Chron: lib:6. cap: 24. Chronica Auſtralis, & Auguſtenſis: Aventinus. Marianus Scotus. Siffridus Bucholcerus. Henninges. genealogiæ: part:2. pag: 4. in Ottone I. Fragmentum incerti: Gordonus. Calviſus. Dreſſerus. Strevesdorffius in Primate: & alij communiter. Crantzius autem Saxoniæ lib:4 cap:17. & Chronica Slavica incerti autor: referunt ad annum 974. Sigebertus Gemblacenſis ad annum 972. Bergomenſis in ſupplem: ad annum 975.*

politanam Divo Vito martyri celebrem Eccleſiam comitatur: ubi Dux & Epiſcopus in genua provoluti, pro victoria de Lucenſibus obtenta, gratias Deo retulerunt.

7. Ex feſtivis Chriſtianorum acclamationibus, quum Epiſcopus meliora ſperare cœpiſſet, illud Poëtæ (s) quàm verum eſſet, quòd

Gaudia principium noſtri ſint ſæpe doloris,

probè ſenſit: nihil propiùs factum, quàm ut cum omni memoria quantocius interiret. Dolor enim paganis ex clade Principis inflictus, quaſi Woytiechus Boleslaum in hoſtes armâſſet, totus in caput ſuum redundavit. Talis rumor, per quemcunque malevolum in vulgus prodierat, ad omnium aures pervenit, *nam is varijs hominum ſermonibus celeriter augetur: unusquisq; enim opiniones fingebat, & ad id quod ab alio audierat, ſui aliquid timoris addebat* (ss). Idcirco hoſtes Antiſtitem

(s) *Ovid: lib: 7. metamor:* (ss) *Iulius Cæſar lib: 2. de bello Civili.*

tem perſequi, & ipſam inferre mortem, cogitabant. Tunc apud Boëmos nihil exoſum magis, neque quid acerbiùs audiri vel dici potuit, quàm Woytiechi nomen, omnibus infidelibus millies execratum. Procerum etiam inſania non defuit, gentilium furori pondus additura, quo, Præſulem Principi ſummâ familiaritate junctum, gravius eliderent. Nullum quidem tunc virtus defendit æquiùs, verùm etiam nullum exercuit duriùs: natum dixiſſes Antiſtitem adverſùs eam tempeſtatem; ut regnante per Boëmiam feritate, quæ bonis omnia infligeret mala, non deeſſet etiam charitas, quæ â malis omnia toleraret. Toleravit, & naviter quidem vir fortiſſimus, omnium injurias; ad majora quoque paratus, ſi propter Deum & fidem. Quia verò multi fidelium licentiæ præteritæ non immemores, pertæſi quoque ſtrictioris vitæ, Chriſtum & fidem nauſeabant, quòd ab Idolorum oraculis, præſtigijs magicis, & majorum ſuorum ſuperſtitionibus interdicerentur, â paganis Chriſtiana Religio deri-

deriſui haberetur,& contra fideles, undique præſentiſſima vitæ pericula pararentur in dies, neque finis malorum aliquis ſperari poſſet. Spretis itaque fidelium ſacris ritibus, veterem vivendi licentiam amplectebantur, & abjurato Chriſti nomine, ad cultum Dæmonum, tanquàm canes ad vomitum, revertebantur. *Ita ſerpit illud inſitum in natura malum, conſvetudine peccandi liberâ, finem ut audaciæ ſtatûere ſibi non poſſit* (t).

--- *nihil aſſvetudine majus* (u): cujus *magnam vim* (w) Beatiſſimus Antiſtes, cùm nec infringere, neque ad meliorem frugem, humanis viribus inclinare poſſet, aſſiduis lacrymis, & ferventiſſimis precibus dextram Excelſi adjutricem interpellavit: ut quod in ſuis fidelibus ad animarum ſalutem inchoatum eſſet, ipſe divinâ miſeratione perficeret; & ſuis ac Dithmari plantationibus, per Sanctorum lacrymas toties irrigatis, deſuper incrementum daret.

8. Omni-

(t) Cicero in Verrem. action: 5. (u) Ovid: de arte aman: lib: 2. (w) Cic: Tuſcul: qq: lib: 2.

8. Omnibus & ſingulis dum unus Woytiechus occurrere, profugos ad fidem revocare nititur, ſuos quærendo ſe ipſum ferè perdidiſſet. Ne igitur vel ſui odio, majorem ſceleribus anſam præbere, vel ſuæ vitæ prodigus eſſe crederetur, perditiſſimæ genti cedendum judicavit. Pijſſimum attamen Principem, & ovile Chriſti ſibi commiſſum, multis laboribus comparatum deſerere, difficilè videbatur. Perplexus animo, in hanc & illam partem reclinabat: in utramque dubius, & anxiè ſolicitus, cælitus doceri promeruit. Dormienti Chriſtus apparet (x), è ſtrato ſurgere jubet: attonitus ad has voces, expergiſcitur, oculos & mentem arrigit. tu quis es? inquit, quâve præſumptione, vel neceſſitate, dormientem excitare, vel qua de cauſa, quieſcentem noctu ſurgere præcipis? Reſpondit: *ego ſum (y) Ieſus Chriſtus qui venditus ſum,*

(x) *Sylveſter cap: 14. Breviar: Polon: in ipſo feſto lect: 3. Vita MS. ſub Lit: B Pontanus in orat: de S. Adalbert: duæ vitæ. MM. SS. ex Eccleſia Matropolitana,* (y) *Sylveſter Papa cap: 14. in ejus vita.*



Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo pa-
tris tui: et ueni in terram quam monſtrabo tibi. Gen: 12. V: 1.

ſum, & iterum vendor Iudæis: & tu adhuc ſtertis? his dictis evanuit. Sibi necdum credulus Epiſcopus, ludibria fallacium ſomniorum optimè noſcens, ne fors per phantaſma quodpiam, ſibimet ipſi fucum faciat, caput erigit: oculos in omnes partes verſat: dormiens, an vigil ſit, melius ipſum ſe recolligit: tandem etiam è ſomno ſe verè excitatum admiratur. Hominis & vocis, perſonam & modum rigidiùs expendens, plus aliquid præter ſomnium accidere oportuiſſe, ſuſpicatur. Poſtquàm dies clarior illuxiſſet, homini docto & ſancto, Villiconi Præpoſito ſecreta pandit, rogat etiam, rem ita perplexam, ſi poſſit, interpretari vellet. Intellexit Villico quid ſomnium Epiſcopi portendiſſet, quidve voluntas Numinis faciendum ſvaderet. Ne tamen, abire parato, alas ſuperadderet, hoc prætermiſſo, alterum ſubjunxit: *quandoquidem venduntur Chriſtiani Iudæis, hanc venditionem patitur ipſe Chriſtus; cujus nos membra ſumus.* Ea ſeriò perpendens Epiſcopus, altùm ſuſpiravit, ſuas &

po-

populi vices deflens : quòd gregem ſibi commiſſum mille ſceleribus obnoxium, nec ad ſalutis viam reducere, nec â patrijs erroribus atque Idolorum cultu paganos avertere, vel Chriſtianos ab Apoſtaſia prohibere poſſet. ita tunc Boëmiæ populus varijs & propè innumeris Numinum titulis infaſcinatus erat, ut meritò, quod pridem de Romanis S: Leo pronunciavit, de priſcis Slavinis & Boëmis eorum nepotibus congruè dicamus : *magnam eos tunc aſſumpſiſſe Religionem, & nullam reſpuiſſe falſitatem : ut cùm pene omnibus dominarentur gentibus, omnium gentium ſervirent erroribus* (z). Placebit hìc, ex ijs Cimmerijs tenebris quasdam umbras, & gentilium Deaſtros hodiernæ luci denuo proponere : quanquàm â Bangerto, Dubravio, Stransky & Prodromo Moraviæ, per ſcenas, ut ſic dicam, ante reproductos.

9. Slowani, etiam Slavani & Slavi dicti (eos Latini Germanique ſcriptores, per invidiam, & perperam Sclavos

(z) *S: Leo, ſerm: 7. de Natal. Apoſtol.*

vos (*a*) & Sclavinos nominant) Vandalicæ potentiſſimæ quondam nationis victores, gens aliquando grandis & potens, novem ſupra ſeptuaginta diverſas nationes, Slavici ſermonis, ſuique juris fecit. Slovanenſis Eccleſia S: Hieronymi, Novæ Urbis Pragenſis, Emaus vulgò dicta, tabulas duas templi parietibus inſcriptas habuit, eam Slavici ſermonis amplitudinem teſtificantes: nunc verò per manum exteram unâ fideliâ deletæ ſunt. Hoc monimentum Caroli IV. Boëmiæ Regis & Imperatoris priusquàm periiſſet, quicunque tandem (*b*) typis vulgavit,

(*a*) *Dubr: hiſt: Boëm: lib. 1. pag: 3 lin: 53. placuit deinde, inquit, vicitque apud illas gentes, novum* Slavanorum *vocabulum, ex commercio unius linguæ natum. Id enim* **Slowo** *apud Sarmatas aut Slavos, quod* Verbum *apud Latinos perſonat. Quoniam igitur omnes Sarmatarum nationes, latè jam tunc, longeq; per Regna & provincias ſparſæ, unum tamen eundemq; ſermonem atque eadem propemodùm verba ſonarent, ſe uno etiam cognomine Slovanos cognominabant. Ab ipſa præterea* gloria *quæ apud illos* **Slawa** *appellatur,* **Slowutnj** (*dixero* **Slawnj** / *quod eſt glorioſi*) *dicti: huc usq; Dubr: Gratiosè quoq; & genuinè pro præſenti, Melchior Goldaſtus. lib: 1. cap. 9. §. Slavis.* (*b*) *Ioannes Opimathes impreſſit in phylera A: C: 1617. videatur etiam Drauſſov: in vita S: Adalberti c. 24.*

deq; modernæ Slavicæ, noſtræ, Poloni-
cæque linguæ gloria, Doctorem P: Plancium ita ſcribentem citat. *Lingua Slavonica non tantùm eſt lingua patria in Boëmia, Polonia & in multis alijs ampliſſimis Regnis & regionibus Aſiaticis, utpote in Iberia, quam Moſcovitæ vocant Iberskie Zemla, Kartalniskiâ, Græſinskiâ, Kapardinskâ, Petigorska, Tzerkaskâ, Igorskâ & Georgianâ. Eadem lingua facta eſt familiaris per Moſcoviticum ac Ruſſicum Imperium, in ampliſſimis Regnis Aſiaticis, Kazaniæ, Aſtrakaniâ, Zebiriâ, Iongoriâ, Samogedâ, & in Tingoëſia, usque ad maximum & altiſſimum montem Imaum. Etiam in Imperatoris Turcarum, necnon in Baſſarum aulis, lingua hæc uſitata eſt maximè, ſic, ut hodie lingua Slavonica pateat per quartam partem circuitûs Orbis terrarum.* De hodiernis populis, author nuperus intellexit. Sin verò ante Magnum Carolum, â caſcis temporibus, linguæ Slavicæ requiras majeſtatem, etiam plerasque ditiones Imperij Septentrionem reſpicientes, aduſque

mare

mare Balticum, Svecos, Norvegios, Lappos, Slavicè loquentes audijſſes (c).

10. Tam amplæ Slavorum linguæ, longè lateque diffuſæ, Religio ſuperſtitioſa una fuit. Id temporis *per univerſam Slaviam* (verba ſunt Helmoldi (*d*), *multiplex Idolorum cultura, errorq́ʒ ſuperſtitionum emanavit; nam præter lucos atq́ʒ Penates, quibus agri & oppida redundabant, primi & præcipui erant Prove vel Prono*, in Provenau, Starogradenſium ſeu Vagriorum, aut Aldenburgenſium vico celebratus. Idolum virilis formæ, ſtans in columna, coronâ caput redimitum, arrectis & aſininis auribus, altero pede tintinabulo inſiſtens; ocreas etiam indutum, ferrum rubrum & quaſi candens, per quod rei alicujus (*e*) criminis ad eam ſtatuam explorabantur, dextrâ tenuit: alterâ vexilli contum quatiebat. Idolum alterum

(*c*) *Vide Bangertum ſuper Helmoldi lib:1. cap: 2. fusè. Crantzium in Vandalia, lib:2. cap: 25. Cromerum hiſtoria Polon: lib:1. Goldaſtum lib:1. cap: 8.* (*d*) *Helmoldi hiſtoria Slavica. lib:1. cap. 52.* (*e*) *Helmol: ibid. cap: 83. Bangertus hic, pagina 189. fuſe. de Boëmis Arneſtum Balbini. pag: 130.*

terum Siwa, Polaborum ſeu Raceburgenſium, ſtabat ſtatua muliebris, utrâque manu in tergum rejectâ, alterâ uvam cum folio viridi, pomum aureum alterâ tenens, capillis per tergum ad poplites usque defluis: ea Venus Polaborum fuit, eo in monte culta, quo poſteà Henricus Leo Cæſar templum Cathedrale condidit. Tertius Ridegaſtus, vel Radagaſtus quondam Venedorum Rex, poſt mortem ab Obotritis Polabis (*f*), ſive Slavis Vinidis, inter Deorum numerum relatus, Suerinenſium vel Mechlenburgenſium Deus; totus iſte in urbe Rethra in fano ſuo ſtabat aureus (*g*); capillis capitis, avis diſpaſſis alis inſtabat. ſuper pectus tauri caput nigrum, gentis inſignia, dextrâ ſuſtinebat; ſiniſtrâ bipennem jactabat. Ita Henricus Bangertus (*h*).

II. *Inter multiformia autem*, continuat Helmoldus (*i*) *Slavorum Numina, præpollet Svantevit, Deus terræ Ranorum ſeu Rugianorum, utpote efficacior in* re-

(*f*) *Goldaſtus lib:1.cap:8. §. Radagaſto.* (*g*) *Helmoldus lib:1.cap:2.num. 7.* (*h*) *Super Helmoldi lib:1. c. 52. & 53.* (*i*) *Helmoldus lib.1. cap.52.*

reſponſis, cujus intuitu cæteros quaſi ſemideos æſtimabant, unde etiam in peculium honoris, annuatim hominem Chriſticolam, quem ſors acceptaverit, eidem litare conſueverunt. Hujus deaſtri (k) effigies erat quadrifrons, qualis olim Iani apud nonnullos, ut circumſtantes ab omni fani parte conſpectu ſimulachri perfruerētur. Dextrâ (kk) cornu, levâ arcum geſtabat: proximè ſuſpenſa erant enſis, frænum, ſella, juxtaq́ candidus equus ſtabulabatur, ſimulachro conſecratus. eum ſacerdos fani alebat; ſeq́ & populum opinione implebat, quaſi Svatovitus adversùs religionis ſuæ hoſtes equo illo militaret. Sæpe enim idem ſacerdos, anhelantem adhuc, & ſudantem, â nocturna exercitatione diluculo eum ſpectatoribus oſtendebat, ſacraq́ Svatovito, vino & placentâ faciebat. Vinum pridie ſolenniter in cornu, quod dextrâ gerebat infuſum, ſi poſtridie integrum ſine ulla diminutione manebat, bonum incrementi liquidarum fluentiumq́ rerum illius anni eventum ſignificari

(k) Dubravius Olomuc: Epiſc: hiſt: Boëm: l. 1. p. 6. (kk) apud Coël Rhodigin antiqq: lect: l. 27. c. 27. tale genus poculi ceras, & rhyta dicitur.

ficari dicebat: malum verò, ſi quid de vino fuerat ſuâ ſponte diminutum. Habuit & placenta, â ſacerdote & populo comeſa ſua præſagia, futuram ejus anni copiam aut inopiam præſagiens. Erat ſacrificium utrumque ad mores gentis appoſitiſſimum, ſiquidem in hunc usq; diem Slavini placentis & vino nimiùm delectantur; tractantq; libenter arma, & belligerantur, ſimulachrum illud vetus bellicoſum, armisq; inſtructum, imitantes. Colebatur autem Svantovitus in urbe veteri Starogrado apud Oldenburgum â quo totius Slaviæ populi, nec non & Boëmi noſtri, rebus deploratis reſponſa ac opem petebant. A S: Vito Martyre qui ſub Diocletiano Imp: martyrij lauream promeruit, hoc nomen Idolo Slavorum impoſitum, ipſa nominis etymologia probat. Svianti Vit enim apud Polonos, & Swatý Wjt apud noſtros Boëmos, ſanctum Vitum clarè demonſtrat: & nos Boëmi in hodiernum uſque, ſi quem linguâ patriâ conſalutamus, wjteg vel wjtám tè / quaſi diceres, ſalve, aut ſalvum te eſſe jubeo, indigenis

ver-

verbis ingeminamus; quod apud priſcos parentes noſtros gentiles adhuc, idem fuit, quod Svantovitum Deum ſoſpitatorem apprecari. Quomodo autem â cultu S: Martyris in Rugiorum deaſtrum illud nomen tranſierit, Joannes Dubravius (*l*), & Paulus Stransky (*m*), & alij ſcriptores luculentè docebunt.

12. Summis hiſce Dijs jungebantur quoque ſemidei, quaſi intermedij, Prono, Radigaſto ac Svianto-Vito longè inferiores. Primi fuerunt ſuperi ſeu cœleſtes, Chaſon, Ladon, Zizlila, Marzena, Ziwiena, Chrvorz, Zelun, Pohoda. Mokosla, Pochwiſt vel Nehoda: Latinis quondam Sol, Mars, Venus, Diana, Ceres, Typhon, Mercurius, ſerenitas, pluvia, nimbus, aut alia quævis intemperies. Alij Stygij ſeu inferi: Merot, Radamas, Niva, Taſſani, Sudice, Wily, Trzibek, Latinis

(*l*) *Dubravius hiſt. Boëm. lib. 1. pagina 6.* (*m*) *Paulus Stransky Reipb. Boëm. cap. 6 numer. 2. De S. Vito videri etiam poteſt Vitichindus Corbeienſis lib: 1. pag: 2. lib. 3. initio Helmoldus lib. 1. cap. 6. lib. 2. cap. 12. Letzneri Chronicon Corbeienſe cap: 3. 4. & ſeqq. Baronius ad annum 836. n. 11. & 875. num. 2. &c.*

Pluto, Rhadamantus, Proſerpina, Evmenides, Parcæ, Hecate, lues. Terreſtres alij, nempe Zel, Poleb, Sſetek ſive Skrzietek, Diblik. hoc eſt: Genius Liber, vel ut Cromero placet, Caſtor & Pollux, Lar, Veſta. Communes iſti fuerant deaſtri Boëmis omnibus & Slavis. Domi ſimiliter quisque ſuæ, Deos indigetes ferè ſibi comminiſcebatur, & præter publica illa Numina libamentis, victimis, ſimilagineis adoreis, ſive placentis, & multimodis oblationibus alijs, velut Deos Penates colebat. *Valde ſuperſtitioſus Croccus erat*, Dubravius (*n*) dicit: *ut qui fontes & lucos pro Dijs coleret*. Przemyslaus tertius Boëmorum Princeps & Lybuſſa conjunx Zelu, ſtatuam auream; Tetka Lybuſſæ ſoror natu major Climbam; Nezamyslius Princeps Craſatinam; Wogenus cum Banka conjuge, Kyhalam; Ludomilla S: Wenceslai avia Croſſinam, pro domeſticis Dijs venerebantur (*o*). Huc etiam facit

(*n*) *Dubrau: lib: 1. pag. 5. lin. 53.* (*o*) *Videantur Helmoldus, Dubravius, Stransky Prodromus Moraviæ, ſupra citati.*



Alzbieta . Prono . Swant=Vit . Ridegast . Siwa .

cit Clyvina, quam Bellonam fuiſſe exiſtimo, Viechoslai Numen apud Boëmos celebre: vide cap: 7. numer: 9. & Mars Clattovienſium, ex Idolo ſaxeo per Svietislaum presbyterum fugatus: vide eodem cap: 7. num: 14.

13. Stetit autem profana hæc ac vaniſſima terriculorum iſtorum colendorum ſuperſtitio, apud plerosque Boëmorum, non ſolùm Woytiechi temporibus, ſed etiam ad annos ſubſequentes, apud non paucos firma, fixaque. De triplici illo judicialis probationis examine, cujus in Prono Deaſtro mentionem fecimus, hic numer: 10. ſub litera citata, (e), candentis nempe ferri, aquæ frigidæ vel fervidæ, duellorumque frequentia â gentilibus deſumpta, certum & indubitatum eſt, ejuſmodi leges impias in Boëmorum animis ita invaluiſſe, quòd non priùs, quàm â Carolo IV. potuerint exſtirpari. *Quippe Boëmi ad eam ætatem* (Balbini verbis (p) utar) *ferrum candens ſi tactum non ureret; aut aquam frigidiſſimam hauſtam, neque tamen redditam; in cauſis dubijs adhibe-*

(p) *In Arneſto p: 130. & p: 134. l. 2. c. 7.*

hibere ſolebant. Totum id Carolus Arneſto ſvadente abrogavit. *Arneſtus inſuper Archiepiſcopali edicto fieri inpoſterùm vetuit, & ceſſare fecit omnino, magnâ reſiſtentiâ & diſplicentiâ Baronum Regni non obſtante.* Memoriam ejuſmodi probationum in capella S: Wenceslai Pragæ hodieq́ue videmus, ipſam illam acerram ferream, quam, candentem & prunis pleniſſimam, rei teſtesq́ue in judicijs tangebant; eam ipſe vidi, & quisque poſt magnum altare ejuſdem capellæ, ad cornu Epiſtolæ parieti infixam intueri poteſt.

14. Sexcentas adhuc alias ſuperſtitiones, Idolomaniæ proximas, apud vulgus, ruricolas maximè, & ſylveſtres illas animas hodieq́ue conſpicimus. Noti ſunt apud iſtos, Pohoda, Nehoda, Trzibek & Sſetek, ſive Skrzitek, Dij Lares â majoribus traditione relicti. Strakona civitas, annos non ante multos Idolum quoddam vidit, & mirabatur. Poſt arcem S: Procopij fors mille paſſibus ad meridiem, juxta viam quæ Volynam ducit, ad ſylvam Hole nominatam, rude quod-

dam

dam ſaxum oblongum, pluribus annis ſteterat, juſtam quidem hominis menſuram quodammodò præferens, ſed mancum & acephalū ad inſtar cylindri, truncum potiùs informem, quàm ſtatuam repræſentans. A ſummo, quo pectus ab humeris deſcendit, ſcurrilis & barda cujuſcunque bubulci manus, ſupercilia, oculos, naſum, os & mentum, clavo vel quocunque alio ferro, rudi minervâ ſculpſit, mammas etiam muliebres adjecit, per quas fœmineum ſexum, ad omnem novitatem & ſuperſtitionem facilem, ad novum cultum pelliceret. Utero prægrandi tumet illud ſaxum, quaſi parturiens fœtum, ex quo manavit opinio, Deam hanc parturientibus adjutricem eſſe, ſimpliciq; vulgò, linguâ patriâ Alzbietā ſive Eliſabetham, quā Romani Lucinam aut Levanā dixiſſent, placuit nominare. Increbreſcēte poſtmodùm ejuſmodi famâ, magnus Alzbietæ honor accedebat, ut uterum gerentes, & partui proximæ mulieres etiam à tribus milliaribus eò confluere non dubitarent, cereos, ſtrophia, faſcias, &

num-

nummos oblationis ergò, nocturnis maximè temporibus apportarent: & velut Numen aliquod novum è cœlo delapſum colerent. Perduravit ruſticus hic error inter idiotas, ad annum 1659, quàmdiu ſuperioribus ignotus fuit. Poſtquàm detectum eſſet malum, & Alzbieta proſtituta è tenebris in lucem prodijſſet; mandato Venerabilis Archi-Epiſcopalis Conſiſtorij Pragenſis, nec non Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Comitis D: D: Sacri Melitenſium Ordinis Militaris Magni Prioris in Strakonicz, per Curatum loci anteceſſorem meum, & Burggravium ejusdem dominij loco mota, & in arcem curru devecta eſt, hodieq; in arcis area prope turrim rotundam ad dextrum latus in angulo humi jacens, & huc uſque parturiens, ab omnibus conſpicitur. Ipſe ego, tunc illius adminiſtrator Eccleſiæ, turpe monſtrum ſæpius aſpexi, tantamq; parturientis Alzbietæ fœcunditatem malorum fœtuum, & iſtius Apellis lineas, obſtupui, ſæpèque riſi. Ab inteſtato hinc non abeo, R: D: illius temporis Curatum,

& Burggravium viventes adhuc, eorum, quæ certa comperi, teſtes relinquo.

15. Fatua quondam gentilitas ad tantam deſcendit inſaniam, quòd Idola, humani laboris opera, pro Numinibus religiosè, imò ſacrilegè coluerit. diuque radices egit, ut etiam per ſuccedentia ſæcula, apud nepotes firmior duraret. A regimine S: noſtri Pontificis, ad uſque moderna tempora, ferè ſeptingentos annos numero: attamen, licet Idolorum cultus longè jam â patriæ finibus exulârit, veſtigia quàm plurima ſuperſtitionum abinde deſcendentium, apud plebem, agreſtes maximè, hucuſque ſerpere, nec ex toto evelli poſſe, palàm conſtat. Quàm igitur difficilè fuerit Adalberto, tunc adhuc Idolomaniâ floreſcente, ſive Idololatras, qui vitam potiùs, quàm Deos reliquiſſent, ad Chriſtum adducere: ſive novellos Chriſtianos in obſequio fidei continere, vel profugos ad Eccleſiam revocare, lector judicet. Pugnandum fuit Præſuli optimo cum gente efera; cædibus, rapinis & incendijs aſſveta; ſacrilegijs &

ma-

magicis incantationibus obnoxia ; cum talibus converſandum, *quibus*, Ignatij martyris verba ſunt (*q*), *cùm bene feceris, pejores fiunt. Videns ergo S: Epiſcopus Adalbertus, quia divinis legibus adverſùm ire omnibus modis feſtinarent, &, obdurato corde, in Deum grandia quæque & nova ſcelera adimplere meditarentur, deflet peccatum, & amariſſimo luctu proſequitur damna prædictæ gentis. Quid ageret? vidit gubernationis fruſtrari lacertos, & plus obeſſe ſibi, quàm populo prodeſſe. Neſcius itaque primò quid ageret, ad ultimum cogitat, meliùs eſſe illos relinquere, quàm in cæco & ſponte pereunte populo operam perdere, quod maximè de tribus cauſis actum eſſe dicunt. Prima & veluti principalis cauſa; propter plures uxores unius viri. ſecunda propter deteſtanda conjugia Clericorum, tertia propter mancipia Chriſtianorum, quæ mercatores Iudæi infelici auro emebant, emptaq; omnia S: Adalbertus redimere non poterat* (*r*).

(*q*) *in Epiſtola ad Romanos. & Breviar: Roman:* 1. *Febru: noct.* 2. *lect.* 2. (*r*) *Sylveſter Papa in ejus vita c.* 18. *& apud Coſmam, in eadem vita p.* 77. *lin:*35.

CAPVT IX.

Primus Pragenſis Epiſcopi Romam abitus: rigor vitæ Monaſticæ, tentationes Dæmonis, & miracula ibidem patrata.

I. QVoties Beatiſſimus Præſul, ob gravia populi ſui delicta, Romam abierit, ſcriptores inter ſe variant, ſemel tantùm Boëmos deſeruiſſe, dicunt aliqui (*a*), neque redijſſe deinceps ad ſuos. Alij verò notant, Româ Pragam reducem, iterum in Hungariam, inde ad Poloniam & Pruſſiam abiviſſe (*b*) Neutri tamen ſatisfacere videntur authoritati Anonymi Surij cap: 26. & Sylveſtri Papæ cap: 32: qui dicunt, Woytiechum ſuos Boëmos, *non ſemel refutatam plebem, toties repulſos, toties abjectos, toties interdictos,*

(*a*) *Vetus Martyrol: aliter, Viola ſanctorum. Æneas Sylv: cap: 16. Pontanus in orat: de S. Adalb: Coſmas ad annum 995. Pontan. Boëm. Pia lib. 2. pag: 15.* (*b*) *Liber Chronicarum per viam epitomes compilatus. Boregk in Boleslao Pio. Cromerus lib. 3. pag: 36. Dubrau: lib: 6. Pontanus Boëm: Pia lib. 3. pag. 36.*

ctos, toties deſtitutos, iterum iterumque recepiſſe. Wenceslaus Hagek, & vita S: Adalberti, quæ poſtillæ Vugecij Boëmicè translatæ appendix eſt, notant S: Præſulem quater Romam abijſſe, totiesque ad ſuos redijſſe; quintò demum ad Ungaros Polonos, & inde ad Pruſſos ultimò diſceſſiſſe. Verùm nec huic ſententiæ ſubſcribimus: ex Boëmia enim Romam quater abire, ibique notabili ſemper tempore morari, & iterum toties ad ſuos reverti, & per ambages quidem, etiam per Galliam, Illyricum, Ungariam, Poloniam, quanta ſit moleſtia, quantus animarum neglectus in Epiſcopo, quis non videat? Vigilantiſſimum paſtorem, & patientiſſimum injuriarum, plus in peregrinationibus, quàm in cura paſtorali conſumpſiſſe temporis, nemo dicet. Quartam & communiſſimam ſententiam probo: Breviarium Boëm: 23. Aprilis lect: 5. & 6. Breviarium Polon: in ipſo feſto in ſecundis lect: & iterum feriâ quintâ infra Octavam S: Adalberti, & alij

(*c*) graviſſimi ſcriptores, unanimiter dicunt: quòd ſanctiſſimus Præſul bis tantùm Romam venerit, indeque toties repetitus iterũ ad ſuos redierit. Deinde propter contumaciam populi ſecedens in Poloniam, cùm iterum pœnitentiæ & obedientiæ admoneret, nec impetraret, â Polonis, cum facultate Pontificis, ad gentes converſus, Pruſſos adijt, ibique martyrio coronatus.

2 Dixi ſuperiùs *ob gravia populi delicta, cum facultate Romani ſummi Epiſcopi*, noſtrum beatum Pontificem ſedem Boëmicam reliquiſſe, ne cui fortaſſe ſciolo, vel ſacrorum Canonum contemptor, vel officij ſui negligens judicetur. Apud J: Ctos notum eſt, Epiſcopis non licere ſponſæ quam ſemel acceperint, libellum repudij remittere, quemadmodùm ſacrorum Canonum plures textus (*d*) oſtendunt.

(c) *Anony: Surij 23. April: Sylveſter Pp: apud Bzovi: tom. 20 annal. Bonfinius dec. 2. lib. 1. vita MS. ſub lit: B. Ribadeneyra. Monologium Bucelini, Aubertus Myræus. Drauſchovius in vita.* (d) *in cap. literas in c. admonet in c. ad ſupplicationem, extra de renuntiati. Potiſſimùm autem in c. niſi cùm pridem D. Tho. 2. 2. q. 185. art: 5. ad prim: Laymannus qq. canonic: de Prælatur: Eccleſiaſt. q. 170. & ſeqq.*

dunt. Adſtricti ſunt enim Epiſcopi jure jurando ſummo Pontifici, uti ex ipſorum forma juramenti cognoſcitur, plenam & perfectam obedientiam: adeoque ſine conſenſu Romanæ Sedis, etiam ingrediendæ religionis causâ, illicitum eſt ijs Epiſcopatum relinquere (c); quia Pontifex conſenſum ejuſmodi ſibi reſervavit. Præterea ſi pro arbitrio licitum eſſet religionem ingredi, poſſet id in magnum damnum Eccleſiæ cedere. ſic Leſſius de Juſt: & Jure. lib: 2. c. 41. dub: 3. num: 24.

3. Purpuratus Pater, B: Petrus Damiani, *opuſculo 19. de abdicatione Epiſcopatûs*, contra præſens argumentum, exemplis 24, etiam miraculis, ſuam tuetur ſententiam: quòd amore religionis, plures aliquando Sedem Epiſcopalem ſpontaneè dimiſerint, & profeſſionem religioſam ultroneè ſuſceperint, ſæpius factitatum adſerit. Etiam noſtrum S: Epiſcopum ſuarum facit partium; de quo ſic habet: *quid B. Adalbertum Martyrem dicam? qui, nimirum quoniam Boëmenſis Ec-*

 cle-

(c) *per textum in d. cap: niſi eum pridem.*

cleſiæ poſtpoſuit cathedram, monachum induens, triumphalem martyrij meruit invenire coronam. Idem repetit. *opuſc: 20. cap:2.* Ego, ne quidem pilum inter ſacros Canones, & Patrem Eccleſiæ interpoſuero. Verùm quid ad noſtrum Sanctum, Sylvanus Philippolenſis (*f*), propter ſolum frigus, illius diœceſeos Epiſcopatui & laboribus abrenuntians? Longè quoque removendus erit â noſtro Divo Conradus Hlohovienſis Princeps (*g*) Vratislavienſîs Eccleſiæ Præpoſitus, electus Salisburgēſis Archi-Epiſcopus. Hic (quemadmodùm Viennæ Auſtriæ inaudierat) propter defectum Zythi triticei, communiter albam cerevifiam dicimus, Archi-Epiſcopatu relicto, domum redijt. Magis aſſimiles adducam ex eodem Damiano Pontifices; S. Gregorium Nazianzenum, ob invidiam quorundam ſponte Conſtantinopolitanam Sedem deſerentem: B: Mileſium Perſicæ cujuſdam civitatis

(f) Idem B. Damianus. tom:3. opuſculo 19. cap. 5. (g) Miechovius. lib 4 c. 5. VVo ff: Iuſtus, & ex his Veleslavina Calendarium 5. Idus Octobr: mihi pag: 528. lin. 6.

tatis Epiſcopum, qui cùm nullum fructum apud oves ſibi concreditas facere potuiſſet, Eccleſiam reliquit, civibus maledixit, & ſe peregrinationibus ſacris impendens, tandem in eremo inter Ægyptios occuluit: & Genebaldum Gallum Laudunenſis Eccleſiæ Præſulem, ultro ſedem honoris ſubterfugientem, ab Angelo, atque B: Remigio rurſus ad officium revocatum. Juſtum quoque Lugdunenſem Antiſtitem in medium adferrem, niſi commodiori Patroni noſtri cauſæ reſervarem. Nec operæ pretium eſt, in multos inquirere, quia pleroſque Sanctorum Præſulum videmus, non ob levem qualemcunque titulum, ſed ex graviſſimis cauſſis, & cum ſpeciali ſummorum Pontificum aſſenſu, ſuas dignitates cum profeſſione monaſtica commutâſſe. *Per textum in d. cap: niſi cùm pridem*, ſex præcipuæ rationes apud Canoniſtas his verſibus contentæ, numerantur:

Debilis, ignarus, malè conſcius, irregularis,
Quem mala ples odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Itaq;

Itaq; legitimè cedentem Pragenſem Antiſtitem quid moremur? Accinctum viæ, Romam potiùs, quod ſvadet pietas, filij ſanctiſſimum Patrem comitemur.

4. Quinto poſt ſuſceptum Epiſcopatum anno, ſalutis noſtræ CMLXXIV (*h*), quum ſolertia unius contra tot vitia prævalere non poſſet, & Woytiechus omnem operam in curandis reiculis perderet, evitandi etiam illius odij, ſuæque animæ ſalvandæ causâ, Romam abiturus, Boleslaum Principem, Slavnikum & Strzezyslavam parentes, necnon amicorum quoſdam, de ſuo diſceſſu certiores fecit. Nec multò pòſt cum tribus (*i*) ſocijs, Gaudentio (*k*) germano fratre, Vitano (*l*) Studenecenſi nobile, â quo deſcendentes, poſteà Fontini dicti: & quantum ex Anonymo (*m*) Surij colligitur, cum Villicone S: Prag: Eccleſiæ, Præpoſito, nudipes Romam proficiſcitur. Per viam

(h) Hagek ad hunc annum pagina 88. col: A. (i) Sylveſter Pp. in vita. cap: 24. in fine. Vita M.S. ſub litera B. (k) Æneas Sylvius cap: 16. Hagek. Paproczky. Drauſchovius, &c. (l) Fundat: Clattovienſ. M.S. (m) in vita S. Adalb: c. 5: lin. ultima.

am in tranſitu Svietislaum inviſit; impertitá Studenecenſibus benedictione, Boëmiam egreſſus, ad ſanctam Urbem, tot Apoſtolorum & Martyrum gazophylatium Romam, eodem quo Boëmos anno deſeruit, CMLXXIV feliciter pervenit, (*n*). Ibi Benedictum ejus nominis VI (*o*), vel Bonifacium VII. Woytiechus peregrinus & exul, cauſas ſui abitûs expoſiturus, accedit: talibus Pontificem alloqvutus (*p*). *Commendatus mihi grex, me audire non vult, nec capit ſermo meus in illis, in quorum pectoribus Dæmoniacæ ſervitutis imperia regnant. & Regio eſt, ubi pro juſto, virtus (* vim puta *) corporis, pro lege voluptas dominatur.* Omnibus & ſingulis ordine recenſitis, tandem â Benedicto poſtulat, ut, Boëmos jugum Chriſti palàm excutientes, diris devoveat; & cùm divinæ legi, ſuique Præſulis admonitionibus audaciùs oblatrent, vel ſic brachium Eccleſiaſticum experti, tandem reſipiſcant.

(*n*) *Hagek. Paproczky. cæteriq;.* (*o*) *videatur hoc ſchiſma apud Baronium Bullarium Gordonus &c. in hunc annum.* (*p*) *Sylveſter. c.19.*

Eas prægnantes cauſas in conſilio Papa recognoſcens, effrænes Boëmos Eccleſiaſtico fulmine perſtrinxit: exulem verò Epiſcopum conſolatus *fili*, inquit (*q*), *quia te ſequi nolunt, fuge quod nocet; operæ pretium eſt enim ut ſi de alijs fructum ferre non potes, vel te ipſum non perdas. Quare, meo conſilio arripe tibi otia contemplationis, & ſede inter eos qui vitam quietam in ſtudijs dulcibus & ſalubribus agunt. Hâc itaque veluti divinâ reſponſione animatus, cùm ad æterna Sanctorum gaudia ardenti deſiderio anhelaret, ſtatuit ſecum, natale ſolum notioresq; populos relinquere, ac decrevit, pro domino peregrè proficiſci.*

5. A paſtoralis officij cura poteſtate Eccleſiaſticâ ſolutus, etiam ad ſanctam civitatem Hieruſalem peregrinandi facultatem obtinens, aſſumptis Gaudentio & Villicone (Vitanus enim (*r*) ſtudijs operam daturus Romæ ſubſtitit) orientem verſùs progreſſus, ad Caſſinum uſq; montem, celeberrimum Benedictinæ fami-

(*q*) *Sylveſtr.*, *ibidem.* (*r*) *Fundatio Clattovienſis. M. S.*

miliæ cænobium pervenit. Dies ibidem aliquot moratus, vias Hieroſolymitanas progredi cupiens, â Caſſinatenſi Abbate ſeriò commonetur, ut ab hac vaga pietate, vitæque perfectioris neglectu remitteret: meminiſſetq́ue moniti quod *ep:13. ad Paulinum*, poſteà Nolæ Epiſcopum, dediſſet Hieronymus, ſcilicet: non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis benè vixiſſe, laudabile eſſe: illamq; expetendam civitatem, non quæ Prophetas occidiſſet, ſed quam fluminis impetus lætificat. Nec etiam credentes locorum diverſitatibus, ſed fidei merito ponderari. Quid igitur tibi Adalberte neceſſe eſt, inquit Abbas, ea videre, quorum contemptu monachus eſſe cæpiſti? dicis in templum domini ibimus, ad ſepulchrum Chriſti? hoc eſt quod timeas; ut, cùm loca tantùm percurreris, ab ipſo Chriſto nè longiùs recedas. Templum domini nos ipſi ſumus: aliud itaque agis quidquid præter tuum agis. Viam quam acquirendæ beatitudinis causâ cæpiſti chariſſime frater, longè eſt â recta via, & ab illa

„quæ ducit ad vitam. perplexitatibus quip-
„pe ſæculi carere magni animi eſt : ſed
„quotidie nova loca mutare minus lauda-
„bile eſſe videtur. Sicut enim hyberni
„maris inconſtantia malum nautis, ita va-
„gatio de loco in locum, periculum ſui ſe-
„quacibus minatur: uno autem ſtare loco,
„& ſupernis viſionibus liberiùs perfrui,
„non nos, ſed præcepta majorum noſtro-
„rum, virorumque fortium exempla tibi
„(s) dicunt.

6. Placuit Adalberto plena perfectionis admonitio, ibique manſurus, niſi venerabilis Abbas loci (fors ex Villicone, vel Gaudentio reſciverat) Epiſcopum nominâſſet. His abiturientem alloquutus fertur: *bonum eſt ut maneas hìc nobiſcum, monachicum induas habitum; hìc Deo placitum vivere ducas, noſtras quoque Eccleſias novo opere conſtructas noſtraq; altaria cùm ſis Epiſcopus conſecres (t).* Hoc

(s) Sylveſter cap: 21. Anonym: cap: 21. *(t) Sylveſt: c. 22. Leo Oſtienſis lib: 2. cap. 17. cauſam eam refert diſceſſûs à monte Caſſino, quod à Monachis Caſſinatibus, non tanquam Epiſcopus honoraretur: cum tamen is ignotus, & humilis videri, & eſſe vellet.*

Hoc dicto perculſus Adalbertus, ſe jam etiam Epiſcopum ſciri & nominari, graviter tulit. Quare mutato conſilio, & Caſſinenſi monaſterio valere juſſo, iter quaſi diei unius progreſſus, ad Abbatem quendam Græcum, famâ ſanctitatis celebrem, è patria cum nonnullis ſuæ religionis fratribus exulem, B: Nilum deſcendit. Ibi cùm reſcîſſet ſub regula S:Baſilij complures monachos auſteram vitam ducere, manuum ſuarum laboribus parciùs vivere ſanctiſſimum virum ſupplex acceſſit: & in genua provolutus, in eandem ſacram familiam ſuſcipi rogavit. Precibus & lacrymis Adalberti Nilus ut paternè ſuccurrat, tali reſponſo ſolatur (u). *Suſciperem te dulcis nate, ſed hæc ſuſceptio mihi meisq; nocitura tibi tamen minimè profutura eſt. Etenim ut iſte habitus, & intonſæ barbæ pili teſtantur, non indigena, ſed homo Græcus ſum: terra autem quantulacunque eſt, quam ego, & mei mecum incolunt, illorum Sanctorum ſeniorum & fra-*

trum

(u) *Sylveſt: cap. 23. apud Bzovium in fine tomi 20. Ano- Anonym: Surij cap. 12.*



In domum domini ibimus, ſtantes erant pedes noſtri. Pſalm: 121 V.2.

trum quos tu non bene fugis, propria eſt: quòd ſi unà nobiſcum habitaveris, tollent illi quæ ſua ſunt, & ego cum charis filijs foras expellar: tu de incerta re incertus eris. quin imò accipe patris conſilium, & unde digreſſus es repete Vrbem Romam. Abbatem Leonem ex noſtra perſona, omniumq́; fratrum ſalutabis, ad quem epiſtolam noſtram feres, rogantem; ut aut te apud ſe, quod plus volo, retineat: aut ſi ei difficilè apparet, Abbati monaſterij S. Sabæ meâ te vice commendet.

7. Tam ſalubribus B: viri conſilijs paret Adalbertus, atque in urbem rediens, ad SS: Bonifacij & Alexij monaſterium deductus, Abbatem Leonem accedit, B. Nili literas, & ſalutem defert: Leo perlectis epiſtolis, ut ex longo uſu ſuſcipiendorum ſpiritus probare doctus erat, Adalbertum torviùs intuetur, indignationem ſimulat, dura & aſpera minatur: ac proinde, qui labores vel quantæ eum difficultates expectent, ſeriò proſpiceret. Serius autem ſuique tenax propoſiti Adalbertus, quæ Leo difficultatis plena recenſuiſ-

ſuiſſet, leviſſima reputans, nec aſperis Abbatis comminationibus, neque ingruentium tentationum periculis, â concupita ſemel vita monaſtica repelli, vel flecti potuit. Judicabat enim B: Præſul, nil ſibi tam grave accidere poſſe inter ſanctos, quod, in adverſis jam obduratus animus quadriennio vel ampliùs non expertus, fuiſſet inter impios. Ubi cognoviſſet Abbas virum hunc ſibi licet ignotum (w), quemadmodùm etiam duos reliquos, ardenti animo religioſam vitam expetere, petitioni eorum condeſcendit: & unà die Tyrones tres, Adalbertum, Gaudentium & Villiconem (x) in ſuæ familiæ cætum ſuſcepit, anno CMLXXV; & in hebdomada ſancta, *quâ die Dominus* (y) *diſcipulorum pedes lavit; eisdemq; Evchariſtiæ panem fregit, ac benedixit*, *monachico habitu Adalbertum induit. Sabbatho autem ſancto quando baptizati Catechumeni criminalibus vinculis ſolvuntur, ſoluta eſt*

&

(w) *Hagecius anno 974, contra Sylveſtrum Papam. c. 24. MS. Vita B. prima, Coſmas in Chronico anno 990.* (x) *Hic videatur Anonymus cap: 5. qui etiam ſenior eſt, contra Sylveſtrum, cap: 24.* (y) *Sylveſter c. 24.*

& ipſi capite pendens cuculla : ſicq́; ſecundùm regulæ morem fratrum numero aggregatus eſt.

8. Humilem Religioſum indutus, in omni charitate, manſuetudine, obedientia, jugi patientiâ ſic geſſit, ut ſpeculum cæterorum eſſe potuerit, placiditate morum omnibus amabilis : *altitudine virtutum longè antecellens. ſi cui fortè invidia ſuæ ſanctitatis, hunc humilitate citò placabat*, inquit Anonymus (z): *ex ore ejus nunquàm contentio, nunquàm amara profecta eſt murmuratio. & cùm Abbas vehementiſſimè eum increparet, occurrit benignâ patientiâ, & ſemper flexâ humilitate. Erat lætus ad omne injunctum opus, non ſolùm majoribus, ſed etiam minoribus, obedire paratus : ſicut ad epulas ita ad complenda juſſa feſtinus.* Dignitatis prioris oblitus, per contemptum ſui, ad omne quod abjectiſſimum eſſet, ultro ſe ingerens; minimum haberi, & eſſe, pro maximo duxit. coquinæ fratrum & lotioni proprijs aquam humeris portare, ſcutellas

(z) *Anonym. Surij cap: 13.*

tellas & quadras abluere, cellas ſcopis verrere, lixis & calonibus vicem & operam conferre, abjectiſſimis quibusque parere vel ſubeſſe, honori ſibi eſſe credidit. Improperia, probra, & ejuſmodi exaſperationes, velut ſalubrem & fraternam correctionem, æquiſſimo animo ſemper tulit: id unicum pro injuria reputans, ſi fors neſcius, cuipiam ſervire neglexiſſet.

9. Humillimam ſui abjectionem, perfectam ſuperioribus obedientiam, & fervidam erga fratres charitatem atque patientiam, quum diutius Cacodæmon non eſſet ferendo, pravis & immundis ſuſurrationibus eſt aggreſſus: ſed quia puriſſimus Adalbertus (a) *cognitionem tacitam in ſe regnare nunquàm permiſit, quidquid accedens ad animum Diabolus dixit, ſtatim ſenioribus palàm fecit*: & ita malè ſuadentis Dæmonis technas illuſit. *Nec ceſſabat intereà æmulus hoſtis, nunc aperto bello, nunc latentibus inſidijs eum impugna-*

(a) *Anonym: cap. 13. Sylveſter cap: 25. Vita M. S. ſub Lit: B.*

gnare (b). Nam cùm ille teſtacea vaſa interdum aquâ, inquit Sylveſter, *interdum vino plena portaret, Diabolus callido aſtu lapſus parabat, ut his confractis in partes, ſancti viri faciem ingenti rubore perfunderet. Hæc dum multoties fierent, & ipſe ſemper veniam proſtrato corpore peteret, tandem ultor ejus confuſionis reſpexit ad hæc negotia Deus.*

10. Aliquando cùm menſæ fratrum vinum attuliſſet, Leo prænominatus Abbas, in vitrum infundi, ſibique porrigi juſſit. Id cùm ocyùs adferret Adalbertus jam jam in manus Abbatis traditurus, canis quidam titione nigrior, nunquàm antehàc ibi viſus (Stygium Cerberum fuiſſe quis dubitet) præceps in menſæ miniſtrum irruit, moleque ſuâ pedes ejus ita ſuccuſſit, ut in terram cadenti, vinum quod tradebat, unà cum vitro ſuper pavimentum ſtratum marmore de manibus labi, confringique neceſſe fuerit. Rubore ſuffuſus Adalbertus, celeriter aſſurgit: & ſuper collectis fragmentis formatâ

(b) *Sylveſter cap. 25.*



In eo enim in quo paſſus eſt ipſe, et tentatus, potẽs
eſt et eis, qui tentantur auxiliari. Hebræ: C.2.V.18.

cruce; (mirabile dictu,) redintegratum vas, vino ut ante plenum, Leoni porrigit (c).

11. Quondam etiam matrona nobilis, ejuſdem cænobij templum ingreſſa pro ſuis neceſſitatibus Deum precabatur. Finitis precibus per quoſdam clauſtralium rogata, placeret eam Religioni præſtare charitatem, & cibum unà ſumere. Reſpondit illa (d); *jam pleno triennio ſe panem non guſtâſſe*, nec manducare poſſe. S: Adalbertus advertens eam â morbo nauſeam proficiſci, panis buccellam ſigno crucis benedicit: & infirmæ prandenti porrigens, inquit: *in nomine Domini mei, filia hunc benedictum comede panem.* Credidit pia mulier, & buccellam abſumens, veterem panis appetentiam illico recepit. Non abſimiliter Joannis Urbis Romanæ Præfecti filia, atrociſſimis febrium doloribus agitata (e), periclitari cæ-

(c) *Sylveſter loco cit. Anonym: cap: 17. Hagecius fol. 89. A. ſub medio. Paproczky in Epp: pag: 273. Pontanus in concione de S. Adalb.* (d) *Anonym: cap. 18. Sylveſter cap. 25. Drauſchovius verò, cap: 10, dicit annis 12.* (e) *Sylveſter Pp: cap 25. Drauſchovius c. 10.*

cæpit. Medicis nihil proficientibus, Sanctus noſter, â miraculis jam notus, accerſitur : eam accedens Adalbertus, manu tetigit, & mox omnis infirmitas â puella receſſit. Tertiam addit puellam *Anonymus cap: 18.* graviter oculis laborantem : hanc etiam per ſolam orationem, & manuum impoſitionem, priſtinæ ſanitati reſtituiſſe fertur.

12. Eum in modum cùm Thaumaturgus noſter ad S: Bonifacium ignotus & adoxus, in omni ſubmiſſione, patientia, & aſperitate vitæ, totum *(f)* quinquennium exegiſſet, Boëmi propter ejus abitum, & ſua graviſſima delicta, vindicem Dei manum graviorem experiebantur. Graviter quidem ante, & ſuccedentibus annis hoc Regnum identidem fames afflixit *(g)* : nunquàm tamen diutius, aut

(f) Breviarium Boëmicum, & Polonicum & Anonymus Surij. in ejus vita cap:13. contra Hagecium, qui vix triennium, Romanæ monaſticæ vitæ, eidem ſancto poſt primum abitum numerat. *(g) frequentem in Boëmia famem memorat Hagecius. fol. 25 pag. B. fol. 31. A. ſub initio. fol. 44. A fol: 145. A medio. fol. 79. A ſub medio. fol. 98. A. fol. 119. B. & fol. 151.*

aut vehementiùs atque modò A quo enim Beatiſſimus Præſul Romam diſceſſit, cœlum â conſveta clementia deſijt: & quàmvis æſtivo tempore nubilum, ſæpius optatas pluvias ſpopondiſſet, præter coruſcationes, fulgura, & horrendum tonantia fulmina, Panicosq́ue terrores, dabat nihil. Ita cùm ſilice durius contra induratos cœlum toto ſexennio ſtetiſſet, neque ſolitam deplueret ubertatem, nec agri fruges proferre poſſent, greges & armenta paſcuis, homines alimentis deſtitutos, fame & peſte emori neceſſe fuit. Toto ſexennio ſuper Boëmiam non pluiſſe contra Hagecium dixi, ſed gravibus innixus authoritatibus, nempe Breviarij Boëmici 23. April: in vita Breviarij Polonici in ipſa die feſti in ſecundis lect: noct: 2, & 5. die infra Octavam lect: 2. & Anonymi Surij cap: 13. cum quibus etiam alij dicunt S: Woytiechum totum quinquennium inter clauſtrales latuiſſe. Quòd ſi autem verum ſit, juxta communem ſenſum, ab eo tempore quo Woytiechus è Boëmia diſceſſit, iterum ad uſque ſuum

reditum ſuper Montem-Viridem, pluviam apud Boëmos nullibi fuiſſe viſam, dicendum erit neceſſariò contrà Hagecium ad annum 977, & ejus ſequaces, plenum ſexennium irrigatam non fuiſſe Boëmiam: quandoquidem juxta hunc, 974 circa menſem Martium Woytiechus Boëmiam deſeruit. Profectus Romam, inde ad montem Caſſinum, & B: Nilum deſcendit: ubique temporis aliquid inſumens. quòd ſi Romanum in Boëmiam reditum cum prioribus moris conferamus, annum plenum efficient: addamus quinque reliquos in monaſterio transactos, ſex plenos annos habebimus. adeoque toto ſexennio Boëmiam ſiccitate, fameque preſſam tanquàm certum exiſtimo.

13. Tot affectus malis Boëmiæ populus, cùm aliter divinam iram declinare non poſſet, quantotius placandam credidit. idcirco Christiani malè transactæ vitæ pœnitudine ducti, â peccatis reſipiſcere, & Deum toto corde requirere cæperunt. Ex paganis etiam ab Idolis multi de-

ti deſciſcentes, ad fidem & baptiſmum ultro properârunt. Princeps quoque cum Clero jejunijs & orationibus intenti, haud ſegnius, die noctuque propitium Deum precabantur. Totius Regni clamoribus & gemitibus tandem commotus Deus, Boleslaum Pium intempeſtâ nocte in Baſilica pro publicis neceſſitatibus ferventiùs deprecantem viſione cœleſti & voce dignatus eſt. Audierat Pius Princeps, cœlum imbres non daturum priùs, quàm exul Epiſcopus ſedi priſtinæ reddatur: & populus ab Eccleſia vinculo excommunicationis ligatus, ab eadem poteſtate ſolvatur. quo facto conſvetâ ſibi clementiâ omnino nubes pluviam, & agros fœcunditatem allaturos. Tali monito, cælitus inſpirato, Dux exhileratus, die ſubſequenti convocatis urbis Presbyteris, quæ præteritâ nocte ſibi contigiſſent, coram pandit, & ex ſvaſu omnium Epiſcopum revocandum ſtatuit.

14. Ne igitur Princeps clementiſſimus neceſſitati publicæ deeſſe videretur, eodem anno CMLXXX Menſe Aprili

li (*h*) ſex viros electiſſimos, è Clero duos, Bolehoſtium & Mysliborium, è laicis quatuor, Crzivanium, Roſislaum, Wnymirum, & Jarekum nobiles ad Benedictum ejus nominis VII cum epiſtolis Romam direxit, qui, Principis & totius populi nomine, reditum Epiſcopi ad Sedem Apoſtolicam ſolicitè curarent. Ibi per dies aliquot Epiſcopum Pragenſem inquirentes, cùm non reperiſſent, ipſum Pontificem adeunt: literas & ſalutem Principis, totius etiam Regni vota ſubmiſſiſſimè deferunt. Benedictus perlectis literis, ita reſpondiſſe fertur: Pragenſis Epiſcopus quem ſolicitè requiritis, ubinam ſit locorum, in hac urbe nemo novit, nobis tantum de illo conſtat. Cænobium SS: Alexij & Bonifacij accedite, ibi quondam Boëmiæ Epiſcopum, nunc monachum, Adalbertum quærite.

15. Sic informati nuntij, ad S: Bonifacium deveniunt, ingreſſique cænobium, Adalbertum de longè cognoſcentes, feſtinanter adeunt: pedibus ejus provo-
luti

(*h*.) *Hagek. fol. 89. A lin: 1.*

luti humillimè ſalutant. Id conſpicientes fratrum aliqui, ad Abbatem mox deferunt, & viros quoſdam advenas Adalbertum fratrum minimum honorificè ſalutare, & linguâ non patriâ, ignotâque colloqui, nuntiant. Abbas quantocius clauſtrales omnes adeſſe, ignotosque homines coram accerſiri jubet: quinam? unde domo? vel ob quam cauſam huc? & ad fratrem iſtum venirent? ſedulus examinat. Reſpondit Mysliborus Presbyter: Venerabilis Abba, duo de Clero, quatuor reliqui nobiles Boëmi mandato Principis & provincialium noſtrorum huc directi ſumus, ut iſtum (indigitans præſentem Adalbertum) Woytiechum Epiſcopum noſtrum, quem Adalbertum vos dicitis, inveſtigemus. Abbas converſus ad illum, ô Adalberte, inquit, quid audio de te? tu Epiſcopus? ſervus noſter & fratrum minimus? & rurſus ad nuntios: de eo quid ita requiritis? propter inobedientiam & pervicatiam noſtram, inquiunt (â quo nos deſeruit Epiſcopus) per quinquennium & ultra, cœli pluvias, & omnē

terræ ubertatem nobis iratus Deus in hodiernum uſque denegat: niſi ad ſuos redeat, & iras Numinis avertat, fame morimur. Ad Adalbertum converſus Abbas dicit: Adalberte ocyus viæ te accinge, vade, faméque pereunti populo benedictionem impertire. Fecit Adalbertus: priùs tamen Sanctiſſimum conſuluit, in tam arduo labore (ſuorum genium & ingenium expertus) quid facto opus? Reſpondit Benedictus, revertere: & quâ per te cenſurâ ſtrinximus, tuos abſolve.

CAPVT X.

Primus per Milavecz, & Viridem-Montem Româ Pragam, D. Woytiechi reditus, & ejuſdem Præſulis in Boëmia nova pericula.

1. AB Urbe Romana, priusquàm ſperabant, expediti Boëmorum nuntij; eodem, quo Magdeburgenſis Adalbertus, olim Woytiechi nutritius, Magdeburgi vivere deſijt, anno ſalutis CMXXXI. 16. Kal: April: (*a*) cum ſuo Pon- 7. Martij.

(*a*) *Weleslavina 16. Kal: April: Lupacius. 17. Martij, & Hagecius ad hunc annum.*

Pontifice, Gaudentio & Villicone Pragenſi quondam Præpoſito hilares in Boëmiam revertuntur. Leo interim ad S. Bonifacium Abbas, vir pijſſimus cum ſuis clauſtralibus diſceſſum S. Præſulis cùm graviùs doleret, plerique etiam Fratrum deflerent: alterâ die Religioſi ſex, ejuſdem cænobij, nempe (*b*) Benedictus, Matthæus, Iſac, Ioannes, Chriſtinus & Barnabas Abbatem adeunt, & tam Sancto Præſuli & fratri comitivam ut dare poſſint, lacrymabundi rogant: Si Deo placitum, ad obedientiam ſe redituros iterum promittunt. Concedit Abbas, omni dignum amore Præſulem ſequerentur, modò properantem aſſequi valeant. Abbatis acceptâ benedictione, quantocius abeuntem ſubſequuntur: & in Urbe Viterbienſi ſuos aſſecuti, in Templo S. Mariani (*c*) conveniunt. Accedentes B. Præſulem, Abbatis nomine ſalutant: hujus, inquiunt, indulto tuorum

(*b*) *Breviaria Boëmicum & Polonicum 12. Die Menſis Novembris. Coſmas ad annum 1094. & alij communiter, videri poteſt Cromerus Hiſtor: Polonicæ. lib: 3. pag: 42.*

(*c*) *Hagek loco citato fol: 90. pag: SS. in medio.*

tuorum laborum ſocij, & viarum comites eſſe volumus; omnes, tui amantes, benignè ſuſcipe, & velut bonus paſtor, oves tuas ad viam ſalutis dirige. Reſpondit Adalbertus: expediebat vobis filij clauſtro contineri; verùm tamen ſi ſic placitum eſt ante Deum, ſit nomen ejus benedictum: unà procedite. Præmiſſis itaque nuntijs, qui ſuum adventum Boleſlao Principi, Boëmiæque populo nuntiarent, ipſe Woytiechus cum octo viris Religioſis pedeſter ſequitur. *Menſe Iunio (d) veniunt in Boëmiam, ingreſſi in pagum qui Milavecium nominatus, non integro milliari diſtat à Tuſta oppido*, quod Germani Tauſch/ indigenæ verò Domaʒlice/ vel Domazlicium appellant.

2. In hunc locum ſiquidem incidimus, cum B. Præſule de via feſſo modicum ſubſiſtemus, & fontis Milavecenſis virtutes aliquas memorabimus. Prænominata Tuſtenſis civitas Regia, omnes ex Palatinatu ad Boëmos tranſeuntes, prima recipit, & advenas orientem verſus

(d) *Lupacius 17. Martij, & Hagek loco citato.*

ſus per unum milliare non integrum, ad Milavecz uſque pagum ſibi ſubditum, recto tramite ducit In hoc pago inter duos leniter aſcendentes montes, in medio prati fons manat, quemadmodùm ex longo uſu poſteritas certum deprehendit, puritate ſalubritatéque admirabilis. *Extat*, verba ſunt Lupacij ſupra citati, *hodiéque fons Milavetij, cognomento Albertinus, vernaculâ linguâ* Wogtěſſka/ *ægrotantium hominum, qui aut morituri, ſi turbidam: aut ſupervicturi putantur, ſi puram ab haurientibus ex eodem fonte aquam biberint (ut quidem communis fama tulit, fertque hodie) certum indicium.* Si qui enim circumjacentium incolarum graviori morbo preſſi, ſe de vita periclitari cognoſcant, ſuos ad hauriendam aquam eò mittunt: Si, quando pro ægrotante hauritur, munda permanſerit, infirmi ſibi ſanitatem promittunt: ſi verò per contactum turbetur, de vita certò certiùs actum putant, nec falluntur. Cùm, licet de montibus & agris, quæque ſordium eluvies deſcendens, eundem fon-

fontem pertranſeat, eam tamen ſibi commiſceri minimè permittit, verùm ſub ſordibus etiam in ſe nativam ſemper limpiditatem inviolabiliter ſervat. Illud etiam de prænominato fonte, tanquàm certum, & â ſenioribus incolis ſpectatum, ipſiſſimi Milavecenſes, coram viris conſularibus Tuſtenſibus, dominis ſuis, fide & conſcientiâ interpoſitâ, mihi retulerunt: ex infantibus, ut mos eſt parvulorum, ad eum fontem colludentibus, unum & alterum in aquam incidiſſe, neque ſubmerſum aliquem, quinimò velut anates, tam diu aquæ ſupernatâſſe, donec, oborto cæterorum infantum clamore, parentes accurriſſent, & ſuperfluitantes levâſſent. Quid hìc aliud æſtimes? niſi certiſſimam, â tot ſæculis probatam divinæ manûs præſentiam, quæ ſpecialiter eſt mirabilis in ſanctis ſuis.

3. Tuſtam etiam prætergreſſus Præſul, poſtquàm Milavecium perveniſſet, hunc fontem offendit, eóque refocillatus, quod ab itinere illius diei notabiliter deficeret, prope conſedit: & reclinato cor-

corpore ſuper ceſpite viridi, ſopore gravatus, obdormivit. Similiter Gaudentius, Villico, cæteríque Fratrum â Woytiecho quaſi ad jactum unius lapidis in eodem prato ſeſe reclinantes quieverunt. Rectè tunc paſtor ex pago Milavecz gregem ad paſcua propellens, in eoſdem dormienter incidit; conſpectoque Woytiecho ſeorſim ſomno indulgente, tacitus, & lento pede ſanctum accedit, cornúq; paſtoritium, quo gregem cogere morem habuit, ad aurem ſancti appoſitũ, ita fortiter inſonuit, ut vir beatus præ vehemeti clangore percitus, & conſternatus exiliret, diceretque: *Deus det, ſurdeſcas tu, & omnes qui talia agunt* (e). Illico ſceleſtus obſurduit, neque deinceps, ad mortem uſque, auditum recepit. Ex eo tempore, inquit Hagecius, quicunque paſtorum in Milavecz tubam inflaverit, ſurdus

(e) *Vide Hagecium anno 981. Æneam Sylvium lib: 3. fol. 36. lin: 54. Vitam S. Adalberti in poſtilla Vugecij Boëmice translatam; & alios. Notabis, eam Milavicenſem hiſtoriam ab Hagecio referri ad 3. S. noſtri Praſulis abitum, & quidem anno 981. juxta quem annum, primus Romam Woytiechi abitus numerandus eſt, quemadmodum ſuperius ex communioni ſententia demonſtravi.*



Dixi iniquis, nolite iniquè agere: et delinquentibus, nolite exaltare cornu. Psal: 74.V.5.

dus mox efficitur. *Quâpropter Milaveczenſes incolæ ſi quando novum paſtorē adſciſcunt, ſeriò commonent, ab omni tubæ ſe contineat, niſi ſurditatem experiri velit: ſed relicto cornu, flagello potius gregem ad paſcua provocet. Id nonnulli audaciores cùm fabuloſum crederent, rei periculum facturi, cornu vel tubam inflabant, & illico incurabili ſurditate mulctati ſunt.* Ita prænominatus Hagecius (*f*) pro illo ſæculo, qui mortuus eſt Anno 1552. Sabbatho poſt S. Gertrudis, quemadmodùm ad S. Annæ Sancti-Monialium Ordinis Prædicatorum Vetero-Pragæ ſepulchralis lapis oſtendit. Olim iſta de paſtoribus: verùm quid hodierno ævo? dicam quod ſentio.

4. Fateor ob hunc finem Anno 1665. Pragâ Tuſtam iter aſſumpſi, & ex ipſo Senatu rem indagavi, quo firmius â talibus edoctus, videnda, & â Subditis Milaveczenſibus audienda, lectori conferrem. Ab hac civitate, Divi noſtri Tutelaris amantiſſima, humaniter acce-

Q ptus

(*f*) *Fol, 90. B. in fine. Pontanus Boëmiæ Piæ lib. 3. pag: 26. in fine. Vita S. Adalberti in Vugecio Boëmice translatæ.*

ptus, præter ſpem, Primatem & alterum Conſularem Milaveczium comites habui, futuri pondus argumenti. Impræſentiarum omnes Milaveczenſes ad locum, capellæ S. Adalberti viciniſſimum, vocati conveniunt: apprimè paſtor loci, propoſito noſtro neceſſarius. Hic ad quæſtionem vocatus, & â me, etiam propoſitis pecunijs, in flare rogatus, pallere: tremere: & pene lacrymis petitum excuſare. Turbatum accedens ſolatus fui, bono eſſet animo, & anxietatem tolleret, â Dominis non imperari, nec â me expeti malum ejusmodi, quod ſibi, & nobis officere facilè poſſet, Deum in tentatione provocantibus. Timorem itaque, & in præſenti periculo ſui diffidentiam, in paſtore deprehendens, hiſtorico fidem habui: & firmiter etiam credidi, quòd illa beati Præſulis imprecatio veteris peccati pœnă, in hodiernis quoque nepotibus, habeat reſervatam. Talia recogitanti mihi, Iudex loci, canitie venerandus, & fide dignus, é medio ſuorum gregalium progreſſus, paucis interpel-

pellat, inquiens: Pater non id putandum, quaſi omnem tubæ vel cornu ſonum apud nos execrabilem: habet paſtor tubam ſuam, & pro libitu domi & in paſcuis eam inflat. ſed, ubi pro grege pellendo in medium procedit, ut ſuum munus peragat, atque ad paſcua provocet; tubâ clangere, vel cornu tractare nefas ducit; & nos omnes quemadmodùm â prædeceſſoribus noſtris accepimus, id ſanctum habemus: neque ſubulco præter flagellum paſtoritium, quidpiam aliud tunc tractare permittimus. A parentibus enim noſtris, oculatis teſtibus, ego, & coætanei mei, hoc didicimus, quod non ante multos annos, quidam noſtratium paſtorum tubam inhibitam, in evocatione gregis, audacius attrectaverint, & illico ſurdi effecti, ad mortem uſque, ad priſtinam ſanitatē, nullâ ratione, vel modo, redire potuerint. ita me Deus amet! coram Deo & Dominis noſtris, in conſcientia, non alia, quàm, quæ auribus noſtris audivimus, teſtamur. Ideò defactò & nos, ſi novum ignotum aliquem, aut

alienigenam ſubulcum conducimus, de imminenti ſibi periculo fideliter monemus: & omnem cornu vel tubarum uſum, in cogendo grege, ſeriò prohibemus. Hæc ex Milaveczenſibus indigenis, defactò viventibus. Ab alijs quoq; velut indubitatum accepi, nupero illo bello Svecico, ſi qui Cæſarianorum, vel etiam inimicæ partis copiæ, prænominatum pagum tranſijſſent, ob vulgi famam, & omnium circumhabitantium concors teſtimonium, tantam ei loco habuiſſe reverentiam, ut etiam ex curioſitate tubas inflare, ſceleri ſibi ducerent: timerentque, ne propter par delictū, ſimili pænæ, velut transgreſſores, involverentur. modò â maledictionibus ad benedictiones cum beato Præſule tranſeamus.

5. Quum Woytiechus apud impios Milaveczenſes quieſcere non poſſet, ad Fideles abijt; & quanquàm Pragenſis Urbis deſiderio teneretur, à via declinare, novellos etiam Studenecenſes Chriſtianos, nec non Svietiſlaum fidelem ſervum,

vum, Clattovienſium Apoſtolum, ſexennio derelictos, inviſere non piguit. ut de ſuo reditu certiores redderet, & paternâ ſuâ præſentiâ recrearet. Inibi, licet apud ſuos, ex itinere fatigatus ſubſtiterat, diu morari non potuit: quia ſedes ipſa, in extremis afflictionibus conſtituta, per Pontificem Româ remiſſum, ardenter poſtulabat; idcirco Pragam feſtinabundus, cum ſeptem Beatis Fratribus Nepomucium devenit. Eſt ea civitas in Plznenſi diſtrictu, inter occidentales montanas, non poſtrema: habitatoribus frequens, & â Beato Ioanne Nepomuceno, ibidem genito, ſatis celebris, ab occidente vetuſtam arcem, inter illa montana editiore loco ſitam, Illuſtriſſimæ Domûs Sternbergicæ reſidentiam, velut Dominam ab antiquo ſuſpicit. Mons iſtius arcis ab occidente multum arduus, & inacceſſus, ab ea parte, ad radices montis ejuſdem rudera vetuſtiſſimi quondam ædificij monumenta conſpexi. de quo Balbinus (g) in hunc mo-

 dum.

(g) *Hiſtoria Sancto-Montana Auctuar: 1. cap. 9. pag. 103. & ſequenti. De Submontano Nepomucenſi monaſterio, videatur etiam Hagek: pag: 217. B. in medio.*

dum, *Ait Crugerius, lectum ſibi eſſe in veteribus Ciſtercienſis Familiæ monimentis, Sanctum Campum ad Zelenam Horam, vel Nepomucum ſeu Grünbergam (in qua Cænobium Ciſtercienſibus olim fuiſſet) pertinuiſſe, atque in Sancto Campo velut Præpoſituram, quam vocant, inſtitutam.* & paulò poſt: *Carolus de Vieſch Ciſtercienſis ſuæ Bibliothecæ collector, diſertè inprimis tradit: locum quendam in Boëmia circa A. 1192. tenuiſſe ſuos, qui Sanctus Campus appellaretur; nimirum Præpoſitura Nepomucenſis Cænobij fuit, ut ex Crugerio diximus; Nepomucenſe verò, ſeu Grünbergenſe Monaſterium, Ebracenſem tanquàm Patrem Abbatem reſpexiſſe, omnes, qui de Ebracenſi Cænobio Herbipolenſis Diœceſis egerunt, affirmant; Bruſchius apertiſſime: habet,* inquit, *Ebracenſis ſive Loricenſis Abbas ſub ſe & viſitatione ſua alias potentes Abbatias Monachorum ſeptem: Nepomucum in Boëmis, Alderbachium in Bavaris, &c. eò ſcilicet, quòd ex Ebracenſi Nepomucum colonia ac ſtirpe Religioſorum fuerit aliquando deducta, quod poſt A.*

1134.

1134. factum eſſe idem Bruſchius innuit. Deduxêre hanc coloniam Nepomucum, aut aliquo alio inſigni beneficio proſecuti ſunt locum Sternbergici Proceres, ac nominatim altero â fundatione Cænobij ſæculo, Bertholdus â Sternberg Epiſcopus Herbipolenſis: quam ob cauſam hodiéq; in Nepomucenſis deſerti Cænobij ruinis, ac tēpli (quod S. Margaritæ Sacrum fuit) fornicibus aurea Sternbergicorum ſtella cum octo cuſpidibus clariſſimè relucet.

6. De primo ſubmontano, videlicet S. Margaretæ Cænobio, jam dictum. alterum & ipſum Ciſtercienſium ſupereſt: in ipſo Viridi-Monte, quaſi in arcis medio, ſub titulo Beatæ Mariæ Virginis erectum, altum ſatis templum & amplum. Duo ſiquidem, ex Authoritate ſcriptorum, habemus Virido-Montana quondam celebria Ciſtercienſis Ordinis monaſteria, uti loquitur Balbinus (*h*). *Hagek*, inquit, *duo Ciſtercienſium Cænobia, in Monte-Viridi alterum, alterum ſub monte collocat:* hoc, utpote S. Margare-

tæ,

(*h*) *Hiſtor: S. Montis loco cit: ex Hagecio & Paprocky tract. de monaſt: pag: 368. lin. antepenult.*


tæ, illud verò Beatiſſimæ Mariæ Virginis, priori fors annis centum antiquius. Templum Beatæ Mariæ, vir quidam Brzimota nomine, Deo devotus eremita, 977. Salutis anno inchoavit: & cum aliquot Religioſis Fratribus (num Benedictinæ, Ciſtercienſis, vel aliùs Familiæ, non reperi) eremiticam quoque vitam ſectantibus, ibidem annos aliquot ſanctè transegit. Is Woytiechum Præſulem, honorificè ſalutatum, gratanter in eremitorium deduxit, deque felici reditu ſui Epiſcopi gratulatus, in divinas laudes prorumpens: *Te Deum laudamus, &c.* cum ſuis Fratribus inchoavit. Tam dulci jubilo provocati, Gaudentius germanus Frater Epiſcopi, Villico quondam Præpoſitus ad S. Vitum, & reliqui quinque Fratres, Benedictus, Matthæus, Iſac, Ioannes, Chriſtinus, (alij ponunt Chriſtianus) & Barnabas, paribus animis & vocibus, hymnum ſuperis amatum devotiſſimè proſeqvuti (*i*) ſunt.

7. In-

(*i*) *Cum Hagetio communiter alij.*

7. Intereà Beatus Antiſtes Chriſtianæ plebis & totius Regni ſortem miſeratus, quemadmodùm in montis vertice (ubi hodiéque viſitur ſatis ampla Beatæ Mariæ Virginis Eccleſia) prope ſummum altare conſtitit, ad omnes quatuor mundi plagas (*k*) cruce formatâ, totum Regnum â vinculo excommunicationis abſolvit, & ſuper univerſo populo plenâ manu benedictionem effudit (*l*). Cœlum ſtatim, atque Woytiechus Eccleſiaſtici vinculi nodum ſolvit, nubibus obduci viſum, ſtillare quantocius: ſubitoque uberes pluvias, â Boëmis per ſexennium millies exoptatas, depluere; eâ fœcunditate, *quòd pleraq; loca planiora (m) ſtagnaverint. Ex hoc (n) omnis Boëmia ſuum Præſulem rediÿſſe cognoſcebat: terráque fructu ſuo, & omnia germinantia vim ſuæ lætitiæ exprimebant. unde*

(*k*) *Drauſchovius in vita Sancti cap. 23.* (*l*) *Hagecius fol. 89. A. in fine. Dubr: lib. 6. pag. 40. Pontanus Boëm: Piæ lib: 3. §. Adalb. Mart. Boregk in Boleslao Pio. Paproczky ſucceſſ: Epp. pag. 273. in medio. Drauſchovius cap. 12. & 23. Veſtigium Boëm Piæ cap. 3. pag. 36. & aliÿ.* (*m*) *Dubr: lib. 6. loco cit.* (*n*) *Pontanus Boëm: Piæ loco citato.*



A. Viridis Montis Arx. B. Locus in quo ſtetit S. Adalbertus Bœmiæ benedixit. C. Templum B. Vir. D. Fons Woytieſſka. E. veſtigiũ lapidi impreſſum. F. Nepomꝰku Ciuitas. G. Antiqua rudera. H. Capella S. Adalberti poſt pagum Wrtzenam et in ea lapis in quo iacuit S. Adalbertus.

A Zamek zeleno-horſky. B. na tom miſtie dal S. Woytiech pozehnani zemi. C. Koſtel B. P. Marie. D. Studánka woytieſſka. E. Sſlapie geho na kamenu. F. Nepomuk Mieſto. G. Zrzicenmy. H. Kaple S. Woyticha za wſy Wrtzeni, a w ni kamen, na kterem lezel S. Woytiech.

unde enatum illud: cùm ſpirituales iter faciunt, pluviam non diu abſuturam. Dubravius autem lib. 6. ſic habet: *hoc alij Religioni Patrum tribuebant: alij in Monachorum ſugillationem vertebant, eſtq; hodie in ore Boëmorum velut adagium, ut ſi fortè obvios in itinere habeant viros Religioſos, dicant: pluviâ haud dubiè pluet, poſtquàm monachi peregrè ambulant.* Primus autem ab hoc imbre mons viruit, in quo Præſul Woytiechus Boëmiæ benedixit: & exinde Majores noſtri illi loco patriâ linguâ Zelena Hora / nomen indiderunt: deinde Germani quoque idiomate Teutonico Grüneberg / ſive Viridem-Montem, â virendo dixerunt. & hoc nomen ei loco tanquàm memoriæ futuræ monumentum, aut potius Divi Præſulis anathema, Proavi ſuis poſteris æternum eſſe voluerunt.

8. Per pluvias admiranda ſæpe (triſtes eventus, utpote ſulphurea, flammea, ſanguineaque (*o*) ſtillicidia: lapi-

des

(o.) *Velesl: in Calend: hiſtor: fol. 178. 181. 224. 251. 313. 397.*

des & ingentia (*p*) ſaxa: tum etiam grandines ovi gallinacei magnitudinem æquantes, excedenteſque (*q*) cœlo depluas: vel torrentes plenis nubibus deciduos, & quicquid aliquando irato cœlo malorum excidit, non memoro) ſæpe inquam, pro ſolatio mortalium, per pluvias admiranda patrâſſe Deū, nullus inficiabitur. Manifeſtiſſimum prodigium legimus Moijſis temporibus: Exodi cap. 16. Numer: 11. & alibi, Deum optimum Iſrahelitico populo, coturnices Idibus
15. Maij. Maij (*qq*), manna verò 17. Kal: Iunij,
16. Maij. quæ fuit Dominica (*rr*) dies, velut imbrem in deſerto per annos quadraginta depluiſſe, ibique ſexcenta tria millia quingentos quinquaginta viros bellatores, præter Tribum Levi, præter fœminas, pueros & ſenes continuè paviſſe.

Nu-

(*p*) *Vſperg: mihi fol: 160. ante finem. Sigeberti Chron: an. 956. Herm: Contractus an. 951. Vitichindus in Saxonia lib. 3. & alij.* (*q*) *Crantzius in Vandalia lib. 9. cap. 32.* (*qq*) *Weleslavina utrinque die præcitatâ.* (*rr*) *Origenes. Ambroſ: 1. Cor: 10. Auguſt. ſerm. 251. de tempore Synodus Cæſarienſis apud Bedam Epiſtola de celebrati: Paſchæ.*

Numer: cap. 1. v. 46. & 47. *(ss)*. Circa ſalutis annum 280. ſub Imp: Probo cùm Germani Romanas Provincias bello laceſſerent, & exercitus Imperatoris fame premeretur, *fertur: maximo imbri in caſtra ejus delato, multum quoque frumenti depluiſſe, quo milites collecto, & famis periculum effugerint, & hoſtes profligârint* (*r*). Anno verò 722. ſub Leone Iſauro in Campania frumentum combuſtum, & hordeum, & legumina quaſi pluvia de cœlo (*s*) deciderunt. 989. *fertur: annonam pluiſſe in Albanio, alij etiam piſciculos parvos de cœlo pluiſſe ferebant* (*t*). Rurſus anno 1550 Dominicâ Iudica, ſive

(*ss*) *Fuit autem hoc Manna candidum bdellij coloris, uti ſunt ungues hominis, rori conglaciato, vel criſtallino ſimillimum, ſeminis coriandri magnitudine, teſtibus. Niſſeno, Philone Iudæo, & Flavio; quod Hebræi quaſi triticum in mortario pilo conterebant, aut molebant: atq; tortas & placentas conficientes, lixum, loco panis manducabant. Videantur. SS. PP. Rupertus Abbas, Auguſtinus Hioronymus, &c. Et Scripturiſtæ ſuper Exodum. Lyranus, Cornel: à Lap: Ludov: Yſtella. Teſtatus in caput 16. pulchrè etiam de Manna Ludov: Balleſter Onomatographia part: 1. pag. 269. tit: Manna.* (*r*) *Zonaras Annal: tom. 2.* (*s*) *Bonfinius lib. 8, decad: 1.* (*t*) *Sigebertus ad hunc annum.*

ve Paſſionis (*u*) apud Coritanos fame laborantes, notabili tempore ſiligo de cœlo denſa valde cecidit, quam colligentes incolæ, molebant: edebántque. Eo-
25. Iunij. dem etiam anno, 7. Kal: Iulij (*w*) in Thuringia prope Vimarienſem civitatem altitudine duorum digitorum & amplius tritici depluit, ex quo famelici panes & ſimilas pinſuerunt. Iterum ſalutis anno
14. Iunij. 1571. (*x*) 18. Kal: Iunij, in Sileſia circa Goltbergam, Lombergam & Lubam, piſa, rapæ, ſiligo, triticum, famelicis in cibum, notabili copiá deciderunt.

9. Præcedentia particularia ſunt prodigia, & quaſi per volas extraneis â Deo diſtributæ gratiæ temporales, cum noſtris nullo modo conferendæ: ſiquidem, orante Beato Præſule Woytiecho pro ſuis Boëmis, *aperuit manum ſuam, & implevit omne animal benedictione*. Strabo lib: 14. refert ex Homero, quondam in Inſula Rhodo aurum pro pluvia cœlo decidiſſe. verùm quod aliud, quàm Iovem, mendax illud aurum, apud hiſtori-

ri-

(u) Velesl: 10. Kal: April: (w) idem ibid. & 7. Kalend. Iulij fol. 349. in fine. (x) Velesl: fol. 323. in fine.

ricos nunquam approbatum (*y*)? veriùs in Boëmia noſtra, S. Woytiechi temporibus, imbrem auro pretioſiorem depluiſſe dixerim: poſteaquàm extremâ ſexenni fame Regno laboranti cœlū ſalutem, & vitam depluit. Accidit hoc prodigium anno CMLXXX. Menſe Aprili, in Octava Paſchæ, ſive Dominica in Albis: quemadmódum vetus Nepomucenſium traditio nos docet (*z*). Exinde fors enatum illud, etiam vulgo notum adagium: quod ſi quem è Boëmis interroges, *Regnum Boëmiæ quanti licitari poſſit?* patriâ linguâ reſpondebit: za tři Mágowy deſſtě: id eſt: tribus Majalibus pluvijs, cur non itaque ſolam B. Woytiechi pluviam auro, vel uni Regno præferamus, quæ totum ſervavit. Prætereà ſi verum illud eſſe oporteat: *omne rarum carum:* eò temporis, certò nihil deſiderabilius indigenis, auro affluentibus, etiam imbre, per ſexennium millies expetito, carius nihil fuiſſe potuit. Sub annum 892. dum Borzivogius luſtricum convivium

(y) *Comes Natalis Mythologiæ lib. 2. cap. 1. pag. 04.*
(z) *Dranſchovius in Vita S. Adalberti cap. 23.*

vium filij recens nati Spitignei cum Proceribus celebraret, â Svatopluco Rege Moraviæ, dolium præſtantis vini donũ acceperat, Ludomilla conjunx adhuc pagana, cùm ab omnibus convivis, potus laudaretur [quia tunc primùm Boëmis vinum innotuerat (*a*)] illa quoque generoſi liquoris poculum prægustans, rogavit Borzivogium conjugem, hydriam curaret lapideam, déque tam æſtimato potu Deæ Croſſinæ libamen faceret. Quod ubi factum, eâdem nocte, quâ Croſſinæ libamentum poſitum, quàmvis antea totos tres menſes non pluiſſet, uberrimas cœlo pluvias decidiſſe: terrámque trimeſtri ſiccitate languidam largiter irrigâſſe, teſtatur Hagecius (*b*). Talis etiam & major arriditas cœli, Boëmos afflixit anno 1014. ita quidem, ut ab æſtu continuo, deficientibus imbribus, flumina, rivi, fontes, putei, piſcinæque ſuis aquis deſtituerentur: & ipſa terra præ nimijs inflammationibus in

plu-

(*a*) *De Vino in Boëmiam primùm illato, & plantato, Vide Bohusla: Balbinum in Arneſto fol. 16. in fine, & fol. 168. ſub initio.* (*b*) *In Chronica Boëmica fol. 60. pag. B. in fine.*

pluribus locis arderet. Hagecius fol: 105. pag: B. in fine. Menſtruas ejuſmodi ſiccitates; *(c)* ut ſic dicam, plagas breviores ſuper Boëmiam, & ſuper alia Regna cœlitus immiſſas, hiſtorici plurimas enumerant.

10. Libri Regum *(d)* acerbius quid Eliæ temporibus contigiſſe memorant. *Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis: & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex (e).* Qualis tunc rerum facies in Iſrahel? *tunc ſubitò*, Chryſoſtomi verba ſunt *(f) anhelabat terra: ſiccabatur cœlum: ſitiebant amnes: fontes areſcebant; omnis humor ima petyt, ſupera deſeruit: aër efferbuit: ſerẽitas torſit: tranquillitas pœna fuit. Æſtuabant noctes: dies areſcebant: ſata torrebantur: arbuſta ægrotabant: prata deficiebant: nemora languenabãt: campi jejunabant, ſquallebat terra,*

 her-

(c) Plures aridas æſtates vide in Hagecio fol: 25. A. in fine. fol. 31. A. in fine fol. 82. A. medio. fol. 135. A. in fine & fol. 150. B. in fine. (d) 3. Regum cap. 17. (e) Epiſt. Canonica S. Iacobi, cap. 5. v. 17. (f) Tom 1. homil. 2 de Helia, mihi pagina 248. col: A. ante medium.

herbas, quas produxit, interimebat: iram Dei univerſa creatura teſtabatur. Sub S. Hilarione D. Antonij ſucceſſore prope Babylonem juxta Aphroditon oppidum, cœlum toto triennio clauſum permanſit, quod rurſus Hilarion oratione reſeravit, & pluvias elicuit (*g*). Apud Anglo-Saxones circa ſeptingenteſimum ſalutis annum B. Wilfridus Lindeſarnenſis Epiſcopus poſt triennalem ſiccitatem ſolâ oratione pluvias impetravit (*h*). Elias etiam Hieroſolymitanus Epiſcopus, Eliæ Prophetæ homonymus, ſuâ ſede iniquè pulſus ab impio Severo Patriarcha Antiocheno, diuturnam ſiccitatem, locuſtas, & validam famem Paleſtinæ induxit (*i*). Boëmia ſimiliter Anno 1463. & ſequentibus, triennali fere ſiccitate conſtricta, famem & peſtem graviſſimam experta fuit (*k*). In tam gravibus affli-

(*g*) *S. Hieronymus in Vitis Patrum, in vita S. Hilarionis, ſub medio.* (*h*) *Ven: Beda hiſtoria Anglicana lib. 4. cap. 13.* (*i*) *Vide Cornel: à lapide in Epiſt: Canoni: S. Iacobi cap. 5. v. 18. pag. 178. col. A. Veleſl: 7. Idus Ianu: pag: 15. in medio. Et Iuſti Lipſi operum tom. 2. Epiſtolar: centur, 2. ad Belgas Epiſt: 91. initio mihi pag: 465. B. in fine. & ſeq.*
(*k*) *Weleslavina. 7. Idus Ianuarij, pag: 5. in medio.*

afflictionibus conſtituta Regna, proprio periculo didicerunt, quo in pretio tunc eſſent aquæ: quum cœlum quaſi in flamma ſtare, terra cum germinibus areſcere: jumenta, feræ, multíque mortalium præ ſiti cadere viderentur. Quamobrem ſi per triennalem ariditatem cœli ſterilitas illic & illic multos mortalium peſſum dedit, quid non ſub Woytiecho ſexennem illam ſiccitatem atque diuturnam nubium obſtinationem Boëmis malorum attuliſſe oportuit? nulla de prioribus, noſtræ tum conferenda calamitas: ſi ſolùm unicam Hiſpaniæ memorabiliſſimam excipias. Adoinus enim, aliter Adoëmus, teſte Volaterrano (*l*) Hiſpanorum toto ſeptennio jejunum cœlum, per orationem nubibus obduxit: & incolis diro fato pereuntibus, imbre divinitus impetrato, piè ſubvenit.

11. Poſt tot funera lætus ad Montem-Viridem redeo: & cum Beato Po-

(*l*) *Volaterran: lib. 21. Vincentius, lib. 23. c. 92.*

divino (*m*) Sancti mei Præſulis veſtigijs inſiſto. Prænominatus Mons-Viridis de quo §. 5. & 6. ſuperiùs attigimus, verſùs Nepomucum civitatem, quâ meridiem & orientem reſpicit, pedeſtri viæ quàm curruli facilior, lenius deſcendit. In arcis Virido-Montanæ medio templum Beatæ Virginis ad ſummi altaris Evangelij cornu lapidem habet, obtuſi anguli figuram conſtituentem: in medio ruptum. quâ conum porrigit, pavimento templi quaſi digitis quatuor eminentiorem, vel â ſeſſione vel â genuflexione Divi Præſulis honoratum. De hoc ipſo, ni fallor, Veſtigium Boëm: Piæ
" (*n*) ſic legit: in illa arce eſt lapis duriſſi-
" mus, in quo aliquoties ſedit Sanctus Epi-
" ſcopus Adalbertus, & manent veſtigia
" illius ſeſſionis. Iſto ſuper lapide peregri-
" ni

(m) Ferunt Podivinum, qui fuit fidiſſimus, S. Wenceslao cubicularius, malè aliquando à frigore, & nivibus acceptum fuiſſe, quanquam ipſe calceatus Ducem ſuum ſequeretur. rurſus tamen ſubitò incaluiſſe: cùm primùm videlicet pedes ſuos quemadmodùm juſſus erat, veſtigijs Ducis (cruentis addit Æneas Sylvius) impreſſerit. Ita Dubravius. Hagek. fol. 69. B. lin. ult: (n) Pag. 36. lin. ultimâ.

ni, qui veniunt, genua devotè flectere, poſt orationem etiam, quemadmodùm & Illuſtriſſima Sternbergica Domus, eundem, venerationis ergò, deoſculari morem habent. Inde cùm versùs ipſam civitatem deſcenderem, fontem ex petra manantem ſuper villam quandam, arci proximam offendi, dextrorſum â viâ devium: indigenis, à noſtro indigete Sancti Woytiechi nomine Woytieſska dictum, adversùs multimodas ægritudines corporis, utpote defectus oculorum, febres, & ejuſmodi morbos proficuum (o). Drauſchovius ejuſdem loci quondam Decanus, ita de hoc fonte (p): *ad hunc annuæ peregrinationes Dominicâ in Albis conſtituuntur (quia juxta Veterum traditionem S. Præſul Woytiechus eam benedictionem Viridò-Montanam in Paſchatis Octava cum pluvijs impetravit) proceſſione dein peractâ, Illuſtriſſima Domus Sternbergica, Clero, nec non muſicis convenientibus opiparum prandium conſtituit: & pauperibus eleemoſynam elargitur:*

(o) Drauſchovius in Vita S. Adalb: (p) Idem cap. 23.

tur: atque ita per totum annum arx illa pace fruitur. alioqui ſi pauperum eleemoſyna prætermittitur, nocturnis varijs terriculamentis & ſpectris locus infeſtari ſolet (*q*). Ulterius dextrorſum ad radicem montis progreſſus, quà piſcina civitati juncta, lutulenta loca arcem versùs porrigit, lapidem offendi limo graminéque obductum, etiam totum ſtagnantibus aquis immerſum, veſtigium humani calcei firmiter impreſſum oſtentantem: forma certè juſti pedis eſt, ſuperiori parte quâ digitos veſtit, cuſpidata, qualem antiquitus Majores noſtri de more tulerunt. Eſt traditio Nepomucenſibus à Majoribus relicta, ei lapidi quondam S. Woytiechum inſtitiſſe: & ex eo tempore proprij calcanei veſtigium poſteris reliquiſſe; neglectus eſt hodie lapis iſte, qui non ante multos annos apud accolas re-

(*q*) *Ejuſmodi prandia certis in quovis anno diebus in arcibus. Novodomenſi, Strakonicenſiq; hodieq; ſervari certum eſt & ipſe teſtis oculatus adfui. Novodomenſe tale prandium patriâ linguâ* ſladka Kaſſe / *ſive duce pulmentum nomen habet. Cauſam hujus vide in Veſtig: Boëm. Piæ cap: 7. pag. 181. & ſeq. ſimilia quoque Telczy nec non in alijs locis fieri certum habeo.*

reverentiam habuit: dum, ne â temerè tranſeuntibus irreverenter conculcaretur, cancellis ligneis circum ſeptus fuit. reliquias cancellorum aliquas adhuc ipſe vidi. Spero futurum aliquem in ea vicinia, cui priſca Majorum erga hunc locum reverentia cordi erit: quòd propter honorem Patroni Boëmiæ, temporum iſtorum negligentiam ſanctè vindicabit: atq; Beati Woytiechi memoriã, à tot ſæculis relictam, honori priſtino reſtituet. Simile veſtigium in Sileſia reliquiſſe noſtrum Sanctum teſtatur Abrahamus Bzovius (r). *Oppoliæ, inquit, in Sileſia dum prædicaret, veſtigia pedum, ut nudus plantas inſiſtebat, duro lapidi impreſſit: quæ etiam nunc in Baſilica Cathedrali Wratiſlaviæ oſtenduntur, & nos ea inſpeximus.*

12. Sanctus Præſul, veſtigijs ejuſmodi Nepomucij relictis, ad ſedem Epiſcopalem Pragam accelerans, medio â Viridi-Monte milliario, poſt pagum

(r) *In vita S. Adalb: quam ſcripſit Sylveſter Papa, ſuper cap. 31. in notis, ſub lit. M. fol. 605. col. B. ante finem.*

Wrczenie patriâ linguâ nuncupatum, ab æſtu, per viam laſſus, duos inter montes, Chlumek & Oſtedrý Wrch / ſubſtitit: & â via curruli, quæ montem utrumque media pertranſit, aliquot paſſus divertens, â dextra parte quâ collis Chlumek mitior aſcendit, illo ſe contulit, & in ſaxo latiſſimo planóq; tantiſper obdormivit. Viro Sancto duriſſima petra honorem præſtitit, & quo mollius quieſceret, ſubſidit: Sanctitatem magni Pontificis omnibus poſteris oſtenſura. Manſit ſaxi hujus inhonorata pietas annos ultra ſexcentos, donec Illuſtriſſimum pectus inveniſſet Dominum Dominum Adamum de Sternberg, Supremum Inclyti Boëmiæ Regni Burggravium, qui pium lapidem, & Sancti Pontificis lectulum, decorâ Eccleſiolâ contexit: & Capellæ Sancti Præſulis nomen indidit. Defuncti conjugis, inchoatis operis, Illuſtriſſima Conjunx, Domina Domina Maria Maximiliana, nata Comitiſſa de Alto-Collero, &c. ſupremam manum poſuit; & varijs intus picturis adornavit. Ipſiſſimam

mam Eccleſiolam ante biennium anno ſcilicet 1665. 3. Die Menſis Decembris inviſi, prodigium inſpecturus. Ad pedem altaris, illum duriſſimum lapidem in cornu Epiſtolæ pavimento lateritio notabiliter eminentiorem, ipſe conſpexi, cui venerandum caput Sancti Præſulis, & ſiniſtrum latus corporis (ita enim eidem lapidi Sanctum in cubuiſſe deprehendi) velut ceræ impreſſum, admirabar. A Reverendo Domino Decano Nepomucenſi (s) unà præſente, necnon ab eremita, ejuſdem ab hominibus ſeparati loci cuſtode, viro ſeniculo probóque doctus, quòd Peregrini caput & corpus in veſtigium S. Præſulis devotionis ergo reclinent, & capitis doloribus remedium inveniant, idem feci: primùm in genua provolutus, Patronum invocavi: lapidem deoſculatus, ubi capitis Beati Patroni ſignum expreſſum eſt, meum quoque caput appreſſi. Ex hoc manifeſto miraculo natum eſt fieri, locum Sanctum â tri-

(s) *Sebaſtianum Kral ſubintelligo, quondam in Philoſophia & Theologia Pragæ condiſcipulum, in hac peregrinatione ſpecialem adjutorem & benefactorem.*

tribus, quatuor, & amplius hominum millibus devotè fructuoséque viſitari. Quinimò Nepomucum civitas, ſi quâ per æſtatem cœli ſterilitate laborat, ſolennem Proceſſionem ad hunc benedictum locum inſtituit, atque certiſſimò, teſte Drauſchovio Decano loci meritiſſimo; pluvias impetrat. Alium adhuc lapidem Drauſchovius memorat, ad columnam jacentem, in quo, dum S. Woytiechus caput reclinâſſet, loco ceſſit: quod etiam nunc ipſe lapis oſtendit: qui, licet aliquoties, etiam ad unum milliare aſportaretur inde, totiens iterum in priori loco repertus fuit, & uſque manet.

13. A tot ſignis & prodigijs, per Diſtrictum Plznenſem relictis, fugiens Divus Præſul, cum Beato Gaudentio germano Fratre, Villicone quondam Præpoſito Sanctæ Pragenſis Baſilicæ, ſex quoque ſupra nominatis Benedictinis Fratribus, ad ſedem ſui Præſulatûs feſtinus, Pragam feliciter pervenit. Vrbs in occurſum effuſa gratanter Epiſcopum, ut Patrem, ſuſcepit: & Metropolita-

litanam S. Viti ingredientem, Pius Boleſlaus Princeps cum domeſtico Presbyterorum choro diu deſideratum Antiſtitem flexo genu ſalutat, & manum oſculatur (*t*): omnémque deinceps â ſe, & ſuis Boëmis præſtandam obedientiam promittit. Idipſum acclamante populo, Woytiechus meliora ſperare cœpit: novas etiam quas apud SanctiſſimumBenedictum VII. gratias obtinuerat, Pragenſibus nunciavit: videlicet, indulto ſummi Pontificis Boëmis conceſſum, ut Kyrie eleiſon Slavonicum, in Metropolitana S. Viti, ſingulis diebus decantetur. quod ſi facturi ſint, cœlitus ſibi promiſſum affirmat, Deum poſthàc Regno futurum propitium: nec fœcunditatem terræ prohibiturum impoſterum; ſi tamen â cædibus, rapinis, præſtigijs magicis, cæteríſque peccatis mortalibus reſipiſcant. Princeps igitur & univerſus populus, Eja Pater, inquiunt, hymnum quem commendas, exhibe; ſervare pro mittentes edoce; â vitijs, Deo tibíq; con-

(*t*) *Hagek fol. 89. A. in ipſo fine.*



Cantate Domino canticum nouum; laus eius in Eccleſia Sanctorum. Pſalm: 149. V. 1.

contrarijs poſt hàc abſtinebimus. Reſpondit Epiſcopus, Amen: confirmet hoc Deus in vobis filij chariſſimi; mox; immiſsâ manu dextrâ in perã, â ſiniſtra pendulam, primò mucidi panis fruſtum, dein vas ligneum, ex quo bibere conſveverat, coram exemit: tandem & membranam Slavicis litteris, & notis muſicis exaratam Boleſlao Principi, Clero, cæteris etiam Ordinibus palàm oſtendens, Hymnum deſideratiſſimum altâ voce (*u*) præcinuit, in hunc ſenſum ſcriptum:

Hoſpodyne pomylůg ny:
Jezu Kryſte pomylůg ny.
Tys Spaſa wſſeho mira/
Spaſyž ny; y vſlyſſyž
Hoſpodine Hlaſy naſſe;
Dag nám wſſem Hoſpodyne
Žižu, a mir w naſſy Zemi.
Krleſs/ Krleſs/ Krleſs. (*w*)

Lati.

(*u*) *Paproczky in ſucceſſ: Epp. pag. 273. ex quo colligo, tunc primum hymnum iſtum à S. Woytiecho toti Regno publicatum fuiſſe. Videantur inferius dicta parte alterâ pag: 45. in fine.* (w) *deſumpſi hunc textum ex Hagecio fol. 89. pag. B. ſub init. Notas verò ex editione Illuſtriſſ: & Reverendiſſ: DD. Simonis Brozij ab Horſtein, Suffraganei Pragenſis, & S. Viti Metropolitanæ Præpoſiti. Videatur exemplar in 2. parte inter paginam 20. & 21.*

Latinè ſic eum tranſtuli, juxta notarum decurſum:

O Domine miſerere:
Ieſu Chriſte miſerere.
Salus es totius mundi,
Salva nos: & percipe
ô Domine voces noſtras.
Da cunctis ô Domine
Panem, Pacem noſtræ Terræ.

Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, alias juxta notas tantùm ſemel ponendum erit ſic: *Kyrie-eeleiſon.*

Originem, indulgentias, & ex Anonymo Brzewnovienſi M: Scripto explicationē, ſimul etiam exempla ſuper hoc Hymno, vide fuſius parte alterâ.

CAPVT XI.

Patrios Labores reſumit.: Neratovicij percutitur adulteram defendit; & ſecundò Romam profectus, Lybicenſes Fratres occiſos, Romæ cognoſcit.

1. POſtquàm Beatus Pontifex novis quaſi laboribus curam anima-

rum aſſumpſiſſet; vacillantes in fide Chriſtianos firmare, profugos ad Eccleſiam revocare, paganos lavacro baptiſmatis tingere, ſuperſtitiones & artes magicas vellere, peccata mortalia radicitus extirpare conatus, Divini verbi prædicationibus, orationibus aſſiduis, cæteriſq; pijs exercitijs totus incubuit: & quæ verbo docuerat, in ſemetipſo vivido exemplo cæteris demonſtravit. Divinus verè medicus (*w*), ſingulis quibuſque vitijs obviantia contulit medicamenta; quemadmodùm enim, arte medicinæ, calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Beatus Antiſtes noſter, contraria oppoſuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſvetudinem, elatis oſtenderet humilitatem. verbo dicã, Magiſtrũ Paulum ſecutus (*x*): *omnibus omnia factus eſt, ut omnes faceret ſalvos.* Quia verò Boëmi dies Feſtos, maximè potationibus & mechanicis operis polluebant, ipſe Woytiechus ut ſuos exemplo doceret,

(w) *Gregorius Magnus homil. 32. in Evangelia.* (x) *Cor: 9. verſ: 22.*

ret, Dominicis & feſtis diebus Pragenſes, & alias poſt Urbem Eccleſias, maximè autem, ſi Sancti cujuſpiam Patrocinium incidiſſet, pedes, frequenter etiam nudipes, cum ſuo Clero devotiſſimè frequentabat.

2. Anno ut ſupra dixi CMLXXX.
27. Septemb: quinto Kal: Octob: (*y*) Sanctis Coſmæ & Damiano Martyribus feſto die, templũ, tunc adhuc extra Urbem, ab eorundem Patrocinio celebratum, inviſit. Si computemus ab anno præſenti 1668: erit hæc pervetuſta capella, ſuper ſeptingentos, annorum quadraginta: per S. Wenceslaum Bohemiæ Principem, nongenteſimo vigeſimo octavo fundata, teſte Hagecio (*z*). Bartholomæus Paproczky, circa ſalutis annum 1600, talem in eadem capella memoriam parieti inſcriptam

(*y*) *Hagek ad annum 978. fol. 89. B. in medio. Advertet Lector quæ dicta ſunt ſuperius cap. 9. pag. 229. contra Hagecium, nempe poſt ſexennium Româ Woytiechum rediiſſe. Adeoq; Hagecius in annis non convenit, & quæ ille poſt ſecundum Româ reditum ponit, poſt primum reditum recenſenda ſunt.* (*z*) *Hagek fol. 72. B. in medio.*

ptam legit, & ſuis libris (a) inſeruit: *Hanc Eccleſiam Dei S. Wenceſlaus Boëmiæ Princeps, ordine duodecimus, ex amore, quo in Deum & SS. Martyres Coſmam & Damianum ferebatur, propriâ manu fundavit: & impenſis proprijs inter quadraginta dies abſolvit: conſecrari quoque fecit A: C: Nati 928. Hanc ipſam cum Podivino fidiſſimo Camerario per hyemem & æſtatem, interdiu noctúque devotionis ergo, nudipes frequentabat. S. Woytiechus, S. Procopius, & alij magno pietatis ardore Divinis Miſſæ ſacrificijs in eadem operabantur.* Ad uſq; tempora Wenceſlai Roman: & Boëm: Regis, hæc Eccleſiola permanſit integra, quamdiu Dæmonica hæreſis latuit: tandem ab Huſſitis violata, vinario torculari deſtinata fuit. Capellam hanc S. Wenceſlaus Parochialem inſtituit, dotavitque: necnon Parochiam erexit, & Prælatis Wyſſegradenſibus in manus dedit. ejus Parochum, quàmdiu

(a) *In tract: de Cænobijs pag: 362. in fine: de facto etiam in renovata hodierna capella, priori ſuâ parte, ibidem aureis litteris exarata Boëmicè legitur, ex Paprocio deſumpta, uſque ad illa verba: hæreſis latuit.*

PragaRomanæ Eccleſiæ fidelis permanſit, omnes Podskalenſes Curatum ſuum agnoſcebant (*aa*). Poſtliminiò, Paulus Paminodas Horſký/ ſeuMontanus, quondam ad S. Wenceſlaum Parochus, anno
4. Iulij. 1592, 4. Non: Iulij, ex mandato Rudolphi Imperatoris Auguſtiſſimi ad Slovanenſem, aliàs Emmaus, Eccleſiam inductus, & anno ſubſequenti ejuſdem Cænobij legitimus Abbas inſtitutus, eandem aquâ Gregorianâ reconcilians, etiam ſucceſſivè præcitatam capellam, ejectoprelo vinario, reſtauravit: pavimentum lateritium, feneſtras, Altare, chorum induſtriâ ſuâ curavit: atque ita priſtino nitori pro viribus reſtituit (*b*). Obvium opus cùm plus annis triginta perſtitiſſet, neglectui datum eſt: & ita primò tectum injurijs cœlipervium, deinde tabulatum, denique ſucceſſu temporis, etiam ipſi parietes cum vetuſto cæmen-

(*aa*) *Quàm diu hoc ſacrum Slovanenſe Cœnobium hæreticis Adminiſtratoribus pro Collegiata domo proſtitutum fuerit, ex Paulo Stransky, ejuſdem farinæ homine cognoſces Libro. Reipubl: Boëm: cap. 6. §. 19. pag. 290. uſq; ad finem capitis.* (*b*) *Paproczky loco prius citato, pag. 366.*

mento labarunt. Tandem verò 1659, 16. Kal: Iulij, adnitente R. P. Domino Iſidoro de la Cruz, Slovanenſis Cænobij B. M. Virg: de Monte Serrato Præſide (nunc Imperialis Monaſterij Carlovienſis, Ordinis Canonicorum Regularium Lateranenſium S. Auguſtini, Abbate) conſentiente Reverendiſſimo D. Ioanne Caramuele, tunc ejuſdem Cænobij Slovanenſis Abbate, ſumptibus ejuſdem Conventûs Eccleſiola, toties repetita, ſumptuoſiùs reſtaurari cœpit. Anno deinde 1659. 27. Septemb: *Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. D. Ioſophus Corti, Dominus in Zottego, Suffraganeus Pragenſis conſecravit hanc Eccleſiam cum Altari, in honorem SS. Coſmæ & Damiani: & Reliquias SS: M: M: Pij, Cœleſtini, Saturnini & Cyrilli in eo incluſit, & ſingulis Chriſti Fidelibus, hodie unum annum, & in die Anniverſario conſecrationis hujuſmodi, ipſam viſitantibus, quadraginta dies, de vera indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta, conceſſit* (c). 16. Iunij.

(c) *Tabella conſecrationis ejuſdem Eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani, parieti affixa, in membrana ſcripta.*

3. In hac itaque SS. Coſmæ & Damiani Martyrum Eccleſia S. Epiſcopus divinis operatus, peractis miſſæ ſolennijs populo benedixit: atque Vetero-Boleſlaviam, tertio ab Urbe lapide diſſitam, ad S. Wenceſlai ſepulchrum (ubi S. Martyr à Fratre natu minore Boleſlao ſævo peremptus, primò ſepultus fuerat) iter aſſumpſit. Quia verò, propter paganorum perfidiam, viæ publicæ ſe committere metuebat, per ſylvas & invia pedeſter abijt. Ibi pro ſe, ſibique grege concredito, integram noctem Deum precatus, illuceſcente die ad Boleſlavienſem Clerum divertit; & pranſus, quantum neceſſitati corporis ex uſu fuit: ad Septentrionem, qua Melnicum Albis defluit, feſtinus deſcendit: ad ſuos Pragenſes rediturus, ultra duo milliaria pedes confecit. Quia verò trans Albim conſtitutus, in Urbem redux fluvium traijcere neceſſe habuit, Neratovicenſes cis Albim habitantes, ut propter Deum ad ripam alteram ſe transvehant, altiori voce ſolicitavit. Transvectores, auditâ

voce

voce hominis, navim ſolvunt: & quanquam ignotum Epiſcopum tranſvehunt. Cùm autem pro trajectu naulum debitum poſtularent, neq; Woytiechus eſſet ſolvendo, reſpondit: *Filij mei, argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc vobis do: Evangelium Chriſti prædicabo, & animabus veſtris benedicam* (d). Non contenti nautæ cœleſti benedictione, ſolutionem expoſcunt; & ex pago Neratovicz progredieti Pontifici, quanquam varias excuſationes ac preces inſtantibus opponeret, veſtigijs inſiſtunt: verbis aſperis, & comminationibus, ad perſolvendum naulum, per longum viæ decurſum urgent; mercedem voluntariè, proferret, niſi pejus aliquid experiri velit; alioquin juſtam expoſtulationem in furias abituram. Ruſtica protervia pauperrimum Antiſtitem abundè ſatis exagitans, longiùs quàm crederes, à pago & ab humanitate receſſit: poſteaquam Sanctum, & innocentem Woytiechum eorum alter indignabundus, pro-

(d) *Hagek ad annum 978. & Paproczky in ſucceſſione Principum titulo Boleslaus pius.*

pe Villam Biſskovitz in terram ſtravit ; & calceamentis exuens , unum calceorum ſacro capiti graviter alliſit (*e*) : atq; ita tribus Pragam milliaribus nudipedem abire permiſit. Eundemmet lapidem , in quo ſedens Antiſtes exutus fuerat, & ſignum ſeſſionis in hodiernum expreſſum reliquit, poſtetitas ex traditione Sanctum habet, & veneratur: Lapis duriſſimus eſt, verſus Aquilonem Neratovicio mille paſſus diſtans : longitudinis Geometricorum ſex pedum, latitudinis, unius cum ſemiſſe, & digitis tribus ; altitudinis autem exterra prominentis, trium palmorum ſeu dodrantis. Abhinc pedes duos ultra viginti, pervetus columna ſacra, opere cæmentario conſtructa ſuper eminet: Index, & teſtis cujuſcunque devotionis ; locus certè pio Patrono digniſſimus.

4. Eò loci tot malis affectus Epiſcopus ; recedentibus nautis inprecatus fuiſſe dicitur : *Benedictionem quam reſpuiſtis, malè vertant Superi ; & maledictio-*

(*e*) *Pontanus lib. 3. in S. Adalberto : pag: 36.*



Argentum et aurum non eſt mihi: quod autem habeo hoc tibi do. *Actor*: c. 3. V. 6.

ctionem pro benedictione rependant, ne ſufficientem panem unquam deinceps habeatis; quod eventus rei poſtmodùm edocuit. Od toho čaſu až do dneſſnjho Dne/ někteřj gſau z těch Plawcůw / a Přiwoznjkůw Rodu zůſtali: a ti wždycky magj před Žněmi Chleba nedoſtatek; a žádný z njch w Stodole Žita až do nowého njti nemůž / by ho/mnohém wjce než ǒ ſwau potřebu/ tu nechal: někam ſe gemu poděge/a zmjzy. Protož obyčeg magj hned brzy mlátiti / a prodáwati: neb muſy před Žněmi od ginud Chleb kupowati (*f*). Verba Hagecij ſic legam: ab eo tempore, in hodiernum uſque, de ſupra nominatis transvectoribus poſteri ſuperſunt, quos, priusquam nova meſſis adveniat, panis deficit: & nullum eorum, quanquam ſuperabundè metant, & horrea compleant, annua fertilitas agrorum ſaturare poteſt; Sed quâdam occultâ virtute Numinis, & pœnâ, totum diſperit: evaneſcit. Idcircò, priusquàm nova fruges matureſcat, veterem triturare, vicinis vendere, conſvetudinem ha-

(*f*) *Anno 978. pag. 89. B.*

habent: prius etenim, quàm ſecunda meſſis redeat, panis reſiduum ab alijs emere coguntur. Ita Wenceſlaus Hagecius, (pro illo ſæculo (ſcripſit autem circa ſalutis annum 1540.) expreſsè dicit: ad uſque ſua tempora, hæreditarium illud malum, plus annos quinquaginta ſupra quingentos apud Nepotes perduraſſe, & in hodiernum perdurare, creditur ab omnibus Boëmis. Facturus rei periculum, cum tribus fide dignis Pragenſis Novæ-Urbis Civibus, meis Parœcianis Neratovicium adivi, & ipſam veritatem ab incolis quæſivi, num eam, de quà vulgò fama per Boëmiam increbuit, frumenti penuriam uſque modò ſuſtinere cogantur? tanquam novum admirati, Gratias Deo, inquiunt, nihil unquam hujuſmodi nobis accidit: quin imò ſimile quid nunquam audivimus. Secundò ſciſcitanti mihi, qui fieri poſſit, quòd rem toti Regno notam, & hiſtorijs proditam à ſuis majoribus non reſciſſent? hic pagus, reſponderunt illi, nuperis bellis per multos annos deſolatus permanſit: nos quo-

quoque cum liberis noſtris alibi nati, tandem injuriâ temporum huc non pridem colonias traduximus. Quid igitur olim prædeceſſoribus illis, aut eorundem poſteris pridem defunctis, aliquando contigiſſet, penitus ignoramus. Iſta coram pluribus teſtibus ex ore Neratovicenſium accepi: neque tamen ideò fidem Hagecij ſcriptoris in Patria longè celeberrimi, volui improbatam, cúm ad uſque ſua tempora, hæreditarium iſtud malum, ſeptem fere ſæculis, in ſuccedentibus Nepotibus perſeverâſſe dicit: & coævis totius Regni teſtibus, pondus veritati ſuperaddit. Nunc autem, his noviſſimis temporibus, ſciendum eſt, quod, ſicut in obnoxijs parentibus imprecatio Sancti Præſulis inchoaverat, ita etiam in eorundem extincta poſteritate, deſierit: conteſtante Spiritu Domini (g): *ego ſum Dominus Deus tuus Fortis, Zelotes: viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum.*

5. Eodem etiam A: CMLXXX. (h) Woy-

(g) *Exodi cap. 20. v. 5.* (h) *Contra Hagecium, qui ponit anno 978. temporum enim ratio ſic ſcribendum ſuavit.*

Woytiechus Epiſcopus è Scholaribus & Clericis viginti ſeptem Præsbyteros ordinavit: qui de perfectiori vitæ ſtatu conventione inter ſe factâ, Regulam & habitum S. Benedicti ſuſcipere unanimiter decreverunt; nulla tunc enim in toto Chriſtiano Orbe Religio celebrior extitiſſe dicitur, in occidente maximè, atque Benedictina fuit. In eam Reges & Principes, Duces, & lectiſſima quæque Nobilitas, plenis, ut ſic dicam, agminibus confluebat. Ex unico Boëmico Regno, Sanctus Wenceſlaus Boëmiæ Dux, ab Henrico I. Saxone Rex declaratus, ſpretis terrenis illecebris, coronam & ſceptrum non admiſit; Regnique moleſtiarum pertæſus, Monachum potiùs agere, quàm jura dare Provincijs, in votis habuit: certiſſiméque Benedictinum induerat, niſi crudelis Fratricida, ſanctam vocationem glorioſo Martyrio præoccupàſſet. Milada quoque, vel Mlada/poſt Maria dicta, Strachiquas & Chriſtannus de Scala, Boleſlao Sævo Principe progeniti: tum etiam S. Præſul Adalbertus, &

ger-

germanus ejus Frater Gaudentius, ab Indigenis Radim, ſeu Radimus appellatus, ex Slavonico Vitkovæo Roſenſi Comite, de Lybicz, Urſinæ Gentis, proles illuſtriſſima, cuculum ſacræ Familiæ, præ Mundi pompis elegerunt. Ab iſtis, velut anteſignanis, in ſola Boëmia Benedictinorum Ordinis viginti quinque Cœnobiorum & Præpoſiturarum numerus (*i*) excrevit, Paprocio teſte. Primum, & antiquiſſimum Cœnobium *Sancti-Monialium in Arce Pragenſi*, honori S. Georgij Martyris fundatum anno 967. Alterum *S. Ioannis in Inſula*, fundatum anno 980. (*k*): cui ſucceſſu temporis Eccleſia *S. Ioannis ſub Rupe*, velut Suffraganea, ſub titulo Præpoſituræ adjuncta fuit. Tertium *Brzevnovienſe S. Margaretæ*, fundatum & erectum anno 993. cum duabus Præpoſituris: *Policenſi* videlicet, fundata 1213, & *Brumovienſi* circa ſalutis Annum 1330. erecta. Aliud iterum

(i) Paproczky de Monaſterijs pag: 326. ſub medio. Videri poteſt Index horum apud Hagecium in fine Chronicæ Boëmicæ. (k) corrigendam hic Hagecij chronologiam, dixi immediate ſupra, ſub citatione (h).

rum cœnobium honori Beatiſſimæ Matris & S. Ioannis Baptiſtæ, conditũ anno 1039, ad Ripam Sazavæ, vulgò *ad S. Procopium* appellatum. Aliud *Tieſslinenſe* S. Ioannis extructum anno 1084: *Opatovicenſe* 1087: *Vilemovienſe* 1119: *Kladrubenſe* B. Mariæ Virginis circa 1120. *Teplicenſe* 1146: *Poſtoloprtenſe*, vel Portæ Apoſtolorum circa 1200: *in Emmaus*, vel in Slovan S. Hieronymi, 1348. Iterum alia cœnobia ſub titulo Beatiſſimæ Dei Genitricis, *Sezymicenſe*, & *Hradiſcenſe*: ſub titulo S. Ioannis, primùm *Augezdenſe* Micro-Pragæ ſuper Trajectum, in libris Erectionum Ioannís in vado nominatum, & alterum *Welizenſe*: S. Michaëlis Archangeli, *Mieſtecenſe*: S. Laurentij *Augezdenſe*. Præterea *Tauſskovienſe*, *Biczkovienſe*, *Ziattecenſe* & *Przesſticenſe*. Abbatiale quoque Cœnobium *Ambroſianum*, à nomine S. Ambroſij ſic dictum; à Carolo IV. Imp: ad amnem Boticzenſem ſub Wyſſegrado, prope S. Adalbertum Minorem, in Urbe Nova Pragenſi erectum ſalutis Anno

1355 (a)

1355 (*a*). Aliud etiam in Antiqua Urbe, tituli *S. Spiritûs*, vel *Miſericordiæ Dei*, Sanctimonialibus Ordinis à S. Spiritu, quidam Vetero-Pragenſis Civis prope S. Crucem anno 1340. fundavit (*b*): & Ioannes Olomucenſis Epiſcopus abſolvit, & conſecravit anno 1344. Demum ſucceſſu temporis, ob defectum Virginum Ordinis præfati, Sancti-Monialibus Benedictini Ordinis in manus venit: hodiéque perſeverat (*c*). *Podlazicenſe* verò Cœnobium, in Diſtrictu Chrudimenſi quondam notiſſimum, nullus hiſtoricorum, quantum ſcio poſteritati commendavit. Ex hoc Monaſterio literam Confraternitatis; in membrana ſcriptam, & ſigillis adhuc dependentibus firmatam, apud Reverendiſſ: D. Ioannem Manner Abbatem ad S. Nicolai Vetero-Pragæ, nunc ſupremum Quæſturæ Regni Præſidem, vidi: manibus contrectavi.

6. Ad

(*a*) *Hagek fol. 326. A. initio qui manifeſtè nominat Ord: S. Benedicti. propterea non intelligendum erit de Religione Ambroſiana, quam explicat Io: Lub: Gotefredus Archon: Coſm: 3. parte, f. 63. col: B. in fine. Hic ſtat hodie Schola, pro Podskalenſi juventute jam pridem erecta.* (*b*) *Hagek fol. 307. b. initio.* (*c*) *Hagek fol. 312. b. initio.*

6. Ad Veterum Abbatiarum numerum, quanquam nonnullæ vix jam aliquam ſui memoriam exhibeant, ante triginta duos annos acceſſit Abbatia Sancti Nicolai Vetero-Pragæ, per Auguſtiſſ: Imp: Ferdinandum III. erecta; de qua Slovanenſis Eccleſiæ monumentum, ad ſummam Aram versùs cornu Epiſtolæ, parieti literis aureis inſcriptum ſic habet: *Anno MCCCXIII. hoc monaſt: in honorem S. Hieronymi à Carolo IV. Rom: Imp: Rege Boh: Feliciſſ: recordationis pro religioſis Sanctiſſ: Patriarchæ Benedicti fundatū, & in Emmaus vocatū; tandem injuria temporum & Bellorum ſpoliatum, dirutum, ac devaſtatum ita, ut vix ædificia & reditus pro duobus ſufficerent religioſis. Ferd: III. Dei Gratia Rom: Imp: Invictiſſ: Pijſſim: Clementiſſ: Pacis, juſtitiæ, Æquitatis amantiſſ: Et Catholicæ Religionis Firmiſſimum propugnaculum Ferdinandi II. Glorioſiſſ: memoriæ Filius, ſemper Auguſtiſſ: Hung: & Bohem: Rex, Archi-Dux Auſtriæ, ſingulari pietatis affectu commotus erga SS. Virginem Miraculoſam*

de

de monte Serrato, Permutatione factâ, Religioſos præcedentes, cum bonis olim huc pertinentibus, & perſolutâ pecuniarum Summâ X. millium Floren: ad Eccleſiam S. Nicolai in Antiqua Civitate Pragenſi tranſtulit, & pro XX. Religioſis de Stricta Obſervantia Regul: S. P. Benedicti, ſub reformatione montis Serrati ſumptuosè reſtauravit: magnificè dotavit: ac ad S. Mariam de Monte Serrato in Emmaus vocari voluit; & Patrem Mag: Benedictum de Penaloſa Mondragon Sacræ Cæſareæ Majeſt: Regni, Bohemiæ Concionatorem Aulicum & Capellanum perpetuum, primum hujus reformationis Abbatem Pÿſſim: colocavit: eundem & ſucceſſores gratÿs & privilegÿs liberaliſſimè condecoravit Anno M. D. CXXXV. Cœnobium *Inſulanum*, ut ad priora redeamus, inter alia fere vetuſtiſſimum, ſalutis Anno CMLXXX. (*k*) Boleſlaus pius erexit: Sacerdotes enim ſuper allegati, Sanctum Antiſtem accedentes, habitationem Religioſæ contemplationi commodam poſtulaverant; Orantibus Woytiechus non

non defuit, ſed etiam apud Principem, quo citius locum ſolitarium aſceticæ vitæ conformem inſtitueret, ſedulus interceſſit. Princeps quoque divinitus admonitus, brevi poſt inſulam ab Angelo præmonſtratam, quaſi tertio ſuper Urbem milliario, quâ Moldava Pragam deſcendit, locum conſtituit: & ſub Titulo S. Ioannis Baptiſtæ Monaſterium erigens, ac dotans, anno ſequenti, verno tempore, ſex Benedictinos Fratres, qui Woytiechum Româ ſequebantur, & illos viginti ſeptem Præsbyteros, huc induxit; nec non Theophilum, linguâ Patriâ Bohumilum, Sanctitatis opinione clarum, Abbatem præfecit.

7. Eodem etiam anno CMLXXXIII. (l) incitante Woytiecho, Boleſlaus Princeps magis & magis cultum Divinæ Majeſtatis inter fideles erigere conatus, omnium Ordinum, omnis conditionis, & provectioris ætatis, ſibi ſubditos Chriſtianos ad ſtatam diem coram eſſe juſſit.

T plu-

(l) *Hagecius fol. 90. pag. A. in medio habet anno 979. verùm propter ſexennem à Boëmia Woytiechi abſentiam, legendum puto 983.*

Plurimis ad mandatum Principis Pragam confluentibus, Pijſſimus Boleſlaus, Præſul quoque Zeloſiſſimus adfuerunt. Cùm autem judicium ſederet, Antiſtes pro concione verba fecit: Filij chariſſimi, Chriſti, per quem redempti, & in quo per baptiſmum renati eſtis, meminiſſe debetis; non venit enim, niſi ut voluntatem Patris. qui in Cœlis eſt, impleret. Docuit verbo, quod in ſemet ipſo docuit exemplo: & quemadmodum ille fecit, ita & nos faciamus. Cœleſtis itáque Patris obliviſci nolite: quoniam per promiſſionem Filij ſui, nos quóque Cœlum, quia talis Patris Filij, hæreditamus. Divina lex eſt, voluntas Principis, & meum ardens deſiderium, Decalogum obſervetis: maximè verò, quod caput eſt, diem Sabbathi ſanctificare memineritis: nulla mercimonia, vel aliam ſervilem operam obeunto. Secundo, matrimonia novæ legis præſcripto coram Eccleſiæ facie celebranto, nec pro libitu repudij libellum faciunto. Tertio denique, neglectis campis, lucis, ſylvis, domi-

mibus, hortis, & quidquid profani, vel non ſacri, eſſe poſſit, in Eccleſijs, cœmeterijs, atque benedictis locis veri Chriſtiani ſepeliuntor; non deaſtris aëreis, terreſtribus, aqueis, aut inferis idolothyta faciunto: neque pyras (*m*), vel quoscunque igneis Manibus incenduntо. Sacram Synodum Proceres, & Majores Regni, cum Nobilibus alijs, quamvis acceptârint, & ſingula ſarta tecta ſervanda ſpoponderint: vulgus refractarium, & pro Dœmoniaca libertate fervidum, aliquorum Pagonorum nobilium inſuſurratione, facilè contempſit. Inde *cœpit eos ignavia, & mollicies*, cum Sylveſtro Papa loquor, & ideò neglecta voluntate Principis, *& prædicatione Sancti Pontificis, itum eſt in omne nefas; Veterum quippe vitiorum recordationibus præventi, in carnalem partem relapſi ſunt: & perijt labor Paſtoralis.*

 8. *In-*

(*m*) *Ritum ſepeliendi Veterum Boëmorum vide in Hagecio fol. 4. pag. A. in fine fol. 21. A. fol. 30. B medio. fol. 34. B. ſub medio fol. 34. A. ſub medio fol. 43. A. initio fol. 46. B. medio fol. 48. A. in fine 55. A. lin. 1. fol. 60. A. medio, & fol. 147. B. ſub medio.*

8. *Inter hæc, mirabile & luctuoſum crimen exoritur*, dicit idem Sylveſter Papa (*n*): *nam mulier cujusdam viri nobilis cum quodam* ſacrilegè concubuiſſe publicè arguitur. *Quam, cum de more barbarico parentes dedecorati conjugis decapitare quærerent, fugit illa celeri curſu ad Sanctum Epiſcopum Adalbertum. Volens autem de manibus illorum S. Adalbertus liberare mulierem, clauſit eam in monaſterio Sanctimonialium, quod, ſub vocabulo & Veneratione S. Georgij Martyris conſecratum, firmiſſimis mœnibus vallabatur. Clavem Eccleſiæ cuſtodi fideli commendat, credens ut fœmina inter fœminas ſolatia doloris, & ſub altaris defenſione vitæ ſecuritatem haberet. Crimen quoque in ſe transferre voluit S. Adalbertus; ut ſe ſceleris autore magnum aliquid fieret, ſcilicet ut pro pœnitentiæ fructibus illam*

(*n*) *Sylveſter Papa cap. 27. Anonym: Surij cap: 16. vide quoque Breviar: Polonico: in ipſa die feſti 2. lectionibus, Noct. 2. lect. 1. & feria 6. lect. 1. ubi ſuſpicor etiam ſacrilegum cum adultera refugiſſe ſub protectionem Adalberti. Videatur etiam Hannovienſis editionis Vita S. Adalberti. cap. 19 quam falsò Coſmæ Decano Pragenſi ſubſcribit. Petrus de Natalibus, Lib: 4. conc. 87. de Sanctis.*



K.K.Z.W.

Qui ſine peccato eſt ueſtrum primus in illam lapidē mittat Ioan: c.8.V.7.

vitæ aſſervaret, aut ambo ſimul juſti morerentur. Quam utique voluntatem S. Adalbertus, Martyrij coronam expoſcens, compleſſet: niſi eum prudenter ſupra memoratus Willico prohibuiſſet. Inter ea impia manus abſconſæ mulieri ferrum, necémque parans, armato milite Epiſcopale forum irruperunt. Quærunt, invehuntur minis, & contumacibus dictis in Sanctum Epiſcopum: qui contra fas & decretorum legalium jura adulteram defendere vellet. Quod ubi ille divinæ contemplationis otio vacans aure percepit, cùm velut mediæ noctis hora eſſet, dicto verſu fregit ſilentia, & in quo clauſus erat exivit de templo Deinde qui ſecum erant fratribus oſcula libans; bene valete, inquit, Fratres mei in Chriſto dilectiſſimi, & pro me miſero ferte pia vota Deo. Inde totus ardore martyrij flagrans, non tardiore deſiderio, & curſu, quàm qui fugit hoſtem, ſpontè venit in hoſtem; ac per medium agmen intrepido curſu incedens, extenſa cervice ait illis; ſi me quæritis? facite quod facturi eſtis; præſto ſum. Ad quem

unus

unus ex illis omnium verbis talia reſpondit; Caſſa te martyrij ſpes tenet, & nobilis gloria lethi: errat pro certo hæc ſanctitas, quæ noſtrum vult fieri peccatum: non implebitur tua voluntas Adalberte; ſed agetur aliquid, quod plus dolebit. Quia, niſi hæc meretrix nobis citius reddatur, habemus fratres tuos; in quorum uxoribus, prole, & prædijs hoc malum ulciſcamur. Hæc dum furens Slavus circa Sanctum Epiſcopum delatraſſet, ecce corruptus auro proditor adeſt, qui eos clam ex agmine vocans, ſeq; itineris ducem præbens, domum in qua clauſa erat, domúſque cuſtodes oſtendit. Cuſtos verò tentus ab illis, ut illam illis redderet, nunc minis terretur, nunc amicis affectibus demulcetur: ad ultimum mortis timore perterritus, ſibi creditam, cruentis hoſtibus prodidit fœminam. Rapitur infelix illa fruſtra prehenſis altaribus, & ſub manu conjugis capitalem juſſa eſt ſubire ſententiam; quod cum ille veluti vir juſtus facere nollet, ſub gladio vilis vernulæ truncata, pœnas male uſi corporis capite ſolvit.

9. Inobedientiſſimum, & in ſceleribus obſtinacem populum, cùm non tantùm à malo revocare, verùm etiam nec à ſacrilegio prohibere poſſet Antiſtes: & valvas etiam Eccleſiarum infringi, fontes ab altaribus violenter avelli, & aſylum Eccleſiaſticum violari ab impijs, ipſe ſpectare cogeretur, vehementer indoluit. neque reſtabat aliud conſilium, quàm Iuſti, Epiſcopi Lugdunenſis, exemplum: De quo B. Petrus Damiani (o) ſic
„ refert. Quid referam Lugdunenſem
„ Epiſcopum, vita & vocabulo Iuſtum, qui
„ commiſſum ſibi pontificatûs officium, &
„ laudabiliter rexit, & non ſine laude deſe-
„ ruit? plane abreptitius quidam in tan-
„ tam furioſæ mentis prorupit inſaniam;
„ ut obvios quoſque violentus impeteret,
„ verberum colliſione mactaret, pleríſque
„ membra præcideret; mortem poſtre-
„ mò nonnullis inferret. Hic aliquando,
„ plurimis inſectantibus, Eccleſiæ fores
„ irrupit: ſéque tueri cœpit. Nam tunc
„ eum neceſſitas edocebat ad cor redire,
cùm

(o) *Tom. 3. opuſcul: 19. de Abdicatione Epiſcop: cap. 2. mihi pag: 571. col. 2.*

cùm jam cogebatur à vita diſcedere. Ecce Sacerdos Sanctus concitus ad iſta proſilit, & Eccleſiæ confugium petenti, ſe defenſor objecit. Ij vero, quorum propinqui vel exſtincti fuerant, vel truncati, vehementer inſtabant, & reum ad ſupplicia importunâ conſtipatione quærebant. Quid plura? tandem ad hoc perventum eſt, ut Pius Pontifex ſatisdatione ſuſceptâ, ne reus mortis morte ſuccumberet, quaſi pro ſatisfactione victoriæ eorum hunc manibus traderet: ſed mox ut in eorum poteſtatem devenit, extinctus interijt. Protinus vir Dei tanquam ſi ipſe hujus homicidij auctor eſſet, pavefactus intremuit, Eccleſiam dimiſit: & in Ægypti partibus, poſt modùm eremiticam vitam duxit. Id Iuſtus Lugdunenſis fecerat: & quod alij Sancti Pontifices tunc, aut in ſimili facturi erant, Woytiechus Pragenſis Epiſcopus fideliter implevit. Dum ſecundò fulmen Eccleſiaſticum in ſacrilegos vibravit: & deſtituto Pontificatu, Romam ad prælibatas aſceticæ vitæ deliciasabire conſtituit; prius deplorato Regno, quòd

in morbido, incurabilique grege malorum cacoëthes, indies, novis ac novis ſceleribus augeretur: & ipſe Præſul, in ſalvandis animabus omnem operam perdidiſſet. Primùm igitur Pijſſimo Principi Boleſlao, Slavniko, & Strzezyſlavæ Parentibus, ac cæteris fratribus valedixit: & Metropolitanam S. Viti Martyris Pokorzinio (fors tunc Decano) nec non quibuſdam Senioribus Eccleſiæ commendans, cum Gaudentio ſeu Radimo germano Fratre, & Willicone Præpoſito Romam abijt.

10. Eodem etiam tempore Otto II. Ottonis magni filius, Rufus aliàs nominatus, poſt Calabricam malèpugnatam pugnam, mœrore confectus, e vivis diſceſſit. Hiſtoriam propter ſequentia ſic habes: Anno 981, Sigebertus inquit, & Hermannus Contractus, Otto Rufus, Apuliam & Calabriam Italicas provincias ad jus Regni Græcorum acciduas, affinitatis titulo, quem ex Theophania, vel Anna Romani filia, conjuge ſua, cum Græcorum Imperatore Nicephoro contraxit, ad Imperium Romanum

num transferre cogitabat. Armis cùm decernerent, martem dubium utrinque, fere biennium tenuit, uſque dum 982 (*p*) malis ominibus, & *infauſtis vaticinys*, ut Baronius loquitur, Otto II. bellum ſiniſtrum expediret. *Græci infenſi*, dicit Sigebertus (*q*), *quòd Imperator Otto provincias Græcorum invaderet, conducto ſibi Saracenorum auxilio, cũ Imperatore in Calabria bello congrediuntur. In quo bello, omnes Romanorum copiæ, uſque ad internecionem pene deletæ ſunt anno 982, Idibus Iulÿs. Imperator natando nitens evadere, à nautis, ignorantibus eum, rapitur: & à quodam eorum, qui negotiator Slavorum erat, agnitus, nec proditus per illum, re delatâ ad Imperatricem, & ad Theodoricum Metenſium Epiſcopum, qui in civitate Rhoſana rei eventum præſtolabantur, difficulter per Slavum & Epiſcopum libera-* 15. Iulij.

(*p*) *Vrſpergenſis ad hunc annum. Chronicon Auſtrale Pappenheimÿ. Hermannus Contractus. Gordonus. Calviſus. Veleslavina ponit: 6. Idus Decemb: Schafnaburgenſis autem ad Idus Iuli: ad annum 980. ſed Baronius, Leo Oſtienſis: & Marianus Scotus referunt hanc Germanorum cædem, ad annum 983.* (*q*) *Sigebertus ad annum 982.*

ratur: nautis quippe ad pecunias pro eo redimendo allatas inhiantibus, Imperator aſcenſo equo vix evaſit. Vel clarius cum Bergomenſi (r) atque alijs: *turpi fugâ in Scapham aſcendit: & à Piratis, quis eſſet, ignorantibus, captus, in ſiciliam perductus eſt: ibidemque cognitus, pecuniâ promiſsâ liberatus eſt. Sicuti etiam ſumpto de Piratis ſupplicio, hominem cum honorato comitatu Romam perduxerunt. Eóque loci, cùm Otto hic in Romanos, qui primi ex prælio, fugerant, ulciſci non auderet, in Beneventanos, paris culpæ reos, converſus, Vrbem cepit: & incendit.* pulchriùs & fuſiùs legi poteſt noſter Hagecius ad annum 982. Non ijs flammis exuri, vel ſanari, nec ablui potuit aliter, tam grande Chriſtianis inflictum vulnus, quàm Græcorum & Saracenorum ſanguine; nihil etiam neglectui habere voluit, devictus Princeps Auguſtiſſimus, quòd medelæ prodeſſet. Verùm anno ſubſequenti, redintegrato bello, fortiorique collecto militum numero contra victo-

(r) *Bergomenſis ad annum 975. pulchrè hanc hiſtoriam vide in Saxonia Crantzij. cap. 20. lib. 4.*

victores Græcos, & Saracenos, in belli ſocietatem à Græcis reſumptos, arma movit: & ſecundis aquilis depugnans, utramque Claſſem, Conſtantinopolitanam & Barbaram, ſalutis anno CMLXXXIII. internecione delevit. indeque victor, nomen, *pallida mors Saracenorum*, habere promeruit. Non tamen abſque novo vulnere, quandoquidem, in eo navali prælio, militis pariter ac Ducis munus obeundo, ſagittâ veneno infectâ lethaliter vulneratus, Romam rediens, ibidem, eodem anno (*s*), ſexto Idus (*t*) Decembris, bellis, vitæque finem poſuit; priùs cùm filium Ottonem III. vix dum duodennem ætate, Veronenſibus Comitijs in Succeſſorem allegiſſet. *In labro Porphyretico ſepultus, in atrio Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli. introëuntibus in Eccleſiæ ipſius paradyſum, ad lævam* (*u*); *in-*


8. Decembr:

(*s*) *Schafnaburg: Vrſperg: Sigebertus: Chronica Auſtralis, Pappenh: Herm: contractus: Onuphrius. Wymphelingius cap.* 19. *& alij communiter.* (*t*) *Vrſpergenſis. Herman: Contractus. Chronicon Auſtrale Baronius, & alij communiter.* (*u*) *Lib.* 2. *cap.* 9. *& Ditmarus Chron: lib:* 3. *apud Baronium anno præcitato*, §. 14. *in fine, & ſeq.*

inquit *Leo Oſtienſis.* Eodem anno Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus Albertus, quondam Woytiechi noſtri, Pragenſis Epiſcopi, Nutritius & Magiſter, à quo nomen Adalberti ex Confirmatione ſuſceperat, obijt: poſtquam ſediſſet annis duodecim, & menſibus aliquot (*w*). & hæc eſt communior ſententia, contra quoſdam noſtrates (*ww*).

11. Foris iſta: Domi verò, propter abitum Epiſcopi, & excommunicationem ſecundò Bohemis impoſitam, plerique, maximè Wrſſovicenſes & Zlucenſes, ſive Ziattecenſes, adverſus Principem & Eccleſiam obſtinaciſſimi, novos motus agitabant: vel exinde, quòd Cœlum pluvias rurſum denegare, & novam famem Regno parare videbatur. Vnicus Woytiechus, ad mortem expetitus, cùm abeſſet, in ejus quinque germanos Fratres, & inditiones Paternas ferro ignique ſævitum fuiſſe legitur. Matthias Miechovius Lib: 2. Hiſt: Polon: cap.

(w) *Baronius hic. & apud illum Adami vetus Chron. lib. 2. cap. 7. Ditmarus in Chron: lib. 3.* (ww) *Citatos capite. 10. ſuperius, pagina 234.*



A Caſtrum Lybecz. B Aceruus lapidum. C Porta ante quam Lybuſſa sepulta. D Balneum Lybuſſæ. E Lybiczium civitas. F Ecleſia B. Mariæ Virg: . G Decanatus olim. H Eccleſia S. Georgij. I Stipes tiliæ. K Amnis Czidlina Lybiczium circumfluens. L Loca ſtagnantia. M Vetus Albiæ fluminis decurſus. N Hodiernus Albis curſus. O Concurſus Czidlinæ cum Albi flumine.

A Hrad Lybecz. B Zřjcʒeniny. C Brana kdeʒ Lybuſſe pohřʒbena. D Lázeň Libuſſe Knieʒny. E Mieſto Lybicze. F Koſtel B. Pa: Marie. G Diekanſtwj niekdegſſy. H Czyrkew S. Gyřʒijo I Parʒeʒ od lipy. K Potok Czydlina obchaʒegicʒj. L Zahnita Miſta. M Stary tok řeky Labe. N Niniegſſj průtky tok Labe. O Pad potoku Czydlyny do řeky Labe.

cap. 8 *Bohemi*, inquit, *culpam ſcelerum ſuorum in Sanctum Dei retorquentes, invaſerunt Oppidum Lybicz: Et quinque germanos Sancti Adalberti necârunt. videlicet Sobieborum, Spitimirum, Bohuſlaum, Borzegium, & Czaſlaum. Nec his malis contenti, omnem prolem, & cognationem eorum, cum ſingulis inhabitatoribus, Lybicz deleverunt, ac interfecerunt; Oppidúmque, flammis injectis, exuſſerunt. Solo Poray ſexto germano Beati Præſulis Adalberti, in Polonia Boleſlai Chrabri ſervitÿs debito, per abſentiam ſalvato*; huius mentio facta eſt ſuperius (*x*). Fuit Poray inter Fratres *natu major* (*y*), quemadmodum Gaudentius, linguâ Patriâ Radim ſeu Radimus appellatus, inter omnes octo Fratres natu minimus: quem aliqui ſcriptorum, à Fratribus Lybicenſibus alienum faciunt (*z*), ſed falsò, contra communem ſenſum aliorum.

12. Si

(*x*) *Capite 1. §. 8. pag. 19. ſub medio, & ſequenti.* (*y*) *Anonym: Surÿ cap. 24. Balbinus in Famil: Malowciana, pag: 1. in fine, vocat Porayum natu minimum.* (*z*) *Cromerus Hiſt: Polon: lib: 3. Melchior Goldaſt: Commentar: Boëm. Regni. l. 3. c. 4. ad annum 997. Hagek etiam anno*

***

12 Siquidem Lybitzium devenimus, in Patriam tot Sanctorum Comitum, ſanguine complurium Martyrum purpuratam, Roſenſis antiquiſſimæ, Illuſtriſſimæque Familiæ ſedem adjungere non pigebit. Lybuſſa ſecundi Bohemiæ Principis Croci filia, defuncto Patre, ſalutis anno 710 (*a*), conditi verò Bohemiæ Regni ſexageſimo ſexto Caſtrum Lybecz, & Civitatem Lybicium à ſuo nomine dictam, ad amnem Czydlinam, ubi quatuor ſtadijs flumen Albim incurrit, ad ortum condidit: & intra menſes octo, circum egeſtâ terrâ, aggere atque vallo communivit; ac poſt annos viginti quinque, nempe 735 anno, quemadmodum ultimâ voluntate conſtituerat, ante limen arcis ſepulta fuit (*b*).

⁂ Bre-

969, inter Woytiechi Fratres non numerat imò fol. 90. A. fol. 96. B. ſpiritualem ſolum Fratrem appellat. Fuiſſe autem Gaudentium Adalberti germanum, nobiſcum ſentit vetus Breviar. Boëm: in translati: S. Adalberti. Vetus Martyrologium Boëmicum, Breviar: Polon. in ipſo die Feſti in 2. Lection: lect 3. Sylveſter cap. 24 Anonym: Coſmas. lib. 3. Vocant Fratrem Adalberti, carne & ſpiritu. Baron. anno 983. §.22. pulchrè Paprocz ky. in ſtatu Baron. pag. 54. lin. 2. & alij communiter. (a) Hagek pag: 6. A. (b) Hagek. pag. 15. A. medio.

Brevi pòſt ea Civitas ad Vitkovæos Roſenſes tranſijt: & ad annum uſque 983, quo per odium paganorum, maximè Wrſovicenſium, flammis abſumpta, Dominis obtemperavit. Ante annos quidem viginti ſeptem (*c*) Hungarorum hoſtilem irruptionem experta, gladio, & flammis inimicorum pene ſuccubuit: niſi Slavnici manus opulentiſſima de cineribus, novis impenſis, eandem rurſus elevâſſet. Poſt ſecundum excidium, & quinque Lybicenſium Comitum interitum, Lybicium ad Wrſovicenſes pervenit: & ijsdem ultra centum annos, ad uſque Bozeium, & Borzut ejus filium, ad annum 1108, (*d*) notabilem ſervivit ſervitutem. Hunc iniquum dominatum Bozeij gladio vindice præcidit Kraſa Vir nobilis, poſtquam Wrſovicenſes perduelles Patrem & Filium juſſu Svatopluci Principis peremit: & rerum potitus eſt. Deinde circa Salutis annum 1370, tempore Ioannis Secundi Pragenſis Archi-Epiſcopi, Lybicenſe dominium

(*c*) *Hagek pag. 80. B. in medio.* (*d*) *Hagek pag. 157. B. medio.*

ad manus Virginum Sanctimonialium, apud Divi Georgij, pervenit: uti libri Erectionum Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis oſtendunt. Hodie Lybicium Pagus eſt: Caſtrum Lybecz quid aliud? grande nihil. Aut veriùs, Naſonis illud:

Iam ſeges eſt ubi Witko *fuit, reſecandáq; falce,*
Luxuriat Boemo *ſanguine pinguis humus.*

Atque *ſepulta Virûm curvis feriuntur aratris*
Oſſa; ruinoſas occulit herba domos (*e*).

Pagum dixi Lybicium, quondam Civitatem veterem, ſubditam tamen; non Lubecam illam in Orbe celebrem, & Urbem liberam, inter ſeptentrionalia nobiliſſimum Emporium, quod voluit Anonymus quidam (*f*), ejusmodi verbis: *Adalbertus genere Boëmus Parentes habuit*

(*e*) *Ovid: Epiſtol: 1. Heroid:* (*f*) *In obſervationibus ad orationes M. Ant: Mureti, ſuper Oratione 17. Bonfin: Decad: 2. l. 1. Ioan: Herburtus de Fulſtein. hiſt: Polon: lib: 2. c. 3. Lubecam, Coſmas in Hannov: editione, in Chronico. pag: 16. Lubic nominant ſed non Pomeraniæ civitatem. hinc error Anonymi. De Lubeca videatur Munſteri Coſmograph: Germaniæ. lib. 3. pag: 734 & alij Recentiores.*

buit maximis opibus pollentes, ut qui Lubecæ, totius, Septentrionis nobiliſſimo emporio, maximæque Boëmiæ, Poloniæque parti imperárint. Lubecâ Pomeraniæ Urbe celebri relictâ, Lybicium domum revertar: & ſacræ, quondam Civitatis memorias recogitabo.

13. Originem & antiquitatem veteris Civitatis & aureis Lybicenſis audivimus: quæ pagus hodiernus, triginta ſolúm caſis & una conſtans, in ſe monumenta continet, nunc videamus. Habet in ſe Divæ Virginis Annuntiatæ pervetuſtam Eccleſiam; in ea ſi non baptizatus Woytiechus, moribundus infans (*g*) oblatus certè fuit: & voto Parentum, per Mariam, vitam recepit. Prima hæc, & quaſi meditullium eſt Pagi Lybicenſis Eccleſia. Deſcendit ad ortum altera, ſuper Czydlinam amnem pedes circiter quadraginta, S. Georgio Martyri dicata, & ab ipſo S. Woytiecho Pontifice 973, (*h*) conſecrata. Amplior quàm prima: & à monumentis quoque celebris. Eam in-

(g) *Vide ſuperius cap. 3. §. 5. pag. 63.* (*h*). *Superius cap. 7. §. 11. pag. 166.*

ingredientibus, ad altare magnum dextrorſum, occurrit ſacrarium, Sacriſtiam communiter dicimus, & in ejus medio *quinque Fratrum* Lybicenſium ſepulchrum, ſuper pavimento tres pedes altum, marmoreo cippo contectum: cujus longitudo pedum quaſi quinque, latitudo trium. Ad frontem tumuli, ara lapidea, ad eum propemodum, qualis apud ſepulchrum Sancti Wenceſlai Vetero-Boleſlaviæ conſpicitur; ſtrictior tamen: & ſepulchro digitis undecim inferior. Ibidem, ab immemorabili, veſtis longa, cæruli coloris, ad annum 1631, ſervabatur. eam incolæ, quemadmodum à Majoribus acceperant, S. Pontificis exuvium fuiſſe, firmiter credebant. Sed, ante 36 annos, à Polonico Milite per vim accepta, tantò fuit honori, ut, in multos dividenda, ſumma cum reverentia per partes diſciſſa, pro reliquijs in Poloniam ſit ablata. Lybicenſibus exigua ſatis pars relicta: defactò inter veſtimenta ſacra conſervatur; Sericum illud plures contrectavimus. Penes Lybicenſium autoritatem fides eſto; mihi vix perſvadeam,

deam, in tot ſæculis, à pluribus incendijs, tot Dominorum mutationibus, & à bellis continuis, annis fere ſeptingentis, ejusmodi rem à ruſticis potuiſſe ſervari. Neque ſacrum hoc cimelium, ſi verum fuiſſet, ulla poteſtas altior, Eccleſiaſtica ſive ſæcularis, in manibus hominum ſubditorum, ita neglectum, latere permiſiſſet. Unum adhuc ſupereſt: verum, an commentitium prodigium? neſcio, Deus ſcit. Ad ſeptentrionale latus, ejuſdem Eccleſiæ Sancti Martyris Georgij, ſtipes tiliæ, quondam arboris notabiliter altæ panſæque, vix jam aliqua ſui parte ſuperſtes, in cæmeterio, conſpicitur. Narrant & credunt Indigenæ Lybicenſes, aliquando B. Præſulem Pragâ Lybicium venientem, oratione peractâ, utpote ex via feſſum, ad locum illum ſomni gratiâ declinaſſe; dormiturus aliquantulum, ſcipionem quem manu tulit terræ infixit, & juxta decumbens, in ceſpite obdormivit. Experrectus deinde, baculum quaſi tiliæ novam plantulam viruiſſe conſpiciens, prodigium admira-

tus abijt: & novum germen in juſtam arborem creſcere reliquit, poſteris in admirationem. Diu floruit hæc arbor, novis ac novis per ſexcentos annos ſuccreſcens incrementis; donec nimiùm annis gravis, maximè verò, quòd à peregrinis quàm plurimis ad ſolennitatem S. Adalberti, 23 Aprilis, Feſto Divi Georgij Martyris præviam, annuè confluentibus, toties mutilata, & per fruſta divulſa, ac in domos & per circumjacentes colonias pro varijs uſibus & ægritudinibus corporis ablata, totaliter defeciſſet.

14. Tragicam cataſtrophen Quinque Fratrum, Lybicenſium Comitum, germanorum Adalberti ſuperius attigimus: crudelem, totique mundo deteſtabilem; num etiam S. Præſuli, Romæ per centum & plura Germanica milliaria remoto, notam? certè notiſſimam. Tradunt Boëmorum Annales, de S. Adalberto: (h) *Sanctum coram ſummo Antiſtite ſacris operari, & conſecratione Corporis,* *atq;*

(h) *Bzovius Annalium tom: 20, in vitam S. Adalberti ſuper caput 31. ſub lit; L.*

atq; Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel, ut vult Dubravius (*i*), *ſublevatione peractâ: ad altare* ſub ſecundo *Memento* plus duas horas ſtantem (*k*) *obdormire. Mirabantur omnes Myſtæ ſomnum, quòd in tanto Conſeſſu Concilij ei obrepſiſſet. Aliqui ringebantur, & temerè judicabant; nec tamen ſtatim excitare audebant, donec ſummus Pontifex animadvertiſſet. Illico enim Adalbertum excitârunt, & ut reliqvum Sacrificij perageret monuerunt. Experrectus, chirothecam Epiſcopalem poſtulabat, diu quæſita eſt, quam initio induerat: & cùm illa non reperiretur, tandem alterâ prolatâ, ſacro finem de more impoſuit. Tandem à Summo Pontifice cauſam, & ſomni, & chirothecæ deperditæ rogatus; non ſomnum, ſed pietatis officium illud fuiſſe reſpondit; aſſeruitque eâdem horâ, quinqve Fratres ſuos cæſos, ſepulturæ dediſſe, illicq; chirothecam in altari*

(*i*) *Dubrav: lib. 6. Hiſtoriæ Boëmicæ. pag. 40. initio. & Abraham: Bzovius. in vitam S. Adalberti ſcriptam à Sylveſtro Papa pag. 605. col. 2. ſub initio.* (*k*) *Dubravius citatus: Pontanus in Oratione de S. Adalberto, & in vita carmine conſcripta: mihi pag. 128. lin. 1. dicit tres horas integras.*

Divæ Dei Parentis quam requirebat reliquiſſe. Miſſi Bohemiam Nuncij qui in ſidem Adalberti inquirerent; didicerunt eâdem horâ, quâ Adalbertus Romæ ad Altare viſus eſt dormiſſe, eundem in Eccleſia, in qua Fratres ejus cæſi ſepeliebantur, interfuiſſe: funus eorum curâſſe: chirothecámque depoſuiſſe; quam cùm Romam qui miſſi fuerant, retuliſſent, parem ei, quæ in fidem ſervabatur, factâ comparatione, repererunt.

15. Dies, quâ Beati Martyres Lybicenſes cæſi, D. Wenceſlao Martyri ſacra fuit (*l*) teſte Anonymo Surij; comprobare videtur Coſmas Decanus Pragenſis (*m*): *quâdam*, inquit, *feſtivâ die furtim irrumpunt Civitatem Lybicz, in qua Fratres S. Adalberti, & milites civitatis univerſi, velut oves innocentes, aſſiſtebant ſacris Miſſarum Solennijs feſta celebrantes. At illi*, Wrſſovicenſes & Ziatecenſes paganos intellego, *ceu lupi immanes, civitatis mœnia irrumpentes, maſculum & fœminam uſque ad unum interfi-*

(*l*) *Anonymus Surij cap. 25.* (*m*) *Chronica Boëmica lib. 1. pag. 17. initio.*

ficientes: univerſis Fratribus (nempe qui domi fuerant) *S. Adalberti, cum omni prole ante ipſum altare decollatis.* Radda quóque Præsbyter, qui tum coram Lybicenſibus Incolis Divinis operabatur, unà cum cæteris Martyribus anno CMLXXXIII. (*n*) glorioſus occubuit. In ſubſequentem diem Adalbertus coram Summo Pontifice Benedicto hujus nominis VII, Pontificiæ ſedis anno penultimo (*nn*): Miſſæ ſolennia peragens, poſt elevationem, in ſecundo Memento pro Defunctis deſtinato, divinam revelationem promeruit: & in extaſi Lybicij replicatus, in ſepultura Fratrum à Bohemis, qui, poſt peractam cladem, Lybicium flammis exuſtum ſpectatum venerant, viſus fuit: & ſuæ præſentiæ chirothecarum alteram in Eccleſia B.V. Annuntiatæ (*o*), funeralibus intentus, ad altare teſtem reliquit. Ibi poſt inventa, &

(*n*) *Coſmas habet anno 995. Hagecius anno 980. ſed propter contextum hiſtoriæ credo referendam hanc cædem ad annum 983.* (*nn*) *Sedit Benedictus VII. annis 9. Menſ: 1. dies 10. Bullarium.* (*o*) *Dubravius lib. 6. Bzovius tom. 20. Annal. pag. 605. col. 2.*

& Pontifici Ioanni Romam allata, vetuſtiſſimo Vetero-Boleſlavienſi Capitulo pro memoria dono ceſſit *(p)*; hodiéque Vetero-Boleſlaviæ, tertio ab Urbe Praga lapide, apud S. Wenceſlaum in decenti Scrinio, cum Reliquijs, parte clavi Servatoris noſtri, coronæ ſpinarum unâ, Polonicorum Quinque Martyrum Adalberti Fratrum religioſorum oſſibusq́: cum ſanguine & cothurno S. Wenceſlai Bohemiæ Principis, nec non alijs Lipſanis honorificè ſervatur. Hanc ipſam chirothecam, anno 1657. Capellanus ibidem, ex mandato Reverendiſſ: mei Præpoſiti, cujus memoria in benedictione eſt, Rudolphi Roder à Felburg, Peregrinis loca ſacra, Thaumaturgæ (quam S. Martyr Wenceſlaus Bohemiæ Princeps in pectore geſtâſſe fertur) Beatiſſimæ Mariæ Boleſlavienſis, & S. Wenceſlai primum ſepulchrum viſitantibusq́, videndam exhibui. Coloris eſt albi ex adnata vetuſtate pene difflua: Pragenſi chirothecæ, quam Eccleſia Metro-

po-

(p) Veſtigium Boëm: Piũ P. Chánovsky, Soc: Ieſu, pag. 46. ſub initio.



Elevauit me ſpiritus inter terram et coelum: et adduxit me in Ierusalem in uiſione Dei. Ezech: c. 8.V.3.

politana D. Viti Pragæ annuatim oſtendit, colore ſimillima.

16 Slavnik intereà, ne filum hiſtoriæ prætermittam, Lybicenſis Comes cum Strzezyſlava Conjuge, vel Pragæ, vel in alio Bono, tunc exiſtentes, poſtquám inaudiviſſent, Familiam ſuam, cum ſubditis & Lybicio ferro ignéque periiſſe, contriſtati: graviús, quàm dici poſſit, injuriam tolerabant. Poſt ea Slavnik Pater de propagatione Familiæ dubius, & afflictus, eodem Anno
18. CMLXXXIII. *(q)*, 15 Kaléd: April: *(qq)*
Mart: dolendi, vivendique finem fecit: & in Civitate Lybicenſi per paganos exuſta, in Eccleſia B. M. Virginis Annuntiatæ ſepultus eſt. Beatus Comes, *erat* alioqui *Vir lætiſſimus*, inquit Coſmas (*r*) *ad omnes facie in conſilijs ſereniſſimus, vitæ alloquijs blandiſſimus, locuples divitijs quàm ſæcularibus, tam ſpiritualibus. In Domo illius honeſtas fulgebat & ſincera dilectio: Judiciorum rectitudo & Procerum multitu-*

(*q*) *Hagek pag. 91. A. ante medium Coſmas habet anno 981.* (*qq*) *Weleslavina. Lupacius.* (*r*) *Coſmas ad annum 981. & ex iſto Hagecius fol. 91. pag. B ſub initio.*

tudo, in operibus ejus erat legum cognitio, pauperum refectio, mærentium conſolatio, peregrinorum receptio, viduarum & orphanorum defenſio. Adeóque non eſt audiendus Anonymus (*s*) Surij, Slavnikum Beatæ Vitæ Comitem erroneè perſtringens: quando quidem Hagecius Princeps hiſtoriæ Bohemicæ, Slavnici Sarcophagum, per multos annos odores fragrantiſſimos, in feſto S. Adalberti, nempe 23. die Aprilis, annuè ſpirâſſe, teſtatur (*t*). Dein Andræas ordine XIX. Pragenſis Epiſcopus hujus Beati Slavnici corpus apud Beatæ Virginis Annunciatæ ſepultum & illorum Quinque Fratrum, Sobiebori, Spitimiri, Bohuſlai, Borzei & Czaſlai, Slavnici Filiorum, ibidem ad S. Georgij Martyris quieſcentium reliquias, cum non nullis eorum veſtimentis, poſt annos 233 Pragam tranſtulit, & in Arce Pragenſi apud S. Georgium, in Cœnobio Sanctimonialium

(*s*) *Apud Surium 23. April: cùm dicit Slavnikum orationis raræ, neglectæ caſtitatis frequentibus & multiplicibus adulterijs obnoxium.* (*t*) *Hagek. pag. B. fol. 91. in medio & alij.*

lium Ordinis S. Benedicti, in inferiori magno altari ſalutis anno 1216. decentiſſimè collocavit (*u*). De Lybicz arce, Witkoveorum Roſenſium à centum & pluribus annis avita ſede paucula ne prætermittam, iſtud ſuperaddo; quondam Roſetum Witkoveum, illuſtriſſimarum Roſarum ferax, nunc variæ ſementis ager eſt, locus tantùm circumſcribente vallo notabilis: planicies paſſuum centum octuaginta circiter. In ejus medio notabilis acervus pro tuberat, Oratorium, Slavnici fuiſſe quidam autumant: Huc loci nunquam ſæculis prioribus arantium boves, aut equi, vel etiam adacti, progredi voluerunt. Noviſſimè Ioannes Nedoma Libertinus, & Ioannes ejus filius aratrum admoverunt, ſed impervium fere, quòd majorum lapidum congeries obſtaret. Ubi etiam, fuſus argenteus nummus, cruciferum noſtratem non excedens, perſonâ mulieris inſignitus haud pridem inventus dicitur. Lybuſſæ nummum, & illum tunc minimum

mum

(*u*) *Hagek fol. 222. B. medio. Veſtigium Boëmiæ Piæ. pag. 42. Paprocżky, in Catalog: Epiſc. pag. 306. ſub initio.*

mum fuiſſe, nullus dubito: videri poteſt Hagecius, Patriâ linguâ editus, fol. 12. pag: B. lineâ 6.

17. Lybicenſem arcem, & Civitatem, qualem potui ruderibus obſitam, oſtendi: & ejuſdem à Wrſſovicenſibus, uti §. 11 dictum fuit, acceptam cladem, & incendium hactenus reſenſui: ſed adhuc utriuſque cauſa ſupereſt examinanda. Adverſus Boëmiæ Principes, Dominos, & per Czechum etiam deſcendentes amicos (*w*), Wrſſovciana familia, odium plusquam Vatinianum per plura ſæcula, velut ignem in ſinu, conſtanter fovit: ſopitum non nunquam, ſed, velut ſcintillam ſub ferventi cinere, ſæpius in flammas erumpentem; Przemyſlianæ Poſteritati fatum inevitabile. quod Lybuſſa Przemyſlai conjunx ac divinatrix pridem ante prædixit (*x*): & S. noſter Præſul Adalbertus poſt annos du-

(w) *Vide. Hagecium fol. 13. pag. 6. ſub medio. Potentia quoq; Wrſſovicenſium, & opes, videri poſſunt in Domoslao. fol. 9. pag. A. B. & fol 99. pag: à in fine.* (x) *Hag: fol. 13, b. ante fin: ſimile prædixit Banka. Wogeni conjunx Hagek. fol. 38. b. initio.*

ducentos non tantum confirmavit, ſed etiam de ſuccedanea Triplici Wrſſovicenſium ruina notabili prophetavit *(y)*. Attamẽ in multis ejusmodi Wrſſovicenſium periculis ac cædibus, quænam tres illæ ſpeciales per Sanctum Antiſtitem fatales vices præviſæ fuerint, hiſtoricorum nullus oſtendit. Varia de varijs Hagecius enumerat; & primò quidem Krzezomilum, ſibi vim gladio proprio per juſtitiæ miniſtros inferre coactum, quod vivente Mnata Principe Regnum affectâſſet *(z)*. Rohovicium, etiam Principatum ambientem, vitam laqueo finire compulſum *(a)*. Blobojus de Wrzeſſova, quod Svietlonem virum nobilem in ejus villa cum uxore & liberis incendiſſet, approperante vindictam Krzezomyſlio Principe, cùm effugium nullum ſupereſſet, ex incendio manu facto, cum uxore, liberis, in domo propria conflagravit *(b)*. Zianda cum Fratre Wrzeſolto

(y) Hag: fol. 113. à medio. (z) Hag: fol. 31. b. in fine Paproczky de Equeſtri Ordine pag. 5. medio. (a) Hag. fol. 38. b. medio, Paproczky ibid. in fine. (b) Hag: fol. 45. b. initio, Paprocky loc. cit. pag. 7. in fine, &c.

ſolto miſerrimè pereunt: dum Krzezo-
myſlium Principem, & Neclanum ejus
filium, è medio tollere contendunt (*c*).
Krosmieł de Wrſſovicz Mſtiboium Fra-
trem juniorem adverſus Hoſtivitum
Pragenſem Principem ad Bellum accen-
dit: ſed ex arce Sukoſlav expugnata, per
feneſtram elapſus, mortem turpiſſimam
difficulter evaſit (*d*). Cochano inſtin-
ctore poſtquam Beleſlaus III. Pragenſis,
à Boleſlao Rege Poloniæ, contra fidem
datam, in Polonia ferro candenti excæ-
catus: & Iaromirius inter venandum
ex manibus Wrſſovicenſium vix ere-
ptus fuiſſet; *Tredecim Wrſſovicenſes in-* 1.
terceptiſunt, & gladio percuſſi (*e*). *Cocha-
nus in hac Wrſſovicenſi Domo, malorum
caput*, cujus conſilio Fratrem Iaromi-
rium Udalricus Princeps excœcavit, He-
rauſs Wrſſovicenſis Udalrici vitam ap-
petijt, & Conradus Imperator, Boëmis
bellum indixit, Cochanus inquam cœco
Iaromirio per ſpiculatorem interempto,

(c) *Hag: fol. 47. ſub initio. Paproc: ibid: p. 8. med.* (d) *Hag: f. 58. à initio. Paproc: pag. 9. fuſſe.* (e) *Hag. f. 99. b. tota, &c.*

II. *tandem captus: à Brzetiſlao Principe crudeliſſimo ſupplicio peremptus, finem ſceleribus poſuit (f):* Polemirus Budcenſis, vitæ Wratiſlai Principis inſidiatus, criminis convictus, cum auxiliarijs & complicibus excœcatus (g). Bozeius & Mutina belli Polonici contra Boëmos autores, cum uxoribus & liberis exilio mulctati (h). Lorek, inſtinctu familiarium Bozei & Mutinæ profugientium in Poloniam, Brzetiſlaum à venatione reducem jaculo percuſſit: dúmque, veloci fretus equo, fugerat, in aciem ſui gladij mirabiliter incidens, animam cum viſceribus effudit (i). *Anno 1108. Mutina cum filijs quatuor Samorodo, Lidomiro, Miroſlao, Wſſemilo, cum alijs agnatis, Wnyſlao,*
III. *Domoſlao, Bozeio & Borzut hujus filio, nec non alijs Wrſſovicenſibus quam plurimis peremptus eſt (k).* Ieſsko, vel Ioannes, Tiſtæ filius, ob prædictam in ſuos crudelita-

(f) Hag: fol. 113. à in fine. Boregk in Bretislao. (g) Hag: fol. 134. pag. A. medio. Paproczky loco citato, pag: 12. ſub init. (h) Hagek fol. 149. B. initio. (i) Hag: 152. à initio. Paproczky. pag: 13. initio. (k) Hagek fol. 157. b. Paproczky. pag. 14. tota.

litatem, Svatoplucum Principem occidit(*l*): verùm brevi poſt, ex mandato Wladiſlai Principis, naſo & oculis privatus fuit(*m*). Iterum anno 1114. Princeps Otto Bozeikum Bozei nepotem, & Wackonem levem, Bozeiki affinem, candenti ferro excœcari juſſit(*n*). Tandem anno 1184. Ratibor Wrſſovicenſis, exul in Polonia, Friderico Boëmiæ Principi reconciliatus, propter fidelem operam in bello Moravico contra Conradum Patruelem ſibi præſtitam, in Boëmiæ Regno Przym arcem cum novis gratijs & inſignibus, etiam pro poſteris æternum inhabitandam accepit(*o*). Exinde facilè cognoſcas, quamobrem Wrſſovicenſes, plerique tunc infideles, Lybicenſem Comitatum, & Slavnici Familiam perditum iverint: nempe quòd Roſenſes Pragenſibus Principibus, infenſiſſimis Wrſſoveorum hoſtibus, amici fuiſſent, ſanguine fideque junctiſſimi.

(*l*) *Hagek fol. 158. b. medio.* (*m*) *Hagek fol. 161. à ſub initio. V. Paproc: pag. 15. medio.* (*n*) *Hag: fol. 163. b. medio Paproc. in ſtatu Equeſtri pag: 15, ſub medio.* (*o*) *Hag: f. 206. à Paproc: pag. 16. & 17.*

mi. Præterea, quod Woytiechum in effrænem Nobilium libertatem, & nonnullos exceſſus Deo contrarios, plus acerbum, Proceres palám pro concionibus obloquentem, ferendo non eſſent. Denique fatalis ruinæ triplicis *prædictio*, ſicut & Principis (*p*) Iaromirij, manſerat Wrſſovæis *altâ mente repoſta*; quam, cùm abſentis Epiſcopi ſanguine delere non poſſent, Quinque Fratrum, & Lybicenſium civium funeribus obruerunt: aut potius vindicarunt.

CAPVT XII.

Romæ à Theophania, & Aquisgrani ab Ottone III muneratus, per Ungariam ſecundo Pragam redit: ac obſtinatis Boëmis, & Strachiquate ſedem oblatam reijciente, tertio Romam abit.

1. IN extaſi quodam modò cum Woytiecho Lybicij ſtitimus: clauſtralem iterum, & in cellis abditum, non eà ta-

(p) Iaromirus etiam ideo Wrſſovicenſium inſtinctu confoſſus, quod palám fugiendos dixiſſet, & Brzetislao ab eorum conſilijs abſtinendum ſuaderet, Hagek fol. 113. a ins.

tamen, quâ primi nuncij Boleſlai Principis, indagine requiremus Pontificem: jam, non in Urbe tantùm, ſed etiam Italiæ Germaniæque Principibus, & Auguſtiſſimæ Theophaniæ, ſecundi Ottonis relictæ viduæ, à miraculis notiſſimum. Anno CMLXXXIV. Hieroſolymas iterum, & ad ſacra Paleſtinæ loca properantem peregrinum Adalbertum, Auguſtiſſima, tunc Romæ defuncti conjugis Ottonis II exequiarum juſta proſpiciens, clam accerſiri juſſit: petijt etiam defuncti conjugis Manibus ferventi ſuâ deprecatione Deum reddere propitium ad laboraret. Anonymus Surij (*a*) ſic prodidit: *Vbi* Theophania *S. Virum adeſſe cognovit Adalbertum Epiſcopum, & Hieroſolymam properare audivit, clam ad ſe vocat; oransque, ut pro anima Senioris,* videlicet Ottonis II, patris Ottonis III, *rogaret, maſſam argenteam obtulit in-*

 gen-

(*a*) *In vita S. Adalberti 23. April: cap 11. in fine, & ex ipſo Baronius ad annum 983. §. 19. Pontanus in oratione de S. Adalb: 23. April: Idem in Hymno carmine conſcripto de S. Adalb. mihi pag. 128. lin. 1. Vita alia. Wugecij Poſtillæ, Boëmicè translata ſuper addita, & alij.* (*b*) *Sylveſter Papa, cap. 20.*



Si putavi aurum robur meum et obrizo dixi: fiducia mea. Job. c:31. v. 24.

gentem, quantum Gaudentius vix levare (*b*) potuit. *Vbi accepit Vir Dei onus argenti, ſuo itineri aut neceſſitati parum providens, omnia ſequenti nocte per manus Gaudentij pauperibus expendit:* exiſtimabat enim veſtigia ſui Redemptoris non aliter adeunda, quàm in paupertate; quandoquidem ipſum Chriſtum, divitias & opes contemnentem, pauperem vitam à pueritia Hieroſolymis transegiſſe, certum eſſet. Imperatoris quóque Heraclij perſpectum habuit exemplum (*c*): quod gemmis & auro gravis quanquam ſub Cruce Domini bajulus, portam Sanctæ Civitatis Ieruſalem nullatenus ingredi potuerit, ab Angelo præpeditus; Adeoque veritus illud Moyſi quondam Divinitus improperatum Exodi cap: 3. v. 5. *ne appropies huc, ſolve calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, Terra Sancta eſt;* illicò divitias abjecit, aut potius diſperſit, dedit pauperibus: quo celerius nudum Chriſtum in Terra Sancta, ſanctiùs nudus aſſe-

(*c*) *Egnatius lib. 1. cap. 6. Bonfinius lib. 7. Decade 2.*

aſſequeretur. Piam intentionem Beati Præſulis antevertit providentia Numinis, & Hieroſolymas properantem, Romæ ſtitit; Græcis enim triumphatis, & poſt Victoriam Ottone mortuo, periculum utrinque pependit, & anceps bellum denuo ne recrudeſceret, Oriens & Occidens verebatur: ideóque liberos illinc & iſthinc tranſitus peregrinis ademit.

2. Unicum vitæ ſolatium & exilij, S. Bonifacij Romæ Cœnobium, ab annis decem Adalberto notum ſupererat: & cum Hieroſolymas adire non liceret, indulto Pontificis ad Clauſtrum redire, vitæq; perfectioris ſpiritualibus delicijs perfrui non neglexit. Congaudent
„ illo (*d*) redeunte Monaſticæ plebis ſacra
„ Collegia, ac ſanctitatis illius contuber-
„ nio, & ſocietate perfruuntur. Dilige-
„ bant eum omnes, ſed præ omnibus Ab-
„ bas ſuus, qui & poſt ſe, univerſo Fratrum
„ Collegio præfecerat illum. Sanctus au-
„ tem Adalbertus omni vilitate contentus,
„ quanto magnus erat, tanto ſe cunctis in-
ſe-

(*d*) *Sylveſter Papa, cap. 28.*

feriorem præbebat: quantò ſpirituali- „
bus divitijs affluebat, tantò in oculis ho- „
minum parvus, pauper & deſpectus eſſe „
cupiebat. Dicunt autem Abbas & Fra- „
tres ejus de eo, quia in omni virtute ad „
unguem perfectus, & extra Martyrium „
verè Sanctus erat, ſicque de die in diem, „
ſemper novus, & ſe ipſo robuſtior, ſuc- „
creſcens ad divinæ contemplationis fa- „
ſtigia, velut caſtiſſima turtur evolabat. „
ita Sylveſter Papa. *Volens autem Deus oſtendere*, verba ſunt ejusdem Papæ (*e*), *ſervo ſuo Adalberto, cujus meriti eſſet in conſpectu ſuo, monſtravit ei per viſum duos ordines in Cælo: unum purpureo, alterum niveo amictu: quibus ſub diverſa ſpecie ſingulare meritum, & propria merces, ambobus tamen eſca, & potus erat laus perpetua Creatoris. Et facta eſt vox ad eum dicens: Adalberte meus cariſſime: inter utrosque eſt tibi locus, convivatio menſe, & aptiſſimus honor. Hujus rei viſionem Abbati ſuo cùm exponeret, non hoc de ſe, ſed velut Sanctiſſimus Paulus re-*

ve-

(*e*) *Sylveſter apud Bzovium in vita S. Adalb: cap. 29.*

velationis ſuæ myſteria de alio homine enarrabat. Scio utique ejusmodi hominem, cui Dominus per viſum oſtendit cœleſtes acies, quarum una roſeo vernabat aſpectu: altera vero liliorum candebat amictu. & facta eſt vox ad eum dicens: inter hos ordines locum habes. Etiam à Pontifice quondam è monaſterio vocatus, *dum præſente Papa Miſſam celebrare deberet, cappam depoſuit (f)*: & cùm non eſſet alius, qui ex manibus Adalberti ſuſciperet, & ad partem ſeponeret, ipſemet humi deponere volebat; interea ſolis radius per feneſtram pervius, Adalbertum inter & humum, ut ſic dicam, obrigeſcens, ſervitium exhibuit, *& veſtem recipiens, more perticæ tenuit.*

7. Interea quo magis Beatum Præſulem in Urbe Romana Deus glorificare viſus eſt, eo graviús Boëmiam ſecundò jam excommunicatam propter exulem Adalbertum, ſiccitas, fames, & peſtis aggravabat: tum etiam exinde, quòd ab-

(f) Biga ſalutis mihi fol. 34. de Sanctis eſt antiquus concionator, hoc unde deſumpſerit, neſcio, id non reperi apud alios.

abſente Paſtore, grex Eccleſiæ diſpalatus criminum recidivam paſſus, in omne nefas deterior abiviſſet. Princeps Boleſlaus Pius, nuperæ plagæ ſexennio durantis non immemor, pro bono publico ſolicitus, Chriſtannum (*g*) de Scala, poſt Benedictinæ familiæ Brzevnoviæ Religioſum, fratrem natu minorem, cum idoneis, & linguæ latinæ peritis aliquibus Boëmis, ad repetendum Pragenſem Antiſtitem Adalbertum, ad præfatum Benedictum VII. Romam ordinavit. Moguntinus etiam, utpote Pragenſis Eccleſiæ tunc Archi-Epiſcopus, ab eodem Piiſſimo Principe, per literas rogatus, apud Summum Pontificem ſimiliter inſtitit, Epiſcopum Eccleſiæ periclitanti, vel etiam invitum, reſtitueret. Sylveſter Papa (*h*) fuſius rem enarrat: *Archi-Epiſcopus Moguntinus, inquit, Beati Adalberti gregem ſine Paſtore ire conſpiciens, miſit legatos cum literis, per quos Domnum Apoſtolicum de ejus reditu interpellat; fa-*

(*g*) *Anonym: Surij cap. 14. Sylveſter c. 26. Hannovienſis editio. capite 18.* (*h*) *In vita Sancti cap. 26.*

factáque eſt Romæ Synodus (*i*) *pro hac cauſa, & fit utrinque contentio magna; ex una parte eorum, qui Monachum amittere nolebant: ex alia, qui Paſtorem ſuum Sanctum Adalbertum cum autoritate repetebant.* Ad pium etiam Principis deſiderium, & Moguntinenſis Archi-Epiſcopi ſolicitudinem Divina voluntas accedebat, dum Adalberto nocturnis orationibus invigilanti Chriſtus in Cruce ſuffixus apparuiſſet; hortatus eundem, Pragam ad ſuos redire non ambigeret: prius tamen ad gentem Vngaram, atque alios adjacentes Idololatras diverteret. Id ipſum poſtquam Summo Pontifici Præſul patefeciſſet, Ioannes Papa reſpondiſſe dicitur (*k*): Sancte Præſul, quicquid

(*i*) *Concilium generale magis crediderim, in cauſſa Merſpurgenſis Archi-Epiſcopatus Magdeburgum translati per Ottonem 2. tunc jam defunctum, unà cum Alberto Magdeburgenſi, ſedis hujus Archi-Epiſcopo Primo, propter Giſellerum Alberti ſucceſſorem, ubi fors noſtri quoq́; Woytiechi mentio facta. Vide Baronium anno 983. §. 17. diſtinctum hoc fuit Concilium, à Synodo poſt facta ratione Woytiechi, quod in ſubſequentibus apparebit.* (*k*) *Hagek ad annum 990. fol. 93. A. initio, & Vita S. Adalb: in Vugecio Boëmicè translato. in Poſtilla.*

quid à Deo tibi demandatum eſt, adimplere ne prætermittas. *Cumq́ utraq́ pars*, inquit iterum Sylveſter, *pugnantibus ſententijs invicem decertaret, tandem dubiam nuntiorum Primas promeruit victoriam. Hic ipſe Primas* (*l*) Chriſtannum intellige, *Frater erat Ducis Terræ: & cui, qui exigebatur, Epiſcopus præfuerat. Apoſtolicus enim Papa tandem hanc ſententiam protulit: Reddamus inquit Patrem Filijs, Paſtorem gregi; ſed eâ lege, ut, ſi audierint, eum teneant cum Dei benedictione: & faciant ſub eo fructum centuplum. Si autem à conſueta iniquitate recedere nolunt, hic absque periculo ſui capitis malorum conſortia declinet. Hæc ubi dicta dedit*, finita eſt Synodus, & ſoluto cœtu redierunt quisque in domum ſuam; abſcedunt Legati læti, Monachis triſtibus, & valde merentibus.

4. Prænominato quoque Salutis Anno CMLXXXIV. Otto III. defuncto Romæ Patre, licet anno priori à Patre Succeſſor nominatus, primúm hic in Urbe

(*l*) *Tunc adhuc ſæcularem, Doctum Principem, & Scriptorem ſui temporis.*

be Rex Romanorum declaratus fuit. ita probabilius alij (*m*), contra Dithmarum Chronici libro 3. & Baronium, ad annum 983. num: 16. cum Dithmaro ſic loquentem: *Otto III. die Natalis Domini, à Willegiſo Moguntino Archi-Epiſcopo, & Ioanne Archi-Epiſcopo Ravennate, coronatur in Regem eodem anno 983. Quo officio completo, venit nuntium de Obitu Patris Ottonis, nempe ſecundi.* Cum tamen certum ſit, mortuo Ottone II. Decembris octavâ die, ſub hujus anni finem, Ottonem puerum undecennem apud Coloniensem Antiſtitem educatum fuiſſe: auditâ deinde morte Patris, Henricus Bavarus, quod Patruus magnus Ottonis eſſet, ad ſe pertinere pueri tutelam affirmavit; & Coloniam proficiſcens, eum ſecum abduxit. Inde non nullis Principibus Magdeburgum accerſitis, ibiq; Regium titulum ſibi vendicans, eosdem Quidlenburgum ſecum aſſumpſit: ubi pla-

(*m*) *Sigebertus ad annum 983. Chronicon Auguſtenſe, per Matthæum Mareſchalcum de Pappenheim editum, anno 986 Bergomenſis ad annum 987. pulchrè Crantzius in Saxonia, lib: 4. cap. 21. & Calviſius ad annum 984.*

planè Germaniæ Rex proclamatus fuit. Sed alij Principes, quòd huic Ottoni, defunctóque Parenti fidem in ſucceſſione Regni promiſiſſent, veriti perjurium, Henricum Bavarum, imperium affectantem, abjecerunt. Saxonibus pro Ottone III. bellum adverſum ſe parantibus, Henricus ceſſit; Ottonem puerum reddidit; qui brevi poſt, nempe CMLXXXIV. Salutis anno Saxonum auſpicijs, quod ex eorum Gente fuiſſet, Aquisgranum ad capeſſendam coronam Regiam deductus eſt. Ita Crantzius (*n*), & alij. Tunc adhuc Romæ præſentem Adalbertum ad Boëmos abire paratum, utpote notæ Sanctitatis Præſulem, Otto III. ſecum, velut felicis coronationis futurum auſpicium, Aquisgranum abduxit. Coſmæ vetuſtiſſimi Scriptoris verbis utar (*o*): *Huic Imperatori Adalbertus Præſul Pragenſis, inquit, adeò fuit familiaris, & carus obſequijs, ut in Paſcha, quod tum celebravit Rex Aquisgrani*, poſtquàm à Ioanne Ravennatenſi Archi-Epi-

(*n*) *In Saxonia lib. 4. c. 21. & alij ſupra citati.* (*o*) *Coſmas Pragenſis. Chronici libro 1. ad annum 984.*



Ornamentum gratiæ accipias coronam, et di-
gnationem consequaris corrogationis. Ecc: cap: 32. V. 3.

Epiſcopo Regalem unctionem accepiſſet (*p*), *in Palatio coram omnibus Epiſcopis hâc eum officÿ celſitudine ſublimaret, quo ſibi coronam imponeret, & Majorem Miſſam celebraret*, 9. Kal: Aprilis (*q*): *quod ſolùm fas erat, ut Archi-Epiſcopus faceret*. 24. Martij.
Poſt feſtum verò, cum jam accepiſſet à Cæſare (*r*) *licentiam redeundi ad Patriam, ſevocat eum Cæſar in ſecretorium, & faciens ſuorum confeſſionem peccatorum, commendat ſe pijs recordationibus ejus orationum. Inſuper dat ei paramenta, in quibus Miſſam celebraret in Paſcha: ſcilicet albam, dalmaticam, Caſulam, cappam, & facitergium, quò ea habeat ſui ob memoriam. Quæ, usque hodie, in Pragenſi Eccleſia honorificè habentur, & dicuntur paramenta S. Adalberti.* Hucusque Coſmas (*s*). Nonnulla adhuc in hodiernum

(*p*) *Vrſpergenſis, Henninges, Baronius ad annum 983. Schafnaburgenſ: ad ann: 984.* (*q*) *Lupacius in Ephemeridibus, & Weleslavina in Kalendario hiſtorico.* (*r*) *Non dum Cæſar fuit, ſed ſolùm Germaniæ Rex coronatus.* (*s*) *Loco ſupra citato. Melchior Goldaſtus lib. 5. c. 3. §. 11 & Hagek ad annum 984. fol. 91. pag. B. ſub medio. Notandus eſt hic error Coſmæ, Hagecÿ, & Lupacÿ, qui loco*

ſuperſunt in Metropolitana S. Pragenſi Eccleſia Divi Præſulis apparamenta, quæ, per ſingulos annos in feſto ejusdem Sancti 23. Die Menſis Aprilis populo videnda proponuntur. Eſt infula, eum in modum, qualem, anno priori 1667, in imagine Divi Præſulis æri inciſam exhibui; remanet etiam caſula auro intertexta (*ss*): Chirothecarum altera, Chirothecæ Vetero-Boleſlavienſi, de qua ſuperius mentionem fecimus, planè ſimilis: habetur etiam annulus inauratus, noſtratibus notabiliter major: eburneus pecten: duæ cruculæ quas collo dependulas geſtaſſe fertur, argentea una, cuprea altera, quasdam reliquias in ſe continentes. Num etiam calix Dalmaticæ, vel id genus alia, quæ Coſmas recenſet ibidem habeantur, & an ex iſtis, illa ipſa, ſaltem aliqua, ſint ab Ottone III. donativa, tunc Beato Woytiecho Aquisgrani data, quia reſcire non poteram, affirma-

*** re

tertij Ottonis in hoc anno, ſecundum Ottonem nominant, cum Otto II. anno priori obijſſet, ita mecum obſervat, Weleslavina fol. 166. (ss) Hanc ipſiſſimam eſſe, quam Otto III. donavit, aſſerit Drauſchovius. in vita cap. 16. in fine.

re non præſumo; ſolum de ijs, quæ vidimus, & manibus noſtris contrectavimus, teſtamur: & eſſe veras Adalberti noſtri reliquias indubitatè credimus.

5. Ab Ottone Germanorum Rege, puero duodenni, ſacris muneribus honoratus, quas Numen oſtendit, & Papa ſanxit Regiones adijt. Alpes transgreſſus, Anconam (t) deſcendit, ibique navim ſolvens, in Scardoniam, & inde in Croatiam, uſque Modruſſiam Croatiæ pervenit; ibidémque ſimplicibus illis provincialibus incolis verbum Dei prædicando, plurimos, Teſte Chronico Opatovicenſi, miracula quóque patrando, Chriſto lucratus eſt. Bajenus autem Bulgarorum Rex, & ipſe Idolomaniæ ſervus, inauditâ tanti viri famâ, prodigijs etiam celeberrimi, videre Præſulem in votis habuit: quibus æque Woytiechus reſpondiſſet, niſi divinitus monitionem accepiſſet, Vngariorum Genti ſuum iter deſtinatum fuiſſe. Non etiam neſcius Beatus Præſul illius Ambroſiani verbi,

(t) *Hagek fol. 93. A. initio.*

neſcit tarda molimina Spiritûs Sancti gratia, Modruſſiam Vngaricam die tertio pervenit, ac propediem Strigonium, ubi tunc Vngarorum Dux Geyza ſederat, ſecundo danubio navigavit. Fuit Geyza quartus ab ijs, qui Hungaris Pannoniam ingreſſuris Ducem ſe præbuerunt. Toxæ filius, Vngariæ tunc rerum iſte potiebatur: ſeverus homo & crudelis in ſuos. Et quanquam Paganiſmi cæcitati fuiſſet obnoxius, tamen ſpirituali cœleſtis gratiæ lumine propinquante cum omnibus vicinis circum quáque Provincijs de pace tractare propoſuit: ut jam in illo liceret animadverti, cujus optaret eſſe filius dicente Domino: *Beati pacifici, quoniam filÿ Dei vocabuntur (u).* Edictum quóque poſuit, ac juſſit Chriſtianis ditionem ſuam ingredi volentibus hoſpitalitatis, & publicæ fidei ſtudium & curam impendi. Porrò Clericis & Monachis fecit poteſtatem in ipſius quóque conſpectum veniendi: eosque propenſo animo adjuvit; atque ita factum eſt,

(u) *Matth. 5. v. 9.*

eſt, ut Orthodoxæ fidei ſemen in emollito pectore ſatum, in ſanctas fruges erumpere geſtiret. Interea dum pro ſua, populique ſalute fluctuat animus, Divina Clementia per cœleſtem ex alto interpretem in ſomnis conſolatur, omnem ſolicitudinem deponere, bonóque jubet eſſe animo: nec oportere talibus eum curis divexari, Sacroſanctos ut introducat Antiſtites, Eccleſias erigat, ac gentem Scythicam à profana religione vindicet, quandoquidem humano ſanguine pollutas manus habeat. Neque ullo modo fas eſſe infectas cœde manus, ædes pias erigere, Orthodoxæ fidei fundamenta jacere: quæ pias tantum & nullo facinore contemeratas expoſcunt. Naſciturum tamen illi ſanctiſſimum filium, titulo Regis aliquando decorandum, & à Deo pro ſacris ejusmodi operis deſtinatum. Vxor quóque Geyzæ Saroltha nomine, partui propinqua, meruit in viſione nocturna à S. Stephano Proto-Martyre de naſcituro filio confirmari, ſimúlque edoceri, ſuo eum Patro-

cinio tutandum, ſuum ei nomen imponi debere, ipſum ſuæ Gentis regium titulum & coronam primum habiturum. De Woytiecho propediem adfuturo Geyzam Angelus admonuit, venturum virum Apoſtolicum & Sanctum Boëmorum Antiſtitem, qui ſuos Vngaros ab idolomania redimet, Deique mandata publicamque Salutem Scythis annunciabit; idcirco velut de cœlo venientem Angelum honorificè reciperet, exceptum reverenter atque Patrem haberet: & ſyncerum ejus adhortationibus pij pectoris aſſenſum daret.

6. Naſcente poſtmodùm Geyzæ filio, quemadmodum Angelus in ſomnis olim prædixerat, auditur nuncius, virum quendam Sanctum, Boëmorum Antiſtitem Woytiechum advenire. Is nuncius novis Chriſti tyronibus ineffabilem attulit lætitiam; Dux cum ornatiſſima Procerum pompa, & novorum Collegio Sacerdotum obviam procedit; honorificè ſuſcipit: &, ut in viſione divinitus accepta, fuit admonitus, modis omnibus obedien-

dientiæ ſe filium futurum oſtendit. Deinde jubente ipſo, fit ubique congregatio indomitæ gentis, & Epiſcopo verbum evangelizante, multi converſi, baptizantur. Tunc Vngariæ populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nempe Ieſum Chriſtum, qui credentibus in ſe, dedit poteſtatem Filios Dei fieri. Geyza cum Saroltha conjuge, primi baptiſmatis fonte abluti ſunt (*w*); poſt etiam filium recens natum, in eadem Strigonienſi Metropoli S. Adalbertus, Sacramento Baptiſmatis initiavit, & nomen antea per B. Stephanum in ſomnis inchoatum, Stephani indidit. Quin etiam Theodatus, qui apud Sanſeverinates latiùs in Apulia quondam imperaverat, in Vngariámq; , patrijs finibus ejectus, evaſerat: & à Geyza Duce mirificè obſervabatur. Stephanum è ſacro fonte levavit: *quare Sacroſancti Patris jure ab eo ſemper vernacula*

(w) *Abrahamus Bakschoy Schemnicenſis in chronologia de Regibus Vngariæ. & ſic intelligendi ſunt quóque ſcriptores alij.*


Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomi
ne Patris et Filij et Spiritus ſancti. Matth. C. 28. V. 19

Italorum lingua per reverenter Tata, id eſt Pater ſalutatus eſt. Et quum haud procul à Danubio cœnobium fundâſſet, ac villam erexiſſet, nunc qúoque id cum rure Tata nominatur. ita Bonfinius (*x*). Aliter de hoc nomine noſter Hagek; ſub idem tempus, inquit, præfatus Theodatus celebre monaſterium in Vngaria conſtruxit: id ut Adalbertus de more Eccleſiæ conſecraret, rogavit. Libenter fecit Antiſtes, túm quod Divini cultus augendi opus eſſet, tum etiã, quòd charitatis vinculo, inter ſe connexi, pluſculos dies familiares, mutuò transegiſſent. Tunc oportuniſſimè, duo Iuvenes Boëmi, ſtudiorum gratiâ Hungaros adeuntes, ibidem ſuæ Patriæ Præſulem offenderunt, & Epiſcopum reverentiſſimè dum ſalutant, quânam gente? vel unde Domo? à Theodato rogati, reſponderunt: Boëmi nati, gratiâ ſtudiorum huc advenimus. iterum interrogati, Epiſcopus, quem ita perreverenter ſalutaſſent, quis eſſet? dixerunt linguâ patriâ: To

geſt

(*x*) *Bonfinius Hiſtoria Vngar: Decad: 2. lib. 1.*

geſt náſs Táta / hic noſter Pater eſt. Id velut agnomen Woytiechi Theodatus exiſtimans, non alio deinceps quàm Tata, Sanctum & ſibi chariſſimum Antiſtitem nomine compellavit: & Cœnobio quod ſuis ædificaverat ſumptibus, ac Woytiechus conſecraverat, Tata nomen indidit. quod in hodiernum usque illi loco ſervatum eſt. Woytiechus autem, *Pater ille graviſſimus, quomodo Stephanus infans aleretur, & quâ diligentiâ educaretur, inſtituit; illudque inprimis, ut cùm per ætatem fieri poſſit cum lacte præcepta ſacræ legis imbiberet, & in timore Dei ſemper inſtitueretur. Ab Adalberti latere nunquam aberat, à quo & doctrinâ & exemplo tantum hauſit ſanctitatis, ut hunc ſuæ Gentis ac vitæ auctorem magiſtrúmque unicum prædicaret (y);* Quod etiam Adalbertus in infante facillimum expertus fuit, dum Princeps optimus ad omnem virtutem & perfectionis apicem natus potius, quám factus eſſe putabatur *(z).* 7. Exin-

(y) Idem Bonfinius, ut ſupra. (z) Videatur hæc hiſtoria fuſius in Breviario Hungarico, & apud Chartuitium in

7. Exinde facilè cognoſci poteſt, Beatum Woytiechum Pragenſem Epiſcopum, Vngarorum quoque fuiſſe Strigonienſem Archi-Epiſcopum, conteſtantibus id ipſum Tabulis Archi-Epiſcoporum Strigonienſium, ab Vngaris in lucem editis. Teſtatur etiam Veſtigium Boëmiæ Piæ *(a)*: Balbinus in Familia Guttenſteiniana *(b)*. Confirmari quóque poteſt exinde, quod exiſtentibus tunc apud Vngaros Epiſcopis, Apoſtolicum & Archi-Epiſcopale munus, illis præſentibus, fideliter fuerit executus: cum Geyzam, Sarolcham ejus conjugem, Stephanum eorundem filium, & cum iſtis multa hominum millia baptizârit, Eccleſias etiam per totum Regnum plurimas conſecrârit. Chronicon Citicenſe, ſic habet *(c)*: *Hic*, videlicet Boë-

* *
* mo-

Surio 20. Die Menſ: Auguſti. Ranzanus in Epitome Rerum Vngaro Bonfinius citatus. Hagek anno 990. Paproczky in catalogo. Epiſcopor. pag. 277. Bzovius. 20. tom. Annal. in vita S. Adalb. pag. 605. lit. M. Boregk in Boleslao Pio. Thwrocz in chron. Vngariæ, &c. Thomas Iordanus in annotationibus ſuper Dubravij librum ſeptimum.

(a) Mihi pag. 43. (b) Pag. 39. ante finem. (c) Editum à Paulo Longio Cygnæo, Monacho Bozavienſi, mihi pag. 767

morum Epiſcopus Adalbertus, *tantæ Sanctitatis habitus eſt; ut divino Spiritu impellente in Pannoniam deſcenderit, & Regem Vngarorum converſum, cum maxima ejus Gentis multitudine, ſalutari tinxerit lavacro: & omnes* (ut inquit Platina) *Provinciæ Epiſcopos ad bene de Deo promerendum exemplo & doctrinâ inſtruxerit.* Deníque certum eſt ex hiſtorijs, poſt mortem Adalberti, fuiſſe ſurrogatum Vngaris Archi-Epiſcopum Secundum aut Tertium, ex Brzevnovienſi Boëmorum Cœnobio, quondam ibidem ab Adalberto Abbatem conſtitutum, virum ſanctitate ac miraculis conſpicuum (*d*); Ita per Divinam illuminationem ſanciente primo ſanctiſſimóque Rege Stephano, qui, poſtpoſitis omnibus Vngariæ Præſulibus, non alium, quàm Adalberti Pontificis diſcipulum, verum ejusdem imitatorem, Magiſtri loco dignum exiſtimavit: & approbante ſummo Pontifice, Hunnorum Archi-Epiſcopum eſſe juſſit. Apud Vngaros annis ſe-

(*d*) *Vide Dubravium Hiſtor: Boëm: lib. 6. pag. 40. ante finem.*

fere duobus (*e*) Apoſtolicis laboribus intentus Woytiechus, poſteaquam Regnum illud ab Idolis ad verum Deum per baptismum adduxiſſet, & jugibus prædicationibus, in fide plerosque confirmâſſet, etſi vehementer inſtantibus Vngaris, morari diutius ibidem non potuit. viſio ſiquidem quam Romæ per Chriſtum Crucifixum in oratione ſibi comparentem cœlitus promeruit, & obedientia Summo Capiti debita, ſemper ad ſuos Boëmos, omni tunc paſtore deſtitutos, & in maligno poſitos revocabat. Ideoque veritus, ne, dum exteris gentibus prodeſſet, indigenas oves perderet, ad Patriam propediem feſtinavit.

8. Ineunte noſtræ Redemptionis Anno CMLXXXVI, Pannonicum emenſus iter, dum ſecundò Pragam venit; *eunt obviam & ætas omnis & ſexus, & cum magno & læto animo eum accipiunt*, ſecundò *dant manus, & promittunt omnia velut qui de reditu ejus oppidò gauderent, & ſe-*

(*e*) *Breviar: Polonicum fer. 6. infra Octav: S. Adalb: noct. 2. lect. 1. Bonfinius citatus. Boregk in Boleslao Pio. Wugek: & alij.*

& ſecundum ejus ſacra præcepta priorem vitam ſe corrigere pollicentur (*f*). Magnis & multimodis populi pollicitationibus, ac ſponſione Principis Woytiechus iterum allectus, curam paſtoralem neglecti gregis eo diligentius aſſumpſit: & enarratis Boleſlao Pio per viam apud Vngaros, atque vicinas Gentes, exantlatis laboribus, ornamenta ſacra, ſibi ante biennium ab Ottone III. Aquisgrani donata protulit, & Metropolitanæ Sanctæ Pragenſi Eccleſiæ, pro futuris uſibus adſcripſit. Tunc etiam Beati Præſulis beata Mater Strzezyſlava (*g*), *venerabilis & Deo acceptabilis Matrona, tantæ etiam Sobolis divi Mater & eſſe digna* (*h*), necnon, ex ea fœcunditate Martyrum, Symphoroſæ (*i*), vel Machabææ (*k*), feliciſſimis matribus conferenda, finito vitæ curſu, Spiritum Deo reddidit: quam Woytiechus filius, ad beatæ memoriæ Slavni-

(*f*) *Sylveſter Papa in vita, cap: 26.* (*g*) *De hac vide caput 2. §. 11. pag. 47. & 57.* (*h*) *Coſmas ad annum 987. ſed Hagecius habet anno 986.* (*i*) *Breviar: Romanum 18. Iunij.* (*k*) *Machabæor: lib. 2. c. 7. Flavius Ioſephus in tractatu de Machabæis. tres hæ Matres Deo ſeptem Martyres enixæ feruntur.*

Slavnici conjugis latus Lybicij decenter tumulavit. Præmiſſis ad beatam Æternitatem Parentibus, & Quinque Fratribus Lybicij pro fide Chriſti peremptis, ita à ſolicitudine amicorum expeditus, totum ſe ſaluti ſui gregis impendit. Præter opinionem aliquando vidua quædam pauperrima, occurrens equitanti Pontifici, cùm nudæ penuriæ conſolationem aliquam quæreret; mecum hic nihil habeo inquit; cras veni ad Civitatem ſumens à me, tuæ neceſſitati quæ dare valeo cum charitate. cúmque dimiſſa muliere, cœpto itineri inſiſteret, meliore tactus cogitatione, vocans mulierem, Epiſcopus dixit: quis novit an die craſtina ſim victurus? hodie compleat acceptio datum, ne ego judicium, illa ſentiat damnum; & datâ cappâ, quâ amictus erat, reliquit exemplum bonum, ut opus non tardet, neſcientibus quid futura pariat dies (*l*). Animo fixum habuit, Salomonis illud Proverbiorum cap. 3. v. 28. *ne dicas amico tuo, vade, & revertere; cras dabo*

(*l*) *Surianus Anonymus cap. 19. Ribad: 23. Aprilis in vita, & alia vita MM. SS.*



Si negaui, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ expectare feci. Iob Cap. 31. 16.

dabo tibi: cùm ſtatim poſſis dare. Omnis enim benignitas properat, inquit Seneca, & proprium facientis, citò facere: ſi de die in diem trahens profuit, non ex animo fecit. Et Nazianzenus (*m*) oratione 16. *nihil beneficentiâ divinius in hominem cadit. Miſericordiam tuam ne nox quidem intercipiat; ne dixeris, aliàs redi, & in craſtinum dabo: ne quid forte accidat inter propoſitum tuum & beneficium unde impediatur.* Vnde veriſſimum illud Auſonij:

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt:
Quæ fieri properat gratia, grata magis.

Capellanus qui viduam vocaverat, Aſtericus fuit: qui fors ob hanc prodigalitatem *Sanctum virum arguendo, increpando, cùm multa inutilia furibundo animo loqueretur: ultra limitem rationis protervâ contentione progreſſus, quaſi quem amplius videre nollet, magnâ cum amaritudine reliquit;* inquit Anonymus (*n*). *Arrepto autem itinere, totâ die ipſe cum ſocio homine ſuo equitans, errare cæpit: & cum viam*

(*m*) *Apud Antonium in Meliſſa cap. 27.* (*n*) *Apud Surium 23. April: cap. 19.*

viam, haud aliter, atque manum ſuam ſibi notam, invenire non poſſet, ex pœna agnovit, quàm grave peccatum, cum Epiſcopo contendendo, perpetrâſſet. Porrò ad veſperam caſſo labore reverſus in Vrbem, quod, irâ dictante, ex humana infirmitate deliquiſſet, pœnitere coram Deo toto corde cœpit. hactenus Anonymus.

9. Annum vix unum Pontifex inter Boëmos tranſegerat, in Regno iterum ex inteſtinis odijs, ad publicas direptiones, cædes mutuas & incendia ventũ eſt; fraus etiam ad crudelitatẽ paganorum acceſſit, poſteaquam ſub Chriſtianorum prætextu, vicinos quoſq; rapinis, atq; alijs mille importunitatibus exagitâſſent. Incidit animo Pontificis, ut Boleſlaus Princeps, ad Chriſtianos ab infidelibus dignoſcendos, omnibus fidelibus in pallijs & veſtibus ſignum Crucis portandum imperaret. Præterea conſtitutum fuit in Omnibus Chriſtianorum Oppidis, imaginem Chriſti Crucifixi pictam, aut ex lapide vel ligno fabrefactam, in fidei teſtimonium in portis affigerent: ſimiliter & ru-

ruſtici, ex lapide vel ligno, ſacras columnas aut cruces apud pagos erigerent, hæc pietas in hodiernum usq; apud Boëmos obſervari ſolet. Sanctum iſtud Conſilium Epiſcopi, pro Chriſtianis ab infidelibus diſcernendis, aliquantum profuit: ſed gliſcens malum quod apud utrosque altas radices egerat, evelli nec minui potuit; ſiquidem Hagecio teſte (o) noſtræ Redemptionis Anno CMLXXXVII. rurſus improbitas caput ex Orci portis extulit, & itum in omne nefas: ac ſcelera ſceleribus augebantur, ut adimpleretur menſura Patrum. Prædicatio Woytiechi Pontificis apud ſæculares & Eccleſiaſticos deriſui potius quàm fructui fuit: maritos inter & uxores, paganos atque fideles, quotidiana repudia, nováq; connubia, pro ſingulorum arbitrio & libidine celebrata. Feſtivi ſicut feriales dies forenſibus, & ſervilibus operis impenſi: ſacri baptismatis, & aliorum Sacramentorum nullus honor: nulla tunc etiam apud Chriſtianos funerum ra-

(o) *Ad hunc annum fol. 92. pag. A. ſub medio.*

ratio, non certus, & præſcriptus ab Eccleſia ſepulturæ locus. In amore ſcelerum, rara fides, ſpes deſperata ſalutis, nulla charitas: contemptus Legis, & nullus Dei timor in Regno fuit. Boleſlaus Pijſſimus Princeps, dum ejusmodi prævaricationes in multis argueret, in alijs etiam ſeverè vindicaret: Epiſcopus quóque in non nullos vitæ diſſolutioris Eccleſiaſticos graviter animadvertit; ſed Clericorum aliquos, impendiò magis quàm dici poſſit, advertit ea ſæveritas, nec aliud Epiſcopus pro alienæ cura ſalutis retulit, quàm diſcrimen ſuæ: poſtquam ex inſtinctu ſacerdotum, à quibusdam Chriſtianis inſidijs appetitus, vitæ timere neceſſe habuit. Sancto Præſuli taliter inter ſuos conſtituto, non aliud conſilium aut remedium ſupererat, quàm relictis Boëmis, Romam abire: & apud S. Alexium aſſvetis aſceticæ vitæ delicijs perfrui. Id quóque propediem facturus erat: niſi magnitudo nivium, & nimia hyemis aſperitas abiturientem in hybernis continuiſſet.

10. Hæc

10. Hæc dum geruntur, Strachyquas Frater Boleſlai Pij Ratisbonâ Vetero-Boleſlaviam, ac mox cum eodem Fratre Pragã venit Año CMLXXXVIII (*p*). Iſte Strachyquas, ex tribus Boleſlai Sævi filijs primogenitus natus eſt: in cujus luſtrico convivio, S. Wenceſlaus à Fratre ſuo Boleſlao, natu minore, gladio confoſſus, interijt anno 929; hinc nomen Strachyſkwas / quaſi Straſſnyſkwas / latinè *formidabile convivium* dixeris, inter luſtrandum conſecutus eſt. Dein Pater fratricida *conſcius ſceleris patrati*, timens pœnas Tartari, mente ſemper recolens ſagaci, quoquomodo poſſet Deus ſuper hoc crimine placari, votum vovit Domino, dicens: ſi iſte meus filius ſuperſtes fuerit, ex toto corde meo, Deo eum voveo, clericus ut ſit: & ſerviat Chriſto omnibus diebus vitæ ſuæ, pro meo peccato, & pro hujus Terræ populo. Poſt hæc inquit idem Coſmas (*q*), genitor voti non immemor, cùm eſſet

 jam

(*p*) *Dubrav: in hiſtoria Boëm. lib. 6. pag. 39.* (*q*) *Ad annum 929. mihi pag. 12. ſub initio.*

jam puer docibilis (Hagecius ponit (r) ætatis anno quinto) & multùm Parentibus amabilis, miſit eum Ratisbonam, cum duobus ſibi fidiſſimis, nempe Sudivlado, & Krzeſoboio, pecunijs etiam adnumeratis argenti libris viginti (s), tradens eum ſub regulares alas Abbati S. Emerammi Martyris (t). Ibi Eccleſiaſticis & Regularibus ſanctionibus eſt imbutus, ibi Monachus habitu indutus: ubi usq; ad virile robur eſt enutritus; ad hunc nempe Salutis An: CMLXXXVIII.
„ qui fuit annus ætatis illius quinquageſi-
„ mus nonus. Hujus domi ſuæ copiam
„ nactus Adalbertus, multis coram verbis
„ conqueritur de gente, nimis adverſus
„ pietatis ſtudia contumaci; tentanti enim
„ ſibi, conantique omnia, per quæ indomiti
„ ſubdomari debuerint, non modo cona-
„ tum ſibi non ſucceſſiſſe, ſed etiam ob il-
„ lum ſe in tantum veniſſe multorum odi-
„ um, ut aliqui nihil libentius agant, quàm quòd

(r) *Fol. 75. pag. B. medio, ad annum 934.* (s) *Hagek loco præcitato.* (t) *Hagek dicit ad ipſum Beatum Emerammum Ratisbonenſem Abbatem enutriendum fuiſſe miſſum.*



Petÿ à Domino, hanc requiram: ut inhabitem
in domo Domini Omnib, Diebus. Psal. 26. V. 24.

quod nomen ſuum ad latrent & execrentur: non nulli perniciem inſuper ſibi planè moliantur. Quod ſi Strachyquas eâ, quâ eſt exiſtimatione & autoritate, propter Fratrem Principem, apud Boëmos, in locum ſuum ſuccedat: nihil ſe addubitare, quin plus ille uno nutu ſuo, quàm ipſe vel ſexcentis verbis, ad ſanandos morbis varijs implicitos proficiat. Hæc loquens, ibidem ſtatim ei inſignia Pontificatûs, nempe infulam, & pedum ultro exhibet: orátque, ut Pontificem Pragenſem libens volensque agat.

11. *Strachyquas veſte compoſitus,* (u) *aſt mente tumidus, actibus diſſipatus, oculis vagus, verbis vanus, moribus hypocrita, & totius erroris mandrita, atque in omnibus operibus malis iniquorum archigeronta, reÿcit* à ſe pedum cum infula; & velut indignabundus: *Tantâne*, inquit, *animi levitate præditus tibi eſſe videor, ut quam mihi ſemel ſumpſi perſonam, eam retinere nequeam? ego verò illam & retinebo perpetuò, & tanti caputium meum, quo caput &*

(u) *Coſmas ad annum 995. mihi pag: 17. ſub medio.*

& collum amictum vides, faciam, quanti tu Pontificalem tuum habitum. Adhæc ingemiſcens divinánsque Adalbertus, *magno, inquit, cum dolore hoc tibi dico Frater, honorémque hunc ultro à me delatum, quem nunc valde reſpuis, poſt hac non ſine maximo tuo malo requires.* Atque inde Adalbertus, quemadmodum jam pridem deſtinaverat, præſentiam ſui Boëmis irreligioſis & ad ſe opprimendum paratis, ſubducens, Romam paucis conſcijs petit (*w*). Congaudent illo redeunte monaſticæ plebis ſacra Collegia, ac Sanctitatis illius contubernio, & ſocietate perfruuntur. Diligebant eum omnes, ſed præ omnibus Abbas ſuus, qui & poſt ſe, univerſo Fratrum Collegio præfecerat illum. Sanctus autem Adalbertus omni vilitate contentus, quantò magnus erat, tantò ſe cunctis inferiorem præbebat: quantò Spiritualibus divitijs affluebat, tanto in oculis hominum parvus, pauper & deſpectus eſſe cupiebat. Dicunt autem Abbas, & Fratres ejus de eo, quia in omni virtute ad unguem perfectus, &

(w) *Dubravius loco ſupra citato.*

extra

extra Martyrium verè Sanctus erat, ſicque de die in diem ſemper novus, & ſe ipſo robuſtior: ſuccreſcens ad divinæ contemplationis faſtigia, velut caſtiſſima turtur evolabat. Et iterum proſequitur idem Sylveſter Papa cap. 29. Volens autem Deus oſtendere ſervo ſuo Adalberto, cujus meriti eſſet in conſpectu ſuo, monſtravit ei per viſum duos ordines in cœlo: unum purpureo, alterum niveo amictu: quibus ſub diverſa ſpecie ſingulare meritum, & propria merces, ambobus tamen eſca, & potus erat laus perpetua Creatoris. Et facta eſt vox ad eum dicens: Adalberte meus chariſſime, inter utroſque eſt tibi locus convivatio menſæ, & aptiſſimus honor. Hujus rei viſionem Abbati ſuo cùm exponeret, non hoc de ſe, ſed velut Sanctiſſimus Paulus, revelationis ſuæ myſteria de alio homine enarrabat. Scio utique ejuſmodi hominem, cui dominus per viſum oſtendit cœleſtes acies, quarum una roſeo vernabat aſpectu: altera verò liliorum candebat amictu; & facta eſt

vox

vox ad eum dicens: inter hos ordines locum habes (xx). „

12. *Tunc Strachyquas, Frater Ducis, videns Epiſcopum quaſi jure & regulariter à ſua plebe repudiatum, tumido faſtu exarſit in Epiſcopatum. Et quia facile eſt volentem cogere, protinus hunc idiotam & ſycophantam populus nequam in Epiſcopalem locat cathedram* (x); nec etiam Boleſlaus Pius, populi votis, aut potius ambitioni Fratris refragari potuit, ne honori Fratris invidere videretur, inquit Olomucenſis (y). Datis itaque literis, tum ad Ottonem, Germaniæ tunc ſolúm Regem, tum ad Willegiſum Moguntinum Archi-Epiſcopum, Strachyquatem inaugurari poſtulat. Quod munus dum Archi-Epiſcopus Moguntiæ peragit, illéque ſe ante aram de more proſternit, atroci dæmonio corripitur: fremit ſubitò, ſpumat, ô miſeranda rerum facies! nec prius dæmon dimittit corpus, quàm ipſe

(xx) *Sylveſter Papa c. 29. Anonymus Surij cap. 26. & aliquot Vitæ tam MM. SS. quàm impreſſæ.* (x) *Coſmas citato loco.* (y) *Nempe Dubravius Ibidem pag. 40.*

ipſe vitam (z). *Cunctatur, talis eſt enim Numinis natura (a):* deſpicitur, inquit, Gregorius (*b*), & expectat: contemni ſe videt, & revocat; injuriam de contemptu ſuo ſuſcipit: & tamen quandoque revertentibus etiam prœmia promittit. ſed nemo hanc ejus longanimitatem negligat: quia tantò diſtrictiorem juſtitiam in judicio exiget, quantò longiorem patientiam ante judicium prorogavit. *Sicut enim qui paulatim arcum intendit (c), tempus dat alteri ut fugiat: qui ſi fugere nolit, tantò fortiùs ſagittâ emiſsâ configitur, quantò majori tempore arcus intenſio fuit facta. Sic Deus laneos habet pedes, ſed ferreas manus; tarditatem ſupplicij gravitate compenſat.* Patiens enim redditor

(z) *Ita, præter ſupra citatos, Pontanus in Oratione de S. Adalb: 23. April: Boëm: Pia lib. 2. in Boleslao Pio, & lib. 3. §. S. Adalb: & in libello carmine conſcripto de SS. Patronis in hac vita pag. 125. Æn: Sylvius Hiſtor: Boëm: cap. 16. Boregk in Boleslao Pio. Dalymilus Mezrzicenſis in Hiſtoria M. S. cap, 35. Weleslavina in Calendario Hiſtorico pag. 70. & in Prolegomenis in ſucceſſione Principum fol. 4. pag. prima in fine. Stransky cap. 6. §. 16. pag. 280. Melchior Goldaſtus lib. 6. cap. 4. §. 6.* (a) *Plutarchus de ſera Numinis Vindicta.* (b) *Hom. 13. in Evangelia.* (c) *S. Hieronymus apud Cornel: ad Rom: 2. v. 5.*

tor dicitur: nam *quos diu, ut convertantur, tolerat, non converſos durius damnat.* Sic meritò Strachyquati Threnodiam illam adijcias: *qui non anticipat pœnitentiam ante mortem, infelix eſt* (*d*) Cum fratricidio Patris, penenatus, quinquaginta novem annis Religioſus in benedictione vixit, verùm diſciplinæ ſpiritualis immemor, ſenex in fine corrupit; admirandus Frater Boleſlai Principis, quòd ita cœperit, miſerandus quòd ſic deſierit. Ex hoc tam horribili & prodigioſo caſu, non minus Boleſlaus Pius, quàm Moguntinus exterritus, uterque ſuos Romam ad Adalbertum allegat, qui ei reditum in patriam celerem, ad recuperandum Pontificatum perſvadeant. Illóque Romæ manendi propoſitum retinente cum ſodalibus, quorum ſodalitia profeſſione etiam Religionis approbavit, ambo rurſus per legatos Romanum Pontificem aggrediuntur, orantes: ut, vel invitum Româ extrudat ad Eccleſiam ſuam Adalbertum, ſi bene conſultum

(*d*) *Proverbium Arabicum quod extat centur: 2. n. 17. vide pracitatum Cornel. à lapide.*

tum Boëmis, qui Romanam Religionem affectantur, velit (*e*). Quidquid de Willigiſo Dubravius aſſerit, penes illum eſto; mihi magis perſvadeam: ipſum Willigiſum ſedis Pragenſis tunc Archi-Episcopum, propter inauditum ac triſtem Strachyquatis interitum, tum etiam
„ ſuæ ſuffraganeæ tertio vacantis Eccleſiæ
neceſſitatem Romam abijſſe. Sylveſter
„ Papa (*f*) ſic legit: Archi-Epiſcopus quo-
„ que Willigiſus Romam venit, atque ve-
terem querimoniam canens interpellat:
„ congeminat vota cum votis, & ut repor-
„ tet illum, omnibus modis inſtat. In Apo-
ſtolica quóque Synodo Canonum teſti-
„ monia revolvens, coram omnibus ſe ju-
„ ſta petere clamat: peccatum eſſe, ſingu-
lis Eccleſijs maritatis, ſolam Pragam vi-
„ duari. Iuſta poſcentibus, benevolam
„ aurem dari, viduæ Eccleſiæ maritum
„ ſuum præberi, liberá mente poſtulat.
„ Rurſum ex itinere, quo verſus eſt ad Pa-
„ triam, continuis literis hoc idem reitera-
„ re non ceſſat: nec dimiſit prius, donec
pollicitus eſt Domnus Apoſtolicus, fa-
„ cturum ſe quæ vellet. Accidit illa Sy-
no-

(*e*) *Dubr: loco cit.* (*f*) *In vita S. Adalb. c. 31.*

nodus Romana propter Adalbertum, Redemptoris anno CMLXXXIX. indictione ſecundâ, ſedente Summo Pontifice Ioanne XV (*g*), ſedis anno quinto.

CAPVT XIII.

Tertio Româ rediens, in aula Ottonis viſiones à Deo meretur: Brzevnovióq; in Boëmia condito, cum ſeptem Fratribus ad Polonos abit; miracula patrat; & poſt inſtitutos Electores Imperij, per Luiticos tranſiens, apud Pruſſos occiditur.

1. IN unum conſentientibus Adalbertum Synodo, Ioanne Papâ, Willigiſo Moguntino Archi-Præſule: condeſcendente quóque S. Bonifacij Abbate Leone, Woytiechus quanquam invitus, tertio Pragam reverti paratus, ſecretò Pontificem adijt, ac ejusmodi verbis locutus fertur (*a*): hoſtis quieti meæ invidet, qui vos ſuo ſtimulo inſtigat, ut eo me redire compellatis, ubi animarum fructum

(g) *Baronius ad hunc annum num. num: 1.* (a) *Anonym: Surij cap. 20.*

ctum non faciam; detrimenta animæ meæ immania capiam. Mitiga ærumnam meam, defectui meo remedium appone: triſti receſſui meo da vel unum Solatium. Si audiunt oves meæ quam clamo vocem, vivens morior cum eis: ſin minus, pietas tua mihi ſuccurat, ut verba vitæ eis ſpernentibus, cum licentia tua vadam ad exteras & incultas gentes, quæ neſciunt nomen Domini. Acquievit libens voluntati Hominis Dei Papa Ioannes *(b)* & nationibus Barbaris, Evangelij prædicationem facilè conceſſit, atque ita reſpondit: *O fili dulciſſime, & Frater amantiſſime, per caritatem Dei te deprecamur, & per amorem proximi obteſtamur, ut ad tuam Parochiam dignanter redeas, regiménque tuarum ovium diligenter recipias. Si te audierint, Deo gratias: ſi te non audierint, fugientes te, fugias, ne cum pereuntibus pereas; & ad nationes exteras prædicandi licentiam ha-*

(*b*) *Surianus Anonymus, Gregorium hic nominat, ſed ratio temporum repugnare videtur: neq; amplius Woytiechus in Italia fuit, dum Gregorius ejus nominis quintus ſedere cœpit.*

habeas. Hâc Præſul valde exhilaratus ſententiâ, quòd ſibi data ſit docendi exteras gentes licentia, non ſine magna mœſtitia, Fratrum dulcia linquit conſortia (c). Gaudentium Fratrem, individuum laborum & viarum comitem, unà tollens, cum ſummæ diſcretionis viro Notherio Alpes tranſcendit, & poſtquam circiter duorum menſium iter agerent, Moguntiam, ubi propter auram contagioſam ac peſtiferam, deſerens Italiam, Imperator commorabatur, feliciter pervenerunt. Illud pariter Anonymi capite 18 minimè prætereundum exiſtimo; cùm Ravennam veniſſet, quod absque paſtorali pedo vir tantus per Orbem diſcurreret, improperatum habuit. Verùm ſanctiſſimus vir iterum cedro dignum reſponſum reddidit: *Vivit Deus*, inquit, *in cujus conſpectu ſto, facile eſt geſtare pedum, ſed difficile reddere rationem, cùm venerit ad judicium, qui non errat, diſtrictus judex vivorum & mortuorum, ſive in ignem, ſive in vitam mittendorum*. Iterum ad priora redeo.

(c) *Coſmas ad ann. 995.*

2. Manſit itáque cum Imperatore S: Adalbertus aliquanto tempore, quia familiariſſimus ei erat, & nocte pariter ac die Imperiali Cameræ adhærebat. Hoc autem non ſic, veluti ſæculi aliquo amore captus, ſed quia dilexit ipſum, & dulcibus dictis ad amorem cœleſtis patriæ accendere voluit. Nam die, ſive nocte, cum turba locum dedit, ſanctis alloquijs aggreditur illum, docens: ne magnum putaret ſe Imperatorem eſſe; cogitaret ſe hominem moriturum, cinerem, ex pulcherrimo putredinem, & vermium eſcam eſſe futurum Viduis exhibere ſe Maritum, pauperibus & pupillis monſtrare ſe Patrem: timere Deum, ut juſtum & diſtrictum judicem: amare ut pium veniæ largitorem, ac miſericordiæ fontem: ſollicitè penſare, quàm anguſta via quæ ducit ad vitam, & quàm perpauci, qui intrant per eam: bene agentibus eſſet per humilitatem ſocius, ut contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus. Ad hunc modum plura ſubnectens, monet charum filium præ-



Humiliatus sum usq̃ quaq̃ Domine.
Vivifica me secundum Verbum tuum. Psal. 118. v. 107

præſentis vitæ bona deſpicere, æternitatis electionem deſiderare, manſura quærere, in temporalibus rebus & tranſitorijs fiduciam non habere. Cunctis qui in domo Regia erant ſerviens, & veluti ſervus omnium, ſic eorum viliſſima quæque omnium tractabat, & omni humilitate eorum ſervitia faciebat: noctibus cùm carpſerant ſomnum, calceamenta eorum detergebat, & à janitore uſq; ad Principem Regiæ domûs omnium caligas aquâ abluebat, & purgatis ſordibus, eas ſuo loco reſtituebat. Hæc & hujuſmodi plurima ſervitia egit in Camera, & quantò quæq; viliora erant, tantò libentius ea pro humilitate exhibebat. Sed ſervitij illius Auctor diu manſit incognitus, donec cujuſdam Volfarij bonæ indolis relatio nobilem prodidit ſurem. hucuſque Sylveſter Papa *(d)*.

3. *Vidit quoq;*, [continuat idem Sylveſter *(e)*,] *ibi ſomnium nocturnum S: Epiſcopus, quod hujuſmodi erat: remeante ſe* ad

(d) Sylveſter Papa cap. 31. Anonym: Surij. in vita Sancti.
(e) Sylveſter Papa cap. 31. Anonym: 24. cap. Pontanus inOratione. Menologium Bucelini.

ad Patriam, putabat ſe Fratris ſui Curtem, vel Aulam *adire, & in ejus medio ſtare domum, cujus ſtructura erat aſpectu delectabilis, parietes & tecta nivei candoris, omne opus multo lumine & magno decore refulgens: intus duo lecti, unus ad ſuum opus, alter pro quiete fratris, ambo ampliſſimo ſplendore præditi; Sed qui Epiſcopo debebatur, multò eminentior, totus purpureo ſplendore ſericeiſq; pannis, & auro, ac diverſiſſimis pulchritudinum coloribus veſtitus apparuit: & ab imo uſque ad ſummum clariſſimis ornatibus excultus: & capitale aureo panno tectum, aureum habens ſupra librum (f) aureis literis ſcriptum:* Munus hoc donat tibi filia Regis. *Cujus viſionis ordinem cùm aliquibus narrando exponeret: vide, inquiunt illi, quia Chriſto ſecundante Martyr eris futurus. Regis Filia, quæ dat tibi Regia dona, hæc eſt Domina Cæli, ſacratiſſima Virgo* MARIA. *Hoc audiens ille, factus eſt lætiſſimo animo: & ingreſſus cubiculum cordis, egit gratias Sanctorum Sancto Angelorum Domino, &* omni-

(f) *Anonymus Surij cap. 24. dicit eas literas in panno fuiſſe ſcriptas.*

omnipotenti Chriſto. Hinc Matrem gratiarum, quæ Regis ſolio proxima ſedet, prona cervice, & gaviſa mentis jubilo adorat: gratias tibi, inquiens, Virgo maris ſtella, quæ me, ut pia Domina, humillimum ſervum tuum reſpicere dignata es. Com-
“ pleta eſt autem (*g*) pij Adalberti viſio to-
ta, dum ante ſe quinque (*h*) Fratrum,
“ poſt etiam maximi Fratris Poray (*i*)
“ mors ſubſecuta eſt: quorum mortibus
mors ſua quantò foret præſtantior, ſicut
“ & lectus ejus illorum lectulo viſus eſt ele-
“ gantior, nemo non intelligit, qui ipſum
(ſcilicet Adalbertum) cauſâ Dei, illos ſæ-
“ culi & vitæ defendendæ cauſâ cecidiſſe
“ cognoſcit (*k*). ita Surianus Anonymus. Sed nos Boëmi certum habemus ex hiſtorijs Domeſticis, ex odio Catholicæ fidei trucidatos à Paganis fuiſſe.

4. Admonitus ejusmodi præludijs & ad Martyrium paratiſſimus Adalbertus, priusquàm ad obſtinatos Boëmos redire

(*g*) *Anon: Surij cap. 25.* (*h*) *Surianus Anonymus tantùm quatuor ponit.* (*i*) *Intelligendus eſt Autor de carnalibus Fratribus Lybiczij peremptis: non autem de Fratribus Ordinis in Polonia trucidatis Anachoretis, ut bene oſtendit gloſſa marginalis.* (*k*) *Anonym: Surij cap. 25. in fine.*

diret, Sanctorum Dei ſepulchra viſitare deſtinavit: ut, quorum pro Deo patientiam infractam noverat, ab iiſdem ſibi, pro periculis ingruentibus robur impetraret. Itáque relictâ tunc, adhuc Germaniæ Regis, Ottonis aulâ, primò Turonum pedes abijt (*ll*), Beati Martini Pontificis opem imploraturus. Similiter Lutetias Pariſiorum in Gallias abſceſſit, *ubi* (*l*) *Sanctus & pretioſiſſimus Martyr Areopagita Dionyſius, fuſo ſanguine, requieſcit; qui Athenis Philoſophiæ ſtuduit, ubi quem Paulus prædicabat, ignoto Deo poſita ara, qui etiam Gallis evangelizandi reſponſa accepit, &c.* Deníque Floriacum ad ingens Benedictinæ Familiæ cœnobium, pervenit: & ſui Patriarchæ Sancti Benedicti tumulum veneratus eſt; *ubi etiam,* (*m*) *quis ille ſit, cæcorum viſus, claudorum greſſus, & cœleſtium miraculorum multa millia proteſtantur.* Nec prætermiſit, Beati Mauri ſepulchrum, primi poſt Patriarcham Benedictum, ſacri Ordinis

(*ll*) *Anonym: cap. 21.* (*l*) *Abrah: Bzovius ſuper vitam S. Adalberti in Sylveſtro. ſuper cap. 31. in gloſſa, ſub lit. k.* (*m*) *Sylveſter Papa cap. 31. in vita.*



Oſculatus eſt eum et plorans ſupra collum eius, dixit:
benedictio ſit tibi, fili mi. Tob. c. 7 v. 7

Abbatis, pietatis & miraculorum celebritate Magiſtro Benedicto ſimillimi (*n*). Tandem poſt reverentiſſimam prænominatorum locorum venerationem ad aulam Ottonis reverſus, ultimum & hunc familiariſſimum ſermonem inſtituens, quid animo verſaret, fideliſſimè recenſuit; poſtrema deníque colloquia Paternum pacis oſculum, Ottoni datum, concluſit: & Adalbertus, nunquam in poſterum in vivis Ottoni conveniendus, juxta Sanctæ Synodi decretum, ad Gentem ſuam apoſtatricem abſceſſit. Vix Beatus Antiſtes Boëmiam ingreſſus eſt, graviter ad ipſum limen offendiſſe fertur, poſtquam die Dominicâ confluentem ad nundinas populum mercimonijs intentum deprehendit; ad eos itáque qui ſe in Patriam reduxerant, converſus, *improperando ſic ait: ecce veſtra promiſſio bona! pœnitentes veſtri nec feriantur hâc die ſacrâ* (*o*). Pragam demum ingreſſus Epiſcopus, Anno CMXC majore honore à Boleſlao Pio excipi non potuit, quàm

Aa 5 eſt

(*n*) *Anonym: Surij cap. 21. in fine.*
(*o*) *Anonym: Surij in vita cap. 14.*

eſt poſt tertium reditum exceptus, locóq; ſuo, & bonis paternis, quæ per abſentiam ſuam ad manus aliorum tranſiverant, operâ Principis integrè reſtitutus. Anno ſubſequenti dum latomiæ montis Petrzynenſis à lapicidis, in Pragenſis Vrbis ædificia frangerentur, & Latomi, de more, ſub quadam quercu prægrandi focum incenderent, larvas humanæ ſpeciei ſimillimas inter flammas apparuiſſe contigit: atq; ita dæmonis ludibrium indies auctum, apud paganos, & nonnullos etiam Chriſtianos, velut ſacro igni religionem fecit. nocturno tempore plurimis eò frequentantibus, & humanas facies ſibi aſſimiles in igne conſpicientibus, fides acceſſit, majorum ibi ſuorum, & Parentum animas expiari. Quare nonnulli falsâ pietate ducti, panes & nummos, oblationis ergó, pro ſuis defunctis cremandos, in ignem proijciebant. Ejuſmodi ſuperſtitione Princeps cognitâ, rogum extingui, & quercum ſuccidi juſſit, quo facilius dæmonis illuſiones in humanis cordibus conceptas extingueret.

Sed

Sed anni ſubſequentis ineunte vere, cujuspiam opera, novus ignis eodem loci ſuccenſus, populum ad novam ſuperſtitionem rurſus inflammavit: & quod in novis ignibus, novæ facies eæque pulchriores apparerent, ne prodigium cum igne rurſus extingueretur, ad tutandum vulgus turmatim occurrit. Verùm fortiori brachio Principis, ignis iterum extinctus, ibíque conſilio Woytiechi Præſulis Eccleſia nomini Sancti Laurentij dicata, & quantocius extructa, per manus Epiſcopi fuit conſecrata (*p*).

5. Demum Anno CMXCII Woytiechus Pragenſis Antiſtes divinitus admonitus, unà cum Boleſlao Principe Cœnobium, quod Brzewnoviam vocant, prope Pragam ædificavit, ac munificentiſſimè *de ſuo vero Patrimonio dotavit; & per ſe ipſum in honorem S. Benedicti Patris Monachorum, & SS. Bonifacij Martyris, & Alexij Confeſſoris conſecravit Reliquijs eorundem Sanctorum ac Indulgentijs ſuis & Pa-*

(*p*) *Hagek anno 99, & 992. Videatur etiam Brzewnovienſis Anonymus. parte 2, hujus opuſculi in explicatione Hymni S. Adalberti Notabili 9. in ipſo fine.*

& Papalibus honorificè inſignivit: & præcipuè invaſores Bonorum temporalium ejuſdē Brzevnovienſis Monaſterij propria in perſona excommunicavit. Et mox anno ſequenti, Boleſlaus Princeps, abundè Cœnobio proſpiciens, nonnullas ditiones eidem ſuperaddidit, quemadmodum ex ejus privilegio conſtat, his verbis (q): *In nomine Domini. Amen. Boleſlaus Dei gratiâ Dux Bohemiæ, &c: Notum ſit omnibus & univerſis, præſentibus quàm futuris, quòd ego divinâ inſpiratione inſtructus, pro ſalute animæ meæ, parentumq; meorum, Brevnovienſi Monaſterio, à me & à Venerabili Patre Domino Adalberto Epiſcopo Pragenſi, ex Præcepto Domini Ioannis Papæ laudabiliter conſtructo, ad ſuſtentationem ibidem Monachorum Deo ſervientium, contuli villam Brzevniova nomine, ante ipſum Monaſterium, cum omni familia & terra ſufficienti ad montem incultum, ad meridiem tendentem, à bivio quodam, in quo præciduntur molares, Sihrenovicze* (qq) *dicto, per directū uſq; ad Leſce, & à*

(q) Paproczky Stemmatographiæ part: 1. pag: 347. & ſeq.
(qq) fors legendum Zernowice.

& à Leſce uſque ad ſaxum quod eſt poſitum in via, per quam venitur ad Civitatem Pragam. Villam etiam, quæ Veleſlavin dicitur, cum omni familia ad vineas excolendas terramq́; ſufficientem, cum villa adjacente Sſatow nomine, & montem alium incultum à villa Krzeſſowicz tendentem ad villam Lybecz, cum ſylva adjacente Maleiow nomine: Villam quoq́; Rüſen nomine, cum campis & pratis ad ipſam pertinentibus, & in villa Koromrtwicz tres Animatores cum terra ſufficienti; in Civitate quoq́; Pragenſi decimum forum, & decimum denarium de judicio: decimnm hominem captivum, & triginta animatores, eorumq́; poſteritatem, cum triginta æreis, ad diverſas officinas diſpoſitos. Duo Molendina ſub ipſo Caſtro Praga, & de ipſo flumine Wltava, ad tria obſtacula molendinorum in eodem loco: Villam quoq́; na Wranym nomine cum hoſpitibus & Eccleſia, ad quam de curia mea Radotin, decimam de omni proventu diſpoſui: piſcatores cum ipſa villa Lahovicz, cujus termini ſunt Kralowa Hora, & duo rivuli Dubna & Sala cum flumine Wltava: & alterâ

par-

parte fluminis ejuſdem à Budiovice uſque Creſvina, & uſque ad viam quæ dicitur Slupczicze. Decimam quoq́ de omni agricultura de Porzecze, & de omnibus agris, qui pertinent ad Ribnik & Manſum in littore fluminis Wltavæ, ad horreum conſtruendum, & obſtaculum in eodem loco, ac Molendina ædificanda: Lubcziczich ſylvam cum Piſcatoribus, ac terram ſufficientem cum flumine, à loco qui dicitur Strabel, uſq; ad Podwidice. Item villam Oipernich nomine, & aliam Bunczicze, cum omnibus ſuis attinentijs. In Curimenſi verò Provincia duas villas, unam Trzeboſſowicz prope Saczka, cum agris, pratis & paludibus, & aliam Mraczenice/cum terra ſufficienti intra ſylvam & extra, per circuitum Crech cum prato, in Choczebus Eccleſiam cum terra ſufficienti & monte Oſtrov nuncupato. Inſuper in Lithomerzicenſi provincia obtuli villam Horidel dictam, cum hoſpitibus & ſylva adjacente, cum paludibus & flumine Ogra uſque ad Albiam, & villam Vlenczich cum ſuis attinentijs. Præterea ſtatui ut ſingulis annis in dedicatio-

catione Eccleſiæ ſupra nominatæ villicus Pragenſis, quisquis fuerit, 300 denarios perſolvat, lapidem Ceræ ad luminaria eidem Eccleſiæ, tres urnas mellis, triginta caſeos, & decem panes: Villicus autem Plſnienſis Provinciæ in Paſchate 300 nummos perſolvat, in Pentecoſtes die 300, in feſto S: Michaelis 300, in Nativitate Domini trecentos. Conſtitui etiam & ordinavi, ut in omnibus telonijs, per Boëmiam conſtitutis, fructus decimæ ſeptimanæ cedat ad uſum Brzevnovienſi Eccleſiæ videlicet Domažlicych / Cralupich / na Chlumcy a Sſtiernicży / Lithomierzicych a Auſty ſuper Albiam. Super hæc appoſui decimum forum, decimum denarium, ex omni judicio in his civitatibus, ſcilicet na Slanem, in Plzen, Lithomierziczych, Chrudimi. Placuit etiam & coram nobilibus terræ firmiter decrevi, ut omnes homines Brzevnovienſis Eccleſiæ ab omni provinciali jure, ſeu lege liberi, atque exempti permaneant. non ad eos pertineat oppida ædificare, non pontes renovare, non alicujus potentis perſonæ judicio pro qualicunq; cauſa, niſi coram ſuo Abbate

bate aſtare, & omne judicium quærere; nec ipſi cogantur venatores vel aliquos nobiles terræ hoſpitio recipere, niſi hoc fiat de bona ipſorum voluntate. Reliquum ſimiliter conſtitui & conceſſi, ut quidquid homines Brzevnovienſis Monaſterij per aquas totiûs Bohemiæ, per vias ad uſum Monaſterij duxerint, ab omni jure & debito telonario ſint totaliter exempti, nihil omnino cuipiam perſolventes: hanc ſiquidem libertatem ad petitionem honorabilis Viri Domini Adalberti Epiſcopi Monaſterio Brevnovienſi perpetuo conceſſam, ac in ſcripto reductam, ſigilli mei appenſione communivi & confirmavi, confirmatámq; ſuper Aram Sancti Benedicti, Abbati manibus meis poſui, rogans ut omnes ablatores, ſeu invaſores hujus Privilegij, ipſe Dominus Epiſcopus excommunicaret, quod facere non obmiſit. Datum per manum Domini Chriſtani Fratris Illuſtriſs: Ducis Boleslai: Anno Gratiæ CMXCIII. in ipſa die dedicationis Monaſterij ſupra ſcripti.

6. Hoc etiam Anno Woytiechus Pontifex in prænominatum Cœnobium

ſacræ

ſacræ Benedictinæ Familiæ Sodales duodecim (r) adduxit: & Anaſtaſium, notæ ſanctitatis virum, ſacro huic Collegio primum Abbatem præfecit. *Sæpius in hoc contubernio (s) Adalbertum quàm in domo ſua Pontificali reperiſſes; adeo moribus & naturâ cum ſanctis illis Patribus congruebat. Sed nec Boleslaus à conſvetudine illorum abhorrebat, feſtis præſertim diebus ſpontè veniens (ut bonis mos eſt) ad bonorum convivia, quæ à precibus illi incipiebant, & cum precibus finiebant, magna cum modeſtia & diſciplina, atq; abſtinentia ciborum.* Nec eſt quod mirere, S. Præſulem ibidem quàm domi ſuæ frequentiorem; quandoquidem eundem Woytiechum, ex tertio Romano Pragam reditu, priusquàm ad Pruſſos abiviſſet, Cœtui Brzevnovienſium adſcribi voluiſſe, certum ac indubitatum eſſe creditur. Eum ſecutus germanus frater Gaudentius; deinde Patruelis eorundem Chriſtianus de Scala, Strachiqvatis & Boleſlai

 Prin-

(r) *Anonym: Brzevnovienſis M. S. in Notabili. 9. videatur in ſecunda parte.* (s) *Dubravius Hiſtoria Boëm: lib. 6. pag. 40.*

Principis frater natu minimus utriúſque permotus exemplo, eidem ſacro Cœtui ſubſcripſit. Tandem A. 1033.*(t)* Procopius quidam Præsbyter, vir ſanctus, & à miraculis poſtea toti Boëmiæ Regno notus, hodiéque Regni Tutelaris Patronus; relicto ſtatu Eccleſiaſtico, monaſticam Regulam amplexus, huic Brzevnovienſium Religioſorum numero fuit aggregatus. In iſtis poſtmodùm, ſanctis & fundamentalibus lapidibus, in tantum Brzevnovienſe Cœnobium auctum eſt, ut Clauſtrales trecentos, perpetuum chorum interdiu noctúq; decantantes, in ſe per multos annos numeraret: inter quos, Doctores & Lectores prope ſexaginta continuos habuit. ſub ijs quantum diſcipulorum, Religioſorum & externorum numerum fuiſſe oportuerit, facilè colligas, maximè ſi vera eſſe debeant ſuperius allegata (*u*): nempe *quòd Cœnobia tunc erant eum in modum conſtituta, ſicut nunc*

(t) Hagek ad annum 1033. fuſe videatur Dubravius lib. 7. pag 54. & ſeq. Pontanus Boëm: Pia lib. 4 mihi pag. 50. initio & in Libello carmine conſcripto, de SS. Patronis, mihi pag. 148. & alij. (u) cap. 3. §. 7. pag. 68.

nunc Gymnaſia. Abbatem loci quod concernit, Principis titulo decoratum fuiſſe, traditionem habeo: ad quod inducor facilè ut credam; primùm quidem propter ingentes opes ac fundos, munificentiâ Bohemiæ Principum, Boleslai Pij (*w*), Brzetislai Principis (*x*), & Ottogari tertij Bohemiæ Regis acquiſitos. habuit enim Brzevnovienſis Abbatia præter ſuas ditiones & reditus ampliſſimos, Præpoſituras (aliàs Prioratus nuncupatas) Reygradium, Policzkam, & Braunoviam, tam in Pragenſi quàm Olomucenſi Diæceſi, pleno jure ſibi ſubjectas (*y*). Secundò propter ſpeciales gratias, ad inſtantiam Woytiechi Pragenſis Epiſcopi, à Romanis Pontificibus acceptas. Joannes enim ejus nominis XV, Pontifex Maximus, Brzevnovienſibus ita ſcripſit (z): *Fratris noſtri Adalberti Epiſcopi precibus inclinati, vobis uti in Chriſto Filijs, Abbati & alijs, qui pro tempore Monaſte-*

(w) *quemadmodum apparet ex præcitato Privilegio.* (x) *Apud Paprocium Stemmatograph: part. 1. pag. 349. in fine. & aliud, pag 350. in fine* (y) *Bonifacius Papa in Confirm: Privil: apud Paproc: p. 354.* (z) *Paprocz. p. 349. l. 1.*

rio præfuerit, ut chirotecis, manipularijs, ſandaliis, balteóq; uti poſſitis, auctoritate præſentium indulgemus. Et ut Eccleſia veſtra dignior, ſeu major alijs Monaſteriis habeatur, decrevimus ipſam caput eſſe, & magiſtram in correctione, ac reformatricem regularis diſciplinæ, ſuper omnia clauſtra Ordinis Sancti Benedicti, poſt hæc in Bohemia conſtruenda: primúmque locum, poſt Pragenſem Epiſcopum, tibi Anaſtaſio Abbati, tuíſq; ſucceſſoribus Canonicè ſuccedentibus ſuper omnes & in omnibus concedimus habiturum. Nec immeritò noſter Hagecius *(zz)* præ ditiſsimis, ac tum etiam florentiſſimis Præſulibus, utpote Oſtroviensi, Sazavienſi, Strahovienſi, Sedlecenſi, Skalenſi, atque alijs plurimis Abbatiis, Brzevnovienſi principem locum dedit. Non etiam alio fine Paprocius *(a)* in catalogo Monaſteriorum, omnibus alijs in Regno Præſulatibus Religioſis Brzevnovienſem Abbatiam, quam ſedem Principis nominavi, velut frontem antepoſuit. Idem etiam Abbas argenti

(zz) fol. 258. A. lin. 7. ante finem. (a) Stemmatographia part 1. pag. 347.

genti ſignandi Poteſtatem habuiſſe dicitur; & in hodiernum monetaria domus flammis pridem exuſta, duróque ſaxo parietes in altum porrecti, ibidem conſpiciuntur. Ampliſſimum olim fuit Cœnobium, veréque Principe dignum, Pragenſis Triurbis amœniſsimum Tuſculanum; Principibus, Regibus, Archi-Præſulibus, Prælatis, Proceribus, totíque Triurbi, quotannis Beati Guntheri ſacra lipſana (quæ Brzetislaus Princeps *ob amorem* (b) *& memoriam ejusſdem Sancti Eremitæ, quòd ſe aliquando de ſacro fonte Babtiſmatis ſuſcepiſſet hic honorificè condidit*) viſitantibus peregrinis ſuburbanum delicium.

7. Ibidem, Beati Woytiechi propriâ manu ſcripta profeſsio, per annos quadringentos honorificentiſsimè ſervabatur: quam, licet in membrana ſcriptam, præ nimia vetuſtate depereuntem, Fr: Pater Wenceſlaus ejuſdem Cœnobij Sacriſtanus, ſuper aliam membranam agglutinavit, propriâque manu ſubſcriptâ,

 veram

(b) *Brzetislai Principis Privilegium, apud Papreczky part. 1. pag: 350.*

veram & ipſiſsimam eſſe Sancti Woytie-chi manum ante ducentos & ſexaginta ſeptem annos teſtatus eſt: ijſdem verbis, quibus alteram ejuſdem ſchedæ faciem exaratam vides. Poſtea verò, quam Žižka/ ſceleribus quàm ſanguine clarior, in Eccleſiaſticos, Monachos, & ſuper ipſas Eccleſias bilem effudiſſet, atq; etiam omne Sanctum profanare cœpiſſet, eadem profeſsio cum ſuperſtitibus Braunovienſis Eccleſiæ Clenodijs, Braunoviam, olim Brzevnovienſis Abbatiæ Præpoſituram, ſecuritatis ergò translata fuit: ibiq; in hodiernum uſque ſacra inter cimelia conſervatur. Hanc, ut ſic dicam, copiam, ſeu tranſcriptum, ex archetypo Reverendiſſ: D. Thomas Sartorius, Cœnobij Braunovienſis Abbas, per Bohemiam & Moraviam Ordinis Benedictini Viſitator (tit:) promptiſſimo animo, ſummóque conatu, propriâ manu tranſcripſit, propriâ ſubſcripſit: & ad inſtantiam Reverendiſſ: D. Joannis Manneri Abbatis ad S. Nicolai Vetero-Pragæ, Pragam tranſmiſit, pro honore Sancti

✠ Ego adalbtuſ ꝑmitto ſtabilitatem meam & con
uerſionem morum meoꝝ & obedienciam iuxta
regulam ſti benedicti coram dō & omnibuſ
ſtiſ eiuſ & abbate auguſtino preſente.

in quantum licuit literæ vetusta scripturæ ſimilata sunt.
pargamena tantæ est latitudinis et longitudinis;

Anno domini M̊ CCCC̊ ego frater uenceſlaꝰ ſa
criſtanꝰ videnſ profeſſionem ſti Udalrici nimia
vetuſtate demolitam poſſe irrecuperabiliter
deperire obbituminam in aliam literam
pergamenam et hoc propria manu ſcripſi
ut futuriſ dubitantibꝰ omniſ ambiguitas
mentiſ procul pelleretur.

cti noſtri communi luci publicandum.
Fons adhuc ſuper eſt, & is à Divino prodigio memorabilis, qui à S. Woytiecho, æternum Woytieſska nomen inbibit. Deus aliquando Woytiecho Præſuli, eâdem quâ Boleslao Principi nocte, per ſomnium ſylvam Brzevniov dictam (c), & fontem in ea manantem oſtendit: ibíque ſuo nomini, ſub titulo S. Patriarchæ Benedicti, templum ædificari juſſit. Eo cùm ſoli duo diſponente Numine pervenissent, ſomnij memores, ipſiſſimum locum divinitus oſtenſum ominati, DEO ſacrandum crediderunt; fons tunc uberiores præter morem aquas eructans, ſub dubium Principis & Pontificis animum confirmavit. Die ſubſequenti accitis ad eandem horam pluribus operariis, novæ Eccleſiæ poſitum eſt fundamentum; ex quo tempore Cœnobium inchoatum, à ſylva Brzevniov, Brzevnioviæ fons à Woytiecho Præſule Woyteſſcæ nomen æternum habet. Quia verò duo fontes, in clauſtralibus alter, alter extra Cœnobium ibidem reperiuntur,

 ſcien-

(c) *Hagek fol. 93. pag. B. ſub medio.*

ſciendum, Woytieſskam deforis Cœnobium inter & viam currulem, ad ſeptentrionem ſitum eſſe; fornix lapideus hunc fontem operit: antiquiſsimi operis labor, veteris adhuc Eccleſiæ ſpecimen, ipſum locum oſtendet. Ille fons verò ſub S. Margaretæ Virg: & Martyris Eccleſia, non pridem ex Brzevnovæ ruderibus excitata, Woytieſskâ longè poſterior emanavit: qui cũ ſit notus omnibus ad eam Eccleſiã venientibus, indice non eget. Regium illud opus, ut revertamur unde digreſſi ſumus, Brzevnovienſe Cœnobium, à fundatoris Beati Woytiechi temporibus per quadringentos annos inviolatum permanſit, donec ab hæretica pravitate ſupra vigeſimum anno milleſimo quadringenteſimo (*d*) totaliter exuſtum, ac dirutum fuiſſet. Hodiernum ſepulchrum, ſic dixero, longè latéque ſparſum, & ab ingentibus acervis lapidum notabile, magnificentiam illius quondam operis, per annos jam ducentos poſteris, tanquam in umbris demonſtrat, omnibus ad commiſeratio-

nem.

(d) Hagek ad annum 1420. fol. 379. pag. A. lin. 6.

nem. Deus faxit priſca majeſtas hujus pulchri corporis iterum reviviſcat: & illa quondam pietas Majorum ad Nepotes iterum revertatur. hoc unicè fundator Adalbertus optat: S. Guntherus ruinis obrutus implorat: ad id ipſum S. Margareta Martyr & Virgo Clientes provocat: *Non neſcit longas Regibus eſſe manus.*

8. Novam devotionem apud Brzevnovam feliciter promoventibus Adalberto Boleſlaóque Principe, novum *rurſus odium impiorum adverſus utrumq; recruduit* (e). *In Boleslaum quaſi Religioni Chriſtianæ plus æquo deditum: in Adalbertum, velut cenſoriâ objurgatione vehementer in eos acerbum, qui diem Dominicum non ſanctificarent, ſed operis commerciíſque profanis, & negotiationibus illum polluerent. Aut qui matrimonia ſine auſpice Sacerdote contraherent, illáque divortiis pro libidine quisque ſua diſturbarent. Quare denuo inita conjuratione, impij in montem non longè à Praga ſecedunt, excurſiones ex illo populationésq; in Chri-*

(e) *Dubravius lib. 6. mihi pag. 40. in fine Hagek fol. 95 A. ſub medio:*

Chriſtianos facientes, & aliquoties levibus cum milite Boleslai pugnis decernentes, nunquam tamen de monte pelli potuerunt. Inclinante tandē autumni tempore, ac jam noctibus frigidioribus inſtantibus, & hoſtibus ad ignes faciendos magis. quàm ad vigilias obeundas intentis, Chriſtiani, admixtis ſibi judæis incautos ex inopinato adoriuntur, à frontéq; & à tergo in quoſcunq; incidunt eos obtruncant. Inſigniores in fugam effuſi, tenebris & ſylvis tegebantur: ſed ibi quóq; plerósq; judæi deprehenderunt, interfecerúntque, ac permiſſu Pragenſium Synagogam inde Pragæ ſibi conſtituerunt. Ergò rurſus poſt novam cædem, inſons & incruentus Adalbertus, invidiæ cedendum, alióq; demigrandum ſibi putavit. Sub hac námq; lege, Roma ſe à ſuo Pontifice extrudi ſuſtinuit, ut ſi morum Patriæ inſolentium tæderet, ſibi vertere ſolum, ibíq; munere Pontificio defungi liceret, ubi ex functione ſua fructus aliquis pietatis legi poſſet. Animis itáq; ſuorum, quos Brevnoviæ relicturus erat, prius confirmatis, inde continuò cum fratre

Gau-

Gaudentio ad Polonos Chriſtianiſmo nuper initiatos abire deſtinavit. Memor itaque verborum Chriſti: *quicunq; non receperit vos, neq; audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate excutite pulverem de pedibus veſtris, in teſtimonium ſuper illos:* accepto ſecum Gaudentio Fratre in Poloniam, vicinam cognatámque Bohemis ſuis gentem, Anno CMXCIII. 15 Kal. Maij (*f*) proficiſcitur. 17. Aprilis. Præter opinionem omnium acceleratus Woytiechi Pontificis abitus, poſteaquam etiam ad ſex fratrum (quos ante duodecim annos Româ Pragam ſecum adduxit; & in inſulano S. Joannis Cœnobio, ſub Abbate Bohumilo poſuit:) aures perveniſſet; relicto Monaſterio Pragam quantocius advenerunt. Verum quia Pragæ nihil præter communem Eccleſiæ luctum & mœſtitiam Vrbis repererunt, dolore ſtimulante velut

filij,

(*f*) *in die conveniunt Boregk, Hagecius, Lupacius, Weleslavina: ſed in anno diſcrepant: Hagek & Weleslavina dicunt anno 995 Boregk & Lupacius dicit 997. verum quia Breviaria Polonicum & Hungaricum dicunt fuiſſe in Polonia per triennium, neceſſario puto dicendum eſſe, profectum ad Polonos anno 993.*

filij, poſt Patrem lacrymabundi celeriter abierunt: quem Glacij conſecuti, coram Gaudentio miſſam in capella S. Petri celebrante precibus intentum convenerunt. Oratione peractâ, Sancte Pater, inquiunt, quo progrederis ſine filiis, tecum etiam ad mortem ire paratis? amantes tui paterne ſuſcipe, certè quos charitas junxit locus non ſeparabit. Reſpondit Adalbertus: dilectiſſimi filij, nemo noſtrum voluntati Dei reſiſtere poteſt: fideles comites Ducem ſequamini, & ſtationem proximam, quam monſtravero, donec revertar fideliter ſervate; ſcio enim quo tempore coram Divina Majeſtate conventuri ſumus in gloria.

9. Poſteaquàm per Sileſiam ad majoris Poloniæ limites perveniſſent, in denſiſſima ſylva, prope civitatem Caſimiriam, Benedictum, Matthæum, Iſac, Joannem, Chriſtinum & Barnabam conſtitutos, talibus B. Præſul allocutus fertur: chariſſimi filij, ſub ſancta obedientia præcipio, locum hunc, eremum vobis opportuniſsimam, incolite; ſi mandata



Iter fecerunt per deſerta, quæ non habita-
bant; et in locis deſertis fixerunt caſas. Sap. 11. v. 2

data mea cuſtodieritis, profectò perveniet in vos Regnum Dei. Confirmatis eum in modum ſex Fratrum ſuorum animis, ipſe Woytiechus cum Gaudentio fratre in ulteriorem Poloniam abſceſsit. Iſti verò ſex Benedictini Fratres, in eo deſerto, ſeceſſum ab omnibus mundi ſollicitudinibus remotum, anachoreticæ vitæ commodum nacti, in eo tuguriolum & juxta Sacellum ex lignis coagmentatum ſibi conſtituerunt. *Ipſis autem*, verba ſunt vetuſtiſſimi Breviarij Boëmici (g), *virtus talis erat abſtinentiæ, ut alius bis, alius ſemel in Sabbatho, nullus tamen dietim ſumeret cibum. Cibus autem eis erat, olus propriis elaboratum manibus: panem verò habuêre, ſed piſcem nunquam; legumina autem, milium non niſi in Paſcha ſumere licuit; lympham incorruptam, & hanc bibebant ad menſuram. Carnis eſca erat abominabilis, & fœminæ viſus execrabilis: veſtis hirta & aſpera, contexta de cauda & equinis*

(g) *vetus Breviarium, invenietur id, tam in impreſſis quàm manuſcriptis Breviariis, poſt feſtum S. Martini.*

nis jubis. In lectulo (h) lapis pro ſuſtentamento capitis & matta pro lectiſternio, & hæc vetus nimis, & ſingularis: nec ulla quies. Stant totâ nocte lugentes tam proprium, quàm plebeculæ ſcelus atq; reatum. Nunc ſudant corpora innumeris genuflexionibus feſſa. Nunc manibus expanſis & oculis juvat & in cælis precibus unusquiſque inſtat anhelis. Nunquam locuti ſunt ad invicem, niſi venientem ad hoſpitem, & adhuc paucis; verè legis factores non auditores erant, verè ſemet ipſos cum vitiis & concupiſcentijs crucifigentes, & crucem Chriſti mente & corpore bajulantes, gratum Deo ſacrificium, non ex pectore alieno, ſed corpore proprio offerebant. Quia quotidie viciſſim vapulabant. Talis enim erat mos illorum, ſimul unoquoque dierum poſt primam dorſum molliri uſq; deorſum, in faciémq; cadens, ad fratrem frater dicebat: ſi percutis percutias, cum tangis ne mihi parcas. Et ſtans cum flagello reſpondebat, ſicut vis fiat, Chriſtum rogat fratrémq; flagellat, dicens: Hic

(h) *reſumpta ſunt hæc ex Paſſionali M S. Buczkonis de Popovicz. habetur hic liber in Colleg: Soc. Ieſu ad pedem Pontis, in Bibliotheca manuſcripta.*

Hic perfecta pius ſolvat tua crimina Chriſtus:
Atq; cadens iterum cruciat ſua terga viciſsim.
Nec doluit fratri frater cum verberat alter,
Sed miſerere mei Deus, aut benedicite cantant;
Nam ſuffert leviter, patitur quæ quisq; libenter.

Horum DEus ex alto proſpectans patientiam & vitæ innocentiam, atque fidei & operis perſeverantiam, cum laborum ſanctorum ſuorum meridiem reddere vellet; per viam mirabilem eos ad Patriam reducebat exultabilem. Sanctitatis omnium iſtorum indicium hoc fuerit, quòd non ſolum ab injuriæ noxa, ſed ab omni prorſus ſpecie mala abſtinuerint: quod ſtratis humi in matta ſcirpea corporibus cilicio veſtitis, ſomnum ante mediam noctem interruptum habuerint, & quaſi jam aurora illis illuxiſſet, reliquum noctis dieíque perpetuo in hoc vigilaverint, ut DEum peccatis hominum offenſum aſſiduis depræcationibus placarent. nam ipſi ita propitium illum habebant, ut morbo impeditos homines, aut à malo dæmone obſeſſos, ſolâ oratione curarent, liberaréntque.

10. Quoniam autem rumor jam pri-

pridem de bona iſtorum vitæ conſvetudine ad Boleslaum Chrabri primum Poloniæ Regem Mieſconis filium pervenerat, inceſſit eundem Boleslaum cupido videndi & alloquendi viros ex rumore ſibi laudatos. Ubi igitur ad latebras eorum pervenit, amotâ ſe ſubſequentium turbâ, ipſe cum pauciſsimis eorundem Sacellum, in quo ſacros pſallebant hymnos, introiit; offusâ ſubitò oculis & animo ſuo religione, perinde permotus eſt, atque ſi penetrale Numinum non hominum adiiſſet. Denique illos velut præſentia Numina veneratus eſt, tractavítq; liberaliter à pecunia, quam abiens, illis etiam invitis, reliquit, *maſſam ſcilicet argenti marcas triginta:* vel, ut habet alia vita manu ſcripta, *marſupium centum argenti marcis plenum,* velut præſidium futurum inopiæ, quam ſummam adeſſe cernebat. Sed enim illi, qui non adumbratam, non coactam, ſed ſolidam atque ultroneam colebant paupertatem & continentiam, magíſque pietatis officiis, quàm ullis divitiis diteſcere quærebant,

bant, accerſito Barnabâ, quem panîs & olerum diſpenſationi præfecerant, tollere eum exitialem pecuniam, & ad Boleslaum continuò referre jubent. Quod dum fit, Breviarii Polonici verba ſunt
„ (*h*); ecce graſſatores, qui cognoverant
„ munificè à Rege donatos, primâ noctis
„ vigiliâ adſunt, SS. Fratres in Dei laudbius
„ opprimunt: gladios intentant. Ferenda
„ vobis quamcúnque impoſuerimus
„ fortuna eſt, niſi quidquid ubicunque lo-
„ corum argenti reconditum eſt, noſtrum
„ illicò fuerit, minitantur. Quare aut pe-
„ cuniam ultrò exponite, aut ſi moramini,
„ vitam cum ſangvine proſundite. San-
„ cti multis obteſtationibus, Regi eſſe re-
„ portatam, confirmant: quin etiam tugu-
„ riola ut excutiantur, poteſtatem dant.
„ Sæva auri cupiditas, ubi nihil minis ex-
„ torquet, reliquum ſpei tollendæ pecuniæ
„ in verberibus & ſuppliciis reponit. re-
„ ligantur Fratres Sancti ad palum, igni-
„ bus ad latera admotis exuruntur: deinde
„ circa rotarum vertiginem adſtricti diu-
„ tiſsimè verberantur: tota nox in crude-

liſſima

(*h*) *Videatur in Polonico. 12. die menſis Decembris.*

liſsima paupertatis Sanctorum & inno «
centiæ ſupplicia expenditur. Denique
cùm omnes jam artes potiendi argenti «
tentatæ eſſent, nec ſucceſsiſſet, ne quid «
inauſum de concepta crudelitate relin-
queretur, ab iiſdem latronibus, in DEI «
laudibus conſtantiſsimé permanentes «
trucidantur. Beatus Petrus Damiani (*i*) huic hiſtoriæ pluſcula ſuperaddit. *tunc* inquit, *theſaurum anxiè perquirentes, ſed everſis omnibus, & nihil invenientes, ut tanti reatus crimen obtegerent, & humana ſuſpicio non armis, ſed flammis potius quod fuerat deputaret: cellam incendere, & ipſa Martyrum conati ſunt cadavera conflagrare. Sed admoti ignes amiſſis naturæ viribus, nil omnino conſumere ullis hominum ſtudiis potuere. Ita enim eos ipſa etiam parietum materia repellebat, acſi pro lignis duriſſimi ſilices eſſent. Fruſtrati itaq; fures, in fugam ſe conferre nituntur: ſed & hoc illis ex Divina providentia denegatur; tota ſiquidem nocte per fruteta nemorum, per latitudi-*

(i) *B. Damiani. in vita B. Romvasdi Abbatis. in Surio. 19. Iunij, cap: 32. & 33.*

nem ſaltuum, per opaca ſylvarum viam anxiati ſunt quærere, quam nullatenus valuere errantibus veſtigiis invenire. Sed neque pugiones in vaginas arefactis brachiis recondere potuerunt. Vbi verò Sanctorum jacebant corpora, copioſum lumen uſq; ad diem ſplendeſcere, & dulciſſima Angelicæ cantilenæ non deſiit ſvavitas reſonare. Adveniente autem die, quod factum fuit Regem latere non potuit: qui illicò ad eremum cum copioſa populi multitudine feſtinavit, & ne fures evaderent, factâ corona hominum, totam ſylvam undiq; circumcinxit. Qui tandem reperti ſunt manifeſti criminis rei, & ad gladios ſuos adhuc ultione divinâ ligati. Rex autem quid de eis faceret, habitâ conſideratione deliberans, hoc poſtremò decrevit, ut nequaquam eos, ſicut merebantur, occidi præciperet: ſed ferreis catenis vinctos ad ſepulchra Martyrum deſtinaret, quatenus aut ibi úſq; ad obitum in vinculis viverent miſerabiliter, aut ſi SS. Martyribus aliter videretur, ipſi eos ſuâ miſericordiâ liberarent. Qui cum ad Sanctorum

rum tumulum ſuiſſent ex præcepto Regis attracti: mox ineffabili divinitatis omnipotentiâ fractis ſunt nexibus abſoluti. Deinde facta ſuper Sanctorum corpora Baſilicâ, innumerabilia non ſolùm tunc, ſed & nunc ibi fiunt ex Divinæ virtute prodigia. Hactenus B. Petrus Domianus (*k*). Barnabas ſuperſtes in eremum reverſus, vitæ Fratrum ſuorum æmulus, aſſiduis orationibus, vigiliis, jejuniiſque addictus, paulò pòſt ſancto fine quievit: & ipſe pio Regis mandato ad fratres ſuos appoſitus, ut quibus in cœleſti patria eſſet conjunctus, in terris eodem tumulo cum eis conditus quieſceret. Accidit autem iſta Beatorum quinque Fratrum ac Martyrum paſſio anno ſalutis humanæ 1005. 12.
(*l*), pridie idus Novembris (*m*). Novēb.

II. Sanctus autem Adalbertus Pragenſis Epiſcopus, uti refert manuſcri-

 ptum

(*k*) *Ibidem apud Surium, & ex his Baronius ad annum 1000 §. 15. 16. 17. Dubravius hiſtoriæ Boëmicæ lib. 6. ante finem. Hagecius, Cromerus, & alÿ plures. pulchrè videatur Brev. Poloni. 12. die Decembris.* (*l*) *Brev. Polon: loco citato, & Bucclinus in compendio Annal: quædam MS. v[illegible]a habet anno 1004. 3. Idus Novemb:* (*m*) *Idem Brev [illegible]: ibid:*

ptum *(n)* Paſſionale, progreſſus ad majorē Poloniam, in itinere ſylvā paludoſam pertranſiens, dum ibidem ſtitiſſet, ut precibus divinis vacaret obortis illicò ranarum coaxationibus, interturbari cœpit: quare ranis importuniſsimis indignatus, earundem ſtreperas occlamationes verbo compeſcuit, ac mutas effecit. Simile quid Sancto Procopio, Sazavienſis Cœnobii quondam Abbati, contigiſſe memorant: quod etiam illo preces aliquas ex libello recitante, picarum copia ſubitò congregata, ſuper librum & juxta Sanctum circumvolitans, nimiis & intempeſtivis garritionibus eundē in oratione turbaverit; huic ille mox imprecatus dicitur, & à ſuo monaſterio picas omnes deinceps procul exeſſe juſſit. Dictum factum, & in hodiernum diem uno miliari circa Sazavienſe Cœnobium, nullam picam videre datur: imò ſi Sazaviam aliunde transferatur, aut ſubitò vivere deſinit, aut non multis diebus tabeſcens,

(n) *Intitulatur hic liber Simonis de Rokiczana, ſcriptus videtur anno 1406. habetur in Bibliotheca Soc: Ieſu ſub num 469.*

ſcens, tandem emoritur. In eadem quóque via, *Woytiechus mutis linguam reſeravit* (o): *ſicut in illis patet, qui ex eo, quòd Sanctum Virum deriſerant, & ſibi viam indicare noluerant, muti fuerant effecti. Qui, ſic muti pœnitentiâ ducti, ad Sanctum accedentes, & ſuum reatum, eo quo poterant modo confitentes, officio linguæ ſunt reſtituti: qui ſtatim Chriſtum confitentes, baptizari ſe poſtularunt. Baptizati verò, & per Sanctum Dei in fide confirmati, rogârunt Sanctum, ut pro deriſu & contemptu, quem ſibi cæcâ mente intulerant, iis pœnitentiã injungeret ſalutarem. Ad inſtantiam igitur ipſorum, præcepit eis Vir Dei, ut ſeptem ſeptimanas ante Paſcha ita ſervent, ſicut cæteri fideles Chriſtiani generali abſtinentiâ ritè obſervant ſeptem hebdomadas, à carnibus duntaxat abſtinentes*, &c. Honorificè dein à Primoribus acceptus, cæteráque multitudine, *& ab ipſo Boleslao Chrabro Duce,*

(o) *Vita MS. in libro Simonis de Rokyczana, & alia vita in altero libro MS. Lectionario, habetur in Bibliotheca MS. Metropolitana, in quarto eſt. Scriptor Polonus fuiſſe cognoſcitur.*

ce, eādem Polonis, quam ante Hungaris navavit operam: cùm Cracoviæ, & in itinere quà veniebat, tum Gnieznæ imprimis, & eo quidem majore ſtudio & alacritate, quod linguæ & ſangvinis cognatio ſuis Boëmis cum Polonis intercederet (p); Præterea Dux Boleslaus (q) pro amore Fratris Poray, ſuiſque per Daubravkam Matrem cognati, quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt pag. 51, *magnis promiſſis & amicis opibus eum ſolatur.* Woytiechus enim plus añum unum inter Polonos commoratus, Patrium gregem, quamvis refractarium, & in malis obſtinatiſsimum, cordi habuit; & licet locorum intervallis, centum prope milliaribus Germanicis à Patria diſtaret, animo tamen & precibus Bohemiæ ſuæ continuus adfuit: extremè ſolicitus, quâ tandem viâ pereuntibus opem ferret. Ultimum & opportunum conſilium Adalberto viſum eſt Boleslaus Poloniæ Dux, Boëmiæ Principis & ſuus agnatus, rogatus

(p) Breviar: Polonicum Fer: 6. infr: Octav. lectione 3.
(q) Sylveſter Papa in vita S. Adalberti cap. 31. V. Bzoviū tom. 20. Annal. pag. 905. col. A. in fine.

gatus à Pontifice, Polonos ad Patriam nuncios ordinaret: & ſi prodeſſe cupientem Epiſcopum in rebus ad ſalutem neceſſariis audire vellent, exploratum mitteret. *Quò facto, è contra illi magnâ indignatione remittunt ei iræ & furoris plena verba, dicentes: ſumus peccatores, tu Sanctus, tu amicus Dei: tantus ac talis non portat cohabitationem, & conſortia iniquorum. Et tamen unde tam nova Sanctitas exurgit, ut toties repulſos, toties abjectos, toties interdictos, toties deſtitutos repetat? cognoſcimus quid ſub nomine pietatis mendoſum tinniat hæc Sanctitas. Nolumus eum, quia ſi veniret, non veniet pro noſtra ſalute, ſed pro puniendis malis & injuriјs, quas Fratribus ſuis merito ingeſſimus; non eſt correptor ſcelerũ, Patriæque liberator & Civium, ſed læſi fraterni ſanguinis vindictam reportat. Hæc & ſimilia audiens Sanctus Adalbertus, tanto lætitiæ gaudio exuberavit, ut pene à ſolito rigore diſcederet. Dirupiſti, inquiens, Domine vincula mea, quia tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: quia paſtoralis curæ funes & vin-*

& vincula de collo meo ipſorum refutatio abrupit: quia periculo deſertionis filiorum, os ipſorum me hodie liberavit (r).

12. Solutus ab animarum ſibi concreditarum cura Woytiechus Pontifex, liberiori animo Polonis operam impendit: & cum tertium jam annum apud eoſdem degeret, inter Joannem quendam Antipapam & Gregorium ejus nominis Quintum, novum ſchiſma ſuſcitatum, Collegio Imperij conſtituendo anſam præbuit. Quia Otto III. abſque liberis degens apud Gregorium V. ſuum cognatum author exſtitit, ut ſucceſſione, quâ ſui prædeceſſores Ottones Pater & Avus Imperium aſſecuti ſunt, abrogatâ, Romanum Imperatorem à Germanis Eccleſiaſticis & ſæcularibus Principibus, liberis calculis eligendum inſtitueret. Factúmque fuit, ut penes eoſdem Principes, Epiſcopos, Prælatos, Comites, Barones, atque Civitates Imperij liberas Romanorum Regis electio deinceps eſſet; ita Baronius ad annum CMXCVI. §. 58: 59. 60. ac perduravit apud

(r) Idem Sylveſter capite 32 in vita.

apud Imperij ſtatus iſta electio per ducentos & plures annos. Poſtmodum, propter publicum bonum Reipublicæ Chriſtianæ conſervandum, Innocentius IV. reparatæ ſalutis 1245. in Oecumenico Concilio Lugdunenſi poteſtatem ejuſmodi plurimorum Principum ac Statuum ad numerum ſeptenarium redegit: quem ex Eccleſiaſticis tribus, & laicis Principibus quatuor, Supremis Officiariis Imperij conſtantem voluit, & ſeptem Electores Imperij nominavit. Duces erant quatuor, Auſtriæ, Bavariæ, Saxoniæ, Brabantiæque: Archi-Epiſcopi tres, Colonienſis, Moguntinus, Salisburgenſis. Ex utriſque poſtea quatuor expuncti, Baronio teſte: & ſurrogati, loco Bavari Palatinus Rheni, Marchio Brandeburgicus, & Boëmiæ Rex. Ad Colonienſem & Moguntínum Archi-Epiſcopos acceſſit Trevirenſis. Verùm quis Pontificum Romanorum eam varietatem fecerit, non conſtat: aſſenſu tamen & conventione Germaniæ Statuum ſancitum, aut ſub Innocentio IV, vel A-

lexan-

lexandro VI. Baronius exiſtimat. Primũ in hoc Auguſto Septemviratu locũ habet *Moguntinus*, magnus per Germaniam Cancellarius, penes quem ſunt Archiva, SenatûsConſulta, decreta Comitiorum. Secundus *Trevirenſis*, magnus Imperij per Galliam Cancellarius. Tertius Archi-Epiſcopus *Colonienſis* Cancellarius Imperij, magnus per Italiam. E ſæcularibus autem *Palatinus Rheni*, Dapiferi officium ſuſtinet: idémq; magnum Aulæ Imperatoriæ Magiſtrum agit. *Saxoniæ Dux*, Mareſchallus Imperatori gladium juſtitiæ vindicem præfert *Marchio Brandeburgicus*, magni Camerarij, ſive Theſaurarij Cæſaris, vices gerit: *Rex autem Bohemiæ*, Pincernæ Imperialis nomine gaudet. Nonnulli tamen de Boëmorum Rege aſſerunt, in electione Romanorum Regis jus nullum habere ſuffragij: ſic Saxonicum jus, aliàs Landtrecht / cùm dicit lib. 3. art. 57. der Schenck deß Reichs hat keine Wahl/ darumb daß er nicht Teutſch iſt (*s*). Albertus

(*s*) *Ita refert Georg. Schonoborнerus lib. 5. Polit. cap. 33. Melchior Goldaſtus lib. 3. cap. 5. §. 3.*

tus etiam Stadenſis Abbas, ita ſcripſit (*t*): *Rex Bohemiæ, qui Pincerna eſt, non eligit, quia non eſt Teutonicus.* Alij vero dicunt (*u*) Boëmiæ Regem non habere votum ordinarium, ſed in caſu tantùm eo, quo redactis utrinque ad paritatem reliquorum ſex Electorum votis, res exitum habere non poſſet, ut tunc Rex Boëmiæ, ſuo voto alterutram, cui accedit, partem ſuperare faciat; adeóque non tam Elector quàm Electorum diſſidentium arbiter exiſtat. Par ſcilicet illis Ducibus Auſtriæ, Bavariæ, Brabantiæq́; *qui magis cuperent eligi, quàm eligere Imperatores* (*w*): *ſicq́; inter eligendos potius, quàm inter Electores locum habere mallent,*

(*t*) *Apud Baronium anno 996. num: 67. V. Melchior Goldaſt: præcitatum, conſentiunt Grantius lib. 7. Vandaliæ cap. 46. Calviſus ad annum 997. mihi pag. 709. col. B. in fine, ſed quantus hic ſit error omnium ſimiliter ſentientium. Videatur Melch. Gold. Commentar. lib 3. cap. 1. 2 3. 4 maxime verò cap. 5.* (*u*) *Natalis Comes in Hiſtoria Vniverſali ad annum 1546. mihi pag. 6. Paulus Iovius Hiſtor. lib. 30. Caſpar. Peucerus in Chronicorum Carionis ſupplemento lib 4. Cromerus lib. 3. Dubrav. lib. 6 Michël Beutherus in adverſion: Hiſtoricis cap. 13. Arnoldus Clapmarus lib. 6. de arcanis Rerumpubl. cap. 18.*
(*w*) *Baronius loco præcitato §. 68.*

lent. Enim verò Boëmiæ Regi ſuffragij jus in electione Romanorum Imperatorum, non ſecus ac reliquis Electoribus competere, tanquam certiſſimum, ad oculum alij probant, & oſtendunt (*x*). Archipincernatus autem Imperij, ſub priſcis illis Francicis & Saxonicis Imperatoribus ac Regibus ambulatorius & inconſtans, ſub Ottone III. tandē Boleslao Pio, Sævi filio, jure hæreditario collatus fuit: quamvis antea ſuus Pater Ottoni I, quater decennali vario Marte bello tranſacto, reconciliatus, Archi-Dapiferi, Truſtini, ſive Magiſtri culinæ, vel coquorum in Curia Imperiali munus obeundum acceperit: &, velut ex Summis Imperij Officiariis unus, in armis & inſignibus gentiliciis, in medio Aquilæ nigræ, in campo flammeo inſertum ahenum, vel caldarium rubrum, in ſignum officii Archi-Dapiferiæ per gratiam Ottonis I. obtinuerit. Adeóq; tanquā fabuliſtam, explodit Hagecium Goldaſtus (*y*), aſſeren-

(x) Gold. loco citato cap. 5. & 6. &c. fuſiſſime eruditiſſimeque. Videri etiam poteſt in hiſtoria Comitis natalis lib. 16. ad annum 1565. mihi pag. 341. in fine inter notas Caſpari Bitſihij. *(y) lib. 3. cap. 8. §. 4.*

aſſerentem (z): ex pœna ſervilem illum lebetem à Boleslao Sævo, coram Ottone Romanorum Imperatore, humeris ad focum geſtatum. Tandem poſt annos 32. Boleslao Pio, Boëmorum hujus Nominis Principi ſecundo, Auguſtiſsimus Otto III. officium Archi-Pincernatûs in beneficium ac fevdũ gratioſum contulit: & S. Henricus II. natione Bavarus, (a) confirmavit.

13. Eum in modum Collegio Septemviratûs in Imperio per Gregorium V, antea Brunonem dictum, primum ex Germania Romanorum Pontificem, & Ottonem III. inchoato, S. Woytiechus extorris apud Polonos, prius cum Robertus Gnieznenſis primus Archi-Epiſcopus ex temporali ſede ad æternam requiem abſceſſit; in ea ſucceſſione jam annum tertium feliciter tranſegit. *Eſt*, inquit Abrahamus Bzovius *(b)*, *qui in dubium revocet, an in ea Polonica peregrinatio-*

(z) *Hagecius Boëmicus ad annum 964. fol. 82. pag. B. & ex ipſo Veleslavina pag. 156. in medio.* (a) *Gold: lib. 3. cap. 8. §. 6. 7.* (b) *ſuper vitam S. Adalberti ſcriptam à Sylveſtro Papa caq. 32. ſub litera N.*

natione S. Adalbertus fuerit factus Archi-Epiſcopus Gnieznenſis? & an ea Eccleſia tunc temporis fuerit Metropolitana? ſed hoc diſcutiunt Hiſtorici Poloni: qui affirmant jam Metropolitanam fuiſſe. Miechovius dicit anno Chriſti D.CMLXV. (c) *uno & eodem die Miesko Princeps Polonorum*, aliás etiam indigete linguâ Mieczek, Mieſska, vel Mesko juxta Cromerum, *cum majoribus Regni ſui, in præſentia Dambrukæ*, noſtrâ Patriâ linguâ Daubrawka / nuncupatæ, *& Boëmorum, ſacrũ Baptiſma, propitiatione Divinâ, Gniezna ſuſcepit, pro Mieska Mieczkyslai nomen accipiens: & aliud Sacramentum Matrimoniy cum Virgine Dambrowka, ex Boëmia advecta, contraxit; convivia, munificentiam & ſpectacula pluribus diebus elargiendo, & cunctis Regnicolis baptizari præcipiendo. Et quia multi reſtabant ſacro fonte baptizandi, ideo per edictum ſtrictè demandavit, ut omnes in Civitatibus & villagiis nobiles atq; ignobiles, ſeptimâ die advenien-*

(c) *eodem anno videatur Hagecius fol. 83. pag. A initio. Paproczky in ſucceſſione Principum cap. 9. titulo Boleslaus Pius, Veleslavina Nonis Martij. Videatur Cromerus lib, 3. mihi pag. 32. col. 1.*

adveniente, is fuit eo año dies Dominic, quartus in Quadrageſima, inquit Cureus, *Idolis confractis*, eoſdem deaſtros *in lacubus & aquis ſubmergerent: ſimul & lapidibus ab utriúſq; ſexûs hominibus obrutis, ſub confiſcatione bonorum, & exterminatione baptizarentur. Quâ die adveniente, ut erat ſtatutũ, cuncti juſſa exolventes, renaſcebantur in Chriſto, & baptizabantur; ſervatúrq; ille mos uſq; in hodiernum diem in majori Polonia. Nam pueri in Dominica Lætare, facto Idolo, ſeu imagine, alicubi in ligno longo portant: alicubi in vehiculo ducunt, & in aquam proijcientes, demergunt: ſinguli properè domũ repedantes.* Qui mos adhuc hodie, teſte Cureo, à pueris & puellis in Sileſia repræſentatur: & nominatur dies ille Dominica Mortis; nec abſimiliter per Moraviæ Marchionatum, & Boëmiæ Regnum, in Dominica quinta Quadrageſimæ, ſive Judica, Boëmicè Smrtná Neděle dicta: pueri & puellæ, formato ſimulacro muliebri, ſupérque perticam arrecto, cum ejuſmodi Idolo, turmatim per plateas &

fora Civitatum progrediuntur, occinentes illud ab antiquo pueris aſvetum,

Smrt neſem z Měſta/
Léto do Měſta / ꝛc.

id eſt: Mortem ex Urbe ferimus,
Ver in Urbem deferimus, &c.

In reminiſcentiam hujus, quòd Gens Polona fidem Chriſti, ſub Miecziſlao Duce per Daubravkam Boleslai ſævi Boëmiæ Principis filiam, in conjugem ſibi datam, ante ſeptingentos annos à Boëmis acceperit. De Archi-Epiſcopatu verò Gnieſnenſi, ut ad priora redeam, etiam affirmat Cromerus *(d)*, cùm dicit: *Anno Chriſti CMLXV. Miecziſlaus* totum ſeſe ad propagandam per omnem Principatum ſuum religionem, *hortante & adjuvante uxore* Daubrawka *convertit. Baſilicas autem diverſis locis ædificat, eáſq; ſuppellectili omnis generis pretioſâ ornat, cenſibus & poſſeſſionibus locupletat: & in diœceſes*

(*d*) *lib. 3. Hiſtor. Polon. mihi pag. 32. col. B. ſub initio: Conſentiunt etiam Cromeri compendiator Cadanus, Ioannes Herburtus, Ioachimus Billſcius, Matthias Stricovius, Iodocus Decius, & Alexander Gvagninus, chronographi rerum Poloniæ, ſecuti Vincentium Kadlubkum, & ejus ſuccenturiatorem, Ioannem Dlugoſſium, teſte Abrahamo Bzovio tom. 20. Annal. pag. 606. col. B. ſub initio.*

ceſes diſtributas, duas quidem ex his Archi-Epiſcopis, nempe Gnieznenſem & Cracovienſem, reliquas ſingulis Epiſcopis attribuit.

14. Woytiechus interea, quondam Pragenſis Epiſcopus, hic Polonorum Gnieznenſis Archi-Epiſcopus, poſteaquã totum triennium in Gnieznenſi Baſilica ſediſſet; Anno CMXCVII. in ſomno per Angelum admonitus, ad Pruſſos abire conſtituit. Dux autem Boleslaus Chrabri, quamvis tenerrimè Woytiechum diligeret, rogavit ne ſe ſuóſque Polonos, Chriſti necdum ex toto fidem amplexos deſereret, quin imò cogitaret, quomodo terram Prutenorum barbarã & incultã, ob multos lacus & aquas maris inacceſſibilem adiret: &, num etiam poſt tot exantlatos labores ac vias difficiles, aliquem ex crudeliſsima gente fructum referre poſſet, *Nihil eâ tempeſtate Pruſſis, aut ſi mavis Prutenis craſſius, nihilq; indocilius apparebat, adeò, ut pingui eorum, & ad audiendum intelligendúmque Evangelium hebeti aure offenſus Adal-*

bertus, novos ſibi in grege armentorum & pecudum quæſierit auditores. Atque res tum dictu mirabilis contigit, ut ſtarent arrectis auribus boves, equi, aſini, capræ ſues: & quaſi per Adalbertum monita ſentirent, intelligeréntque, nutu illa capitum approbabant; cum tamen Pruſſi, brutis illis magis bruti, tam inuſitato ſpectaculo, ad nullam pietatem flectebantur (dd): Verumtamen Divinæ vocationi ſemper obſequentiſsimus Adalbertus, à Sancto firmóque propoſito nullatenus amoveri potuit: Sed Gaudentio fatre pro Sede Gnieznenſi, loco ſui declarato [ſciverat enim in Pruſſia Martirij lauream ſibi præparatam] ad Pruſſos acceleravit. *Dux verò Pruſſiæ* (e) *Boleslaus cognitâ voluntate Sanctiſſimi Adalberti, dat ei navim: & pro pace itineris ter denos milites armat* (f). *Poſterâ autem die*, Sylveſter inquit cap. 34. *ſalutatis omnibus, navem*

- *(dd) Dubravius lib. 6. Hiſt: Boëm: & Boregk in Boleslao Pio.* (e) *Argumento eſt, inquit Bzovius, Pruſsiam tum etiam juris Poloniæ fuiſſe: & Boleslaum propagandæ fidei zelo ſuccenſum, Adalberto omnem ſtimulum admoviſſe, omnemque opem tuliſſe, ut eas gentes adiret, & à dæmonum ſervitute vindicaret:* (f) *Sylveſter cap. 33.*

vem aſcendit: & tollitur ab eorum oculis, poſtea nunquam videndus. Magnus etiam tunc fletus factus eſt omnium, & procumbentes ſuper collum Adalberti oſculabantur eum: dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam amplius facié ejus non eſſent viſuri; & deducebant eum ad navem, Gnieznâ ſcilicet per quinque milliaria Gembizam uſque. Hinc lacus Goblius, Woytiechum navi primus excipiens, totidem milliaribus uſque Inowloczium appulit, ibíque *Sanctus Adalbertus pro præſtitis beneficiis gratias vectoribus & vectorum Domino agens* (*g*), quintum lapidem ad Urbem Torunum uſque perveniens, inter hanc Urbem, & Oſſam fluvium magna fiducia Chriſtum prædicavit. Progreſſus in ulteriorem Pruſſiam, per ſeptem Germanica milliaria, ad ipſum Oſſæ flumen deſcendit: eóque ſuperato, quum naulum, trajectori Prutenico ſolvendum, non haberet, graviter in caput remo (*h*), vel, ut alij dicunt, inter ſcapulas conto percuſſus, à vulnere ſanguinavit. *Excuſſus*

(g) *Sylveſter cap.* 33. (*h*) *Dlugoſſius, Miechouius, Hagek.*



In turbine conteret me, et multiplicabit uulnera mea, etiam ſine cauſa. Iob. 19. V. 17.

cuſſus (i) inquit Sylveſter, *volat ex manibus liber pſalmorum, & corpore extenſo, totus humi proſternitur, & tamen adhuc cor immotum manens, trepidare neſcit; ſed per anguſtas fauces, voce mixtâ, gratias, inquit, tibi Domine IESV, quia etſi amplius non erit, ſaltem pro te crucifixo unum ictum accipere merui.*

15. *Tranſiens autem in aliam partem fluminis, ſtetit ibi ſabbato. Veſpere autem facto Dominus villæ Sanctum Adalbertum orans duxit in villam. Concurrit interim tumultuans vulgus, & quid Primas de illo eſſet acturus furibundi expectant. Sanctus verò Martyr & Epiſcopus Adalbertus, quis & unde, vel ob quam cauſam illuc veniret interrogatus, miti voce reſpondit: ſum, inquit, Slavonicâ gente oriundus, nomine Adalbertus, profeſsione Monachus, ordine quondam Epiſcopus, officio verò Apoſtolus. Cauſa noſtri itineris eſt veſtra ſalus: ut relinquentes ſimulachra muta & ſurda, agnoſcatis Creatorem veſtrum; qui ſolus, & extra quem alter Deus non eſt, & credentes in nomine*

(i) *Sylveſter Pp. cap. 34. Anonym: cap. 27.*

ejus, vitam habeatis, cœleſtib⁹ gaudiis perfundamini. Illi autem indignantes, & cum clamore blasphema verba adverſus eum proclamantes, periculum mortis ſibi minantur; & terram baculis percutientes, fremunt dentibus in eum, & fuſtes capiti ejus apponunt. Magnum ſit tibi, inquiunt, quod uſq; huc impune veniſti, & ſicut celer reditus vitæ ſpem, ita tibi parvæ moræ necis damna parabunt. Nobis enim & omni Regno, cujus partes nos ſumus, communis lex imperat, & unus ordo vivendi. Vos verò, qui eſtis alterius, & *ignotæ legis, niſi hâc nocte diſcedatis, craſtinâ die decapitabimini.* Unde *ipsâ nocte navem conſcendentes, & non procul aſcendentes, manſerunt quinque diebus in quodam vico (k).* Dein ad æconomum qui Sanctos tres hoſpites, velut quondam Abrahamus Angelos, in domum ſuam recoeperat, furibundè converſi, mortem, domús inflammationem, bonorum direptionem, conjugis & liberorum diſtractionem, niſi quantocius advenas eijciat, ſpu-

(k) *Sylveſter Papa cap. 34.*

ſpumante irâ minantur (*l*). Quapropter Adalbertus, quamquam pro Chriſto vitam prodigere paratus, de alieno magìs periculo ſolicitus, alio tranſmigrare neceſſe duxit. Opportunum ad eam quoque neceſsitatem acceſſit conſilium, fratres etenim, & laborum Prutenicorum indefeſſos comites Gaudentium atque Benedictum affatus, inquit (*m*): *preſsi magnis difficultatibus quid conſilij capiemus? equidem quo nos vertamus, non video. Habitus corporum & horror veſtium noſtrarum, ut ſentio, paganis animis non parum offenſionis adfert. Vnde ſi placet veſtimenta mutemus: clericam æqualem, pendentibus capillis creſcere ſinamus: tonſæ barbæ comas prodire non prohibeamus: forſan non agniti, melius poterimus operari ſalutem, ſi ſimiles illorum effecti, familiarius cohabitemus, alloquamur, & convivamus. Laborantes quoque manibus propriis, victum quæramus inſtar Apoſtolorum: abſconsâ mente revolvamus ſenſum pſalmorum. Interea, proſperante misericordia*

(*l*) *Anonym: Surij: cap. 28.*
(*m*) *Idem, ibidem.*

dia Salvatoris, fiet aliquid ſalutis, ut dum arte hâc, & hâc fraude eos opinio deludit, evangelizandi occaſio certa veniat; ita, aut inventarum animarum theſaurum magnum lucrabimur, aut dulcem vitam pro dulciſsimo Chriſto fundentes, deſideratamente occumbemus. Rogoſnâ demum relictâ, quindecim germanicis milliaribus, Dantiſcum uſque ſecundo Viſtulæ flumine navigatum. *Ibi divinâ miſericordiâ adventum ejus proſperante, cœpit prædicationi rurſus inſiſtere, ibi crediderunt multæ catervæ: ibi* Sanctus Pontifex *Miſſarum ſolennia celebrans, corpus immolat Chriſti, cui non poſt multos dies, ſe ipſum hoſtiam fuerat oblaturus. Quidquid autem ſuperfuit de eo, quòd ipſe, & novi baptizati communicaverunt, colligi jubet: & mundiſſimo panno involutum, ſibi ſervat pro viatico deportandum (n).*

16. Dantiſci, ſive Gedani, felicius adminiſtrato divino negotio, per Baltici maris, aut potius Venedici ſinûs brachiũ in Gambiam Pruſſiæ provinciam, medio ſolùm

(n) *Sylveſter cap. 33. Aubertus Myræus in vita S. Adalberti Bonfinius Lippeloo.*

ſolùm à Fiſchuſio milliari, fortiſsimè decurrit; ultimas tandem, in extremis illius continentis littoribus, Herculei laboris columnas, Boëmæ Patriæ glorioſiſsimas, poſiturus. Baſis deerat ad eos apices: ipſe igitur cecidit, ut primùm Dei gloria, demum & gentis noſtræ honor, ex tam ſancto, coram longinquis & maritimis populis aſſurgeret: docerétque Boëmicas quoque Roſas, ad mare plantatas, etiam in ſalſugine, ſanctitatis odorem exhalare. Cùm itáque Woytiecho Præſuli poſtremus vitæ dies approperaret, Gaudentius germanus frater, id ipſum in ſomniis myſticâ revelatione cognovit; *& expergefactus*, inquit Papa Sylveſter (o), *interrogat Sanctiſſimum Adalbertum, an vellet audire ſomnium ſuum? Illo verò reſpondente, dic ſi quid habes dulciſſime fili: vidi, inquit, in medio altaris calicem aureum vino ſemiplenum, & ejus cuſtos nemo erat; me autem volente ebibere vinum, oppoſuit ſe mihi miniſter altaris, & au-*

(o) *cap. 35. Anony: cap: 30. & ex iſtis vetus Breviarium Boëmicum. Bonfinius. Pontanus in oratione, Buczko de Poppovitz. MS. & alij.*

& audacibus verbis, velut quâdam imperioſâ auctoritate, ne biberem contradixit: quia nec mihi, nec alicui hominum licentiam dare vellet, pro eo, quòd tibi in craſtinum Sanctiſſime Pater eſſet reſervatum pro myſtica refectione. Hæc eo loquente fugit ſomnus ab oculis, & ingens torpor occupat trementia membra. Deus, inquit Sanctus Epiſcopus, ò fili proſperet hunc viſum: fallaci ſomno oportet credere neminem. Interea ſub auroram diei ſequentis, in ipſo littore Davidicos Hymnos concinentes, è ſylvis ad campeſtria deſcendunt, *& ſole aſcendente ad meridiem (p)*, cum idem ſol poſt ortum *tres horas propè compleſſet (q)*, circa horam ſeptimam Sanctus Adalbertus miſſam celebravit *(qq)*, & poſt ſacram communionem, pro alleviando labore itineris, ætatis nempe quinquageſimum octavum annum

(p) Sylveſter cap. 35. (q) Anony: Surij cap: 31. (qq) adeóque poſt Miſſæ ſacrificium occiſus eſt: Ita Sylveſter Papa, Surianus Anonymus & ex his Breviarium Boëmicum. Bonfinius, Myræus, Menologium Bucelini, Lippeloo, & plures vitæ manuſcriptæ. Eſt hæc ſententia contraria Breviariis Polonico & Vngarico, Dlugoſſio, Miechovio, Cromero, Wugek, Hagecio, atq; aliis.

annum ingreſſus, *pauxillum obſonij accepit: & dicto verſu ex ſequenti (r) pſalmo, ſurgit de gramineo ceſpite, & quantum eſt ictus lapidis, vel miſſio ſagittæ, progreſſus, loco reſedit (s).* Hic tum cepit eum ſomnus: & quia ex prolixo itinere feſſus erat, pleno cornu perfudit, eum ſoporifera quies. Affuit mox paganus furor armatâ manu, & irruerunt ſuper eos impetu magno; Woytiechum Pontificem primò, deinde Gaudentium & Benedictum, vinculis quaſi maleficos conſtringunt: & in collem Venedici ſinûs littori vicicinum vinctos adducunt. *Proſilit ex furibundo agmine ſenex quidam* ſacrificulus, Siggo (t) nomine, *qui totis viribus ingens jaculum movens, transfixit penetralia cordis Sancti Martyris Adalberti. Sanctus verò Adalbertus in ſe ſenem irruentem conſpiciens, miti voce dixit:* quid vis Pater? aut cur manus innocenti ſanguine polluis? atque cruentas diabolo ſponte

(r) *videtur aliquid deeſſe.* (s) *Sylveſter, cap. 35* (t) *Alij Singonem, Sing, alij Velſinum nominant Dlugoſſius & Scargus Krive compellant. ſed hoc nomen commue Myſtis omnibus Prutenicis affirmat Cromerus lib. 3. Hiſt Polon.*

ſponte tradis? ipſe autem Sacerdos Idolorum, & dux conjuratæ cohortis, velut ex debito, prima vulnera facit; deinde concurrunt omnes, & vulnera miſcentes vulneribus, iram exaturant. Profluit purpureus ſanguis per foramina utriuſque lateris, & extractæ haſtæ ſeptem ingentia vulnera pandunt. Ille oculis in cœlum erectis, & vinculis per ſe *(u)* ſolutis, extendit manus in modum crucis, & ſuppliciter preces effudens, pro ſua & pro perſequutorum ſalute ait: *Domine DEVS Omnipotens exaudi propitius orationem meam, & ne attendas iſtorum facinora, quæ in me indigno, propter ſanctum nomen tuum, commiſerunt, quia neſciunt quid faciunt. ſed aperi januam cordis eorum, ut te factorem omnium agnoſcant & intelligant; & ad te revertantur. Vt paſſio mea non ſit infructuoſa, nec iſtis, nec aliis qui mei memoriam fecerint. Sed concede omnibus, in præſenti ſæculo quietem & pacem, & in futuro vitam æternam condonare digneris Salvator mundi. qui cum Patre & Spiritu Sancto cuncta* guber-

(u) Sylveſter, Anonymus, aliique.



Sicut aqua effuſus ſum: et diſperſi ſunt omnia oſſa mea.
Pſalm. 21. V. 15.

gubernas in ſæcula ſæculorum, Amen (w). Ultimo tandem ſemetipſum allocutus, *ſeptem donis*, inquit (x), *ditavit te Chriſtus, virtute multâ fluxit tibi gratiâ Sancti Spiritûs: nunc in ejus honorem ſeptem lanceis confixus, amplectere deſiderabilem Chriſtum.* Eum in modum ſeptem lanceis confoſsus, totóq; ſanguine deſtitutus, ultimum naturæ debitum ſolvit, Deóque deſtinatum ſpiritum, cœlo reddidit.

17. Tunc licet Divo Pontifici, prò laurea Martyrij deſudanti, ſatis fuiſſet ad triumphum, barbare tamen genti, pro adnata crudelitate, necdum ſatis: adhuc ab exanimi corpore gladio caput amputatum, reliquum vero corpus in partes dilaniatum eſt; & ſic læto clamore laudantes ſua ſcelera, unuſquiſque ad ſedes proprias reverſi ſunt. Sed ut oſtenderet Omnipotens DEUS, cujus eſſet meriti tantus Martyr, per triginta (y) dies, juſſa à Domino, *ab Aquila corpus ejus dilaniatum cuſtoditur: ubi nulla fera, nulla avis*

(w) *Sylveſter cap.* 36. (x) *Anonym: Surij,* 32. (y) *Matth. Miechovius dicit per tres dies.*

avis accedere potuit. Eam divino judicio Aquilam cuſtodem diſcipuli Gaudentius & Benedictus *aſpexerunt; poſt vero infidelis turba, necdum humano ſanguine ſaciata, tollentes corpus ejus, miſerrimè dilaceratum, in mare dimiſerunt (z).* Alij verò ſcribunt, quòd poſt eam ſancti corporis dilaniationem, Prutenus quiſpiam piſcator, auri potiundi avidus, quem alij reliquerant, annulum cum digito præciderit, illóque detracto, digitum abjecerit. Interim vultur nobilem prædam nactus, dum aquas tranſvolat, ita diſponente Deo, fruſtum ſancti Corporis dimittit: mox lucius arripiens abſumit. Viſu mirabile! quâquâ piſcis natabat, lumen inſolitum refulſit; piſcatores ignem in aqua admirati, novitatem comprehendere manúque contrectare ſatagunt. Captus lucius, & exenteratus miraculum prodidit, ac ſancti Præſulis Adalberti, recenter occiſi, digitum exhibuit. Super ejuſmodi miraculo Piſcator obſtupeſcens, quantocius inventam

(y) *Sylveſter cap. 36.*

particulam ad reliquum corpus detulit, ſuóque loco reſtitutus digitus accrevit (a). Sacrum quoque caput appoſitum corpori, cum cervice ſtatim coaluit. Aliter Bartholomæus Paproczky (b): poſt decolationem, inquit, ſanctus Adalbertus levato capite, feſtinanter ad Oppidi, ſibi ante mortem notiſſimi, capellam, in qua vivus divina peragere conſveverat, abiit: Ad ejuſmodi prodigium conſternati pagani, teſtes futuri exitus, abeuntem à longe ſequebantur. Poſteaquam prædictam capellam introiviſſet; illico lapis altaris divinâ virtute ſublevatus, Divum Adalbertum ſubintrantem, velut in ſepulchro ſibi condigno reverenter operuit. Mirabilius iterum quod ſequitur: cum velut alter Dionyſius Areopagita, caput manibus propriis tuliſſet, ceciniſſe fertur. Anonymus Brzevnovienſis (c) ita ſcripſit: *Hoc canticum*, Ho-

ſpodi-

(a) *Duo Paſſionalia MM. SS. ex Bibliotheca Metropolitana, duo alia ex Bibl: MS. Soc. Ieſu ad pontem; confirmat Bonfinius.* (b) *Stemmatographiæ part: 2. de Epiſcopis pag. 278. & ſequenti.* (c) *Videatur hic Autor in præſenti opuſculo, primùm nunc evulgatus in 2. parte, in explicatione Cantici, pag. 32.*

ſpodine pomilug ny/ ꝛc. *martyrio ſuo coronavit; &, ut dicitur, caput ejus decollatum ipſum cantavit. ſcilicet quando corpus ſuũ, tranſiens de una parte Pruſſiæ in aliam, in pallio id portavit.* Sepulturam quod concernit, valde placet Matthias Miechovius, qui Dlugoſſium ſecutus, ait: Sancti Pontificis Adalberti membra ſciſſa, per hoſpitem quendam in ſportam collecta, juxta locum Martyrij in terram defodiſſe *(d)*. Omnibus iſtis peractis, Gaudentius accepto ſui fratris & Magiſtri cilicio, ſanguine reſperſo, cum Benedicto Gnieznam ad Archi-Epiſcopatum eodem anno redijt. Quis autem Divi Pontificis Adalberti Paſſionis annus fuerit, inter ſcriptores exteros, quàm domeſticos controvertitur. Urſpergenſis Lupacius & Cuthenus referunt hoc Martyrium ad annum 994. Marianus Scotus ad annum 995. Dalymilus Mezrzicenſis impreſſus, & etiam duo manuſcripta exem-

(d) Dicunt alij per aurigam, ex accepta revelatione in ſomnio, tranſvectum alio, ſed propter adulterium commiſſum, ulterius movere loco non potuiſſe;

exemplaria, Weleslavina & Joannes Herburtus, ad annum 996. Boregk ad 998. Paproczky *(e)* autem ad annum 979. Verum ſi ſententiam in graviſsimis autoribus fundatam, & in pluribus Eccleſiis receptam obſervemus, dicendum erit neceſſario, ſanctum Adalbertum fuiſſe paſſum ætatis anno 58. Pragensîs Epiſcopatus vigeſimo quinto *(f)*, ſcilicet ab anno 969. uſque ad 995, quo derelictis in integrum Boëmis ad Polonos abiit; Gnieznensîs autē Archi-Epiſcopatûs tertio, Chriſti verò CMXCVII.
23. April. *(g)*: nono Kal: Maij *(h)* qui fuit Sanctus Paraſceves *(i)* dies; hactenus de Paſsione & Martyrio S. Præſulis Adalberti.

18. Ipſiſſima die, quâ S. Adalbertus

(e) In ſtatu Baronum pag. 12. in medio. (f) Paulus Stransky Reipub: cap. 6. pag. 287. (g) Breviarium Polonicum, Vngaricum, & vetus Boëmicum. Martyrologium Romanum, & vetus Boëmicum. Chartuitius, Coſmas, Cromerus, Schafnaburgen: Baronius, Hagek, Wugek, Bucelinus, Paprozky de Epiſcopis pag. 278. ante finem, & alij communiter. (h) Miechovius Rer: Polon: lib. 2. cap. 8. Anonymus Surij cap. 32. Sylveſter cap. 36. Myraus. Menolog: Bucel: Dlugoſſus, Pontanus in oratione de Sancto Adalberto. (i) Sylveſter Papa cap. 36. Anonym: cap. 32. Dlugoſſus, Myraus, Miechovius lib. 2. cap. 8. Menol: &c.

tus noſter Apoſtolicorum laborum vitæque curſum apud Prutenos glorioſiſſimè conſum̃avit, in monaſterio Romæ apud SS. Bonifacium & Alexium, ubi plures annos quondam tranſegerat, Joanni Canapario Abbati (k) *talia Dominus per viſionem oſtendit: è ſummo cælo velut volantia deorſum veniunt uſque ad terram duo linteamina, alba ſicut nix, & munda abſque omni ſorde & macula: ambo feliciſſimo curſu nubes, & aura ſidera transnant. Vnius nomen, extra ipsũ qui hæc vidit, admodùm pauci ſciunt; alter verò erat, (ut adhuc hodie meminit.) Martyrũ numero annotatus Sanctus Adalbertus, cui Angelus miniſter jam cæleſtis menſa convivia præparavit. At Pater Nilus, ignotum eſt quid de eo viderit, ſed dulcibus ſcriptis eundem virum Ioannem ita alloquitur. Scias dilectiſſime Fili, quia amicus noſter Epiſcopus, Sanctus Adalbertus, ambulat cum Spiritu Sancto: & præſentem vitam Beatiſſimo fine tranſmeavit* (l).

 Gauden-

(k) *Sylveſter cap. 35 converſum fuiſſe dicit, Breviarium Boëmicum Campanarium nominat.* (l) *Sylveſter cap. 35. ſed conferendus eſt cum exemplari Hannovienſis editionis cap. 29. Anony: cap. 29. &c.*

Gaudentius autem & Frater Benedictus, poſtquam ad Boleslaum Chrabri Gnieznam perveniſſent, Martirij Sancti Præſulis oculati teſtes, & ex parte ejuſdem participes, crudelem nuperam cataſtrophen ex toto Principem edocuerunt. Exhorruit Boleslaus Dux ſuper im̃anitate paganorum: & quò magis Adalbertum dilexit vivum, eò acerbius tulit crudeliter peremptum; dilatâ tamen in aliud tempus ultione, nuncios propediem, qui ſacrum Adalberti corpus è medio Barbarorum auferrent, ad Prutenos ordinavit. Ad quem Pruteni remiſſo nuncio, *Deum tuum*, inquiunt (*m*), *occidimus; terrâque obrutum habere non poteris*, niſi prius auri tantum & argenti nobis appendas, quantum bilancis æquilibrium, in poſtulato cadavere ponderabit. Miſit ergo Boleslaus viros Eccleſiaſticos, cum certis militibus, qui juxta *Romove* corpus oblatum, primùm recognoſcentes eſſe S. Adalberti, pactum cum Prutenis aurum & argentum, quantum Beato corpori ſuffi-

(*m*) *Acceptum eſt hoc ex Miechovio apud Bzovium tom: 20. annalium.*

ſuffeciſſe viſum, alteri tabularum imponunt. Pruteni ſanctum Corpus appendentes, libellam expectant; verùm, dictu mirabile! cùm totum auri argentíq; pretium à Boleslao numeratum, adhuc ne modicè quidem ſacrum Corpus allevare poſſet, perplexi nuncij, ſuũ quiſq; quod habebat, aurum & argentum acervo ſuperaddunt: ſed nec ita quidem à terra levari potuit ſacrum pondus. Accurrunt reliqui nunciorum comites, adſunt etiam ex Prutenis nonnulli Chriſtiani, nuper à Beato Præſule baptizati, certatim omnes extrema ſua conferunt: neq; tamen eorum largitionibus aliquid effectum eſt. Poſtremò venit paupercula mulier, & ex aſpectu miſerabilis, cujus omnes fortunæ in duobus numis, ad reliquum vitæ ſubſidium comparatis, conſiſtebant: amore tamen Sancti Pontificis, quod habuit, ad Polonicorum aurum promptiſſimo animo totum adjecit. Illicò ſacrum Adalberti corpus, in ſublime levatum, tam diu deſuper libratum, prodigioſa levitate pependit, úſ-

que dum Gazis Regiis, cæteríſq; fidelium piis oblationibus ſenſim ſubtractis, nummi mulieris & ſanctum corpus Adalberti æquali ſtaterâ conſiſterent *(n)*. Atq; ita ex pacto Boleslaum inter & Pruſſos obſervato, deſideratiſſimum toti Poloniæ theſaurum, Divum Adalbertum, duobus minutis mulier pauperrima redemit. ut merito illa verba Chriſti dicere poſſimus *(o)*: ílla ſola redemit, *quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes miſit. Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quem habuit, miſit.* Idcirco nuncij reconditis pecuniis Principis, corpus Divi Præſulis in tumbam noviter ad hoc præparatam, condiderunt: & inter jubilos & applauſus, in Poloniam honorificè deduxerunt. *Boleſlaus (p) certior factus intra metas Poloniæ adeſſe corpus Sancti Adalberti, coaſſum-*

(n) Miechovius Rerum Polon: lib: 2. cap. 8. Paproczky in Epiſcoporum catalogo, pag. 278, & ſequ: Ribadineira & alia manu ſcripta vitæ aliquot. huc etiam reſpicit Breviar: Polon (o) de vidua, quæ duo minuta miſit in Gazophylacium templi Lucæ c. 21: ℣. 3. 4. (p) Miechovius loco præcitato.



Appenſus eſt in ſtatera: et inventus eſt minus habens. Dan: cap: 6. V. 27

ſumptis vicinioribus Epiſcopis, viríſque ſpiritualibus, & ſæcularibus, cum maxima multitudine occurrit, & proſtratus in terram excepit: & uſque in monaſterium Canonicorum regularium Sancti Auguſtini, dictum Tremeſna, quod Miecziſlaus Pater ſuus, quum viveret condidit, deduxit, & locavit; brevíque tempore exacto, collecta multitudine Pontificum, Eccleſiaſticorúmque & ſæcularium virorũ, Gnieznam
20. *tanquam in locum digniorem, & Metropo-*
Octob. *litanum, 13. Kalend: Novembris tranſtulit. Vbi mirâ Dei virtute ſtupendis miraculis cœpit clareſcere, Germanis, Pannoniis, & Provinciis vicinis, ad Sarcophagum ejus confluentibus, & in neceſſitatibus ſalutaria ſolatia reportantibus.*

CAPVT XIV.

Polonos inter & Boëmos de translatione corporis Divi Adalberti Gnieznâ Pragam, controverſia: Gnieznâ tranſlatum in Bohemiam, haberiq; Pragæ, concluditur.

I. *Ar-*

Arma virúmq; cano: Pragæ *qui primus ab oris*
In Gnieznam *fato profugus,* Sambináq; *venit*
Littora; multum ille & terris jactatus & alto.

Virum Sanctum dico, Woytiechum, Pragenſem Epiſcopum, genuinum Apoſtoli diſcipulum: *in laboribus plurimis; in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter (a):* jactatum *in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate.* Divum inquã, Boëmiæ, Hungariæ, Poloniæ, Pruſsíæque Tutelarem Patronum, apud Boëmos natum, Hungaros Apoſtolum, Polonos Archi-Epiſcopum, apud Prutenos Martyrem, unicuíque harum Gentium ſuis titulis debitum Adalbertum, non velitatione quadam, ſed, quâ Sanctum decet, pugnâ ſtatariâ propugnandum. Deſcendant in arenam fraternæ acies: & amor Czechiadum Polonorúmque pietas, pro ſancto Pontifice, quarum nam ſit futurus partium

(a) 2. *Corinth. cap. 11.* ℣. 23 *& ſequenti.*

tium, arbitrâ veritate, ſeriò decertent. Prima Polonorum acies ad campum prodeat, apparatu ſuo bellico inſtrúctiſsima, & pro redempto à PruſſisDivo Martyre prima depugnet. Boëmia quóque cum mille clypeis, & omni armatura fortium, pro nato ſibi filio, ſibíque debito, vires quas habet exeret, Hâc belli facie coſtitutâ, coibunt arma cum armis, brachia manibus, conferetur pedi pes: in charitate tamen lenitate & patientia, ſine vulnere,ſine ſanguine,in tam ſacro bello. Polonici Dux exercitûs, & anteſignanus, Longinus eſto, veteranus ille Quartianæ Legionis Princeps, apud Baronium celebris (*aa*), pro ſacro corpore Martyris Adalberti ſic dimicans:

Argumenta Polonorum, negantia translatum Gnieznâ Pragam corpus Divi ADALBERTI.

2. *Civili & plus quàm civili* (de verbo ad verbũ apud Baronium (*b*) Longinus loquitur)

(aa) fuit hic Longinus, aut ſi mavis Polonicè Dlugoſſius Cracov: Canon: & ſcripſit ad annum uſque 1480. quo vivendi & ſcribendi finem fecit. (*b*) *Baronius Annalium tomo 11. ad annum 1038. §. 15. pag. 139. in fine*

quitur) *Nobilium videlicet & popularium furore Regnum Poloniæ Brzetislaus Boëmiæ Dux intelligens dilaceratum & colliſum, & ſuo Rege atque Principe deſtitutum, invadere illud, velut paratam prædam, & amplioribus incommodis afficere, nullam illic ſciens ſe reſiſtentiam habiturum, conſtituit. Ad quod illum, non ſolum accepta in excæcatione avi ſui Boleslai Ducis Boëmiæ, per Boleslaum Poloniæ Regem injuriæ factæ memoria, ſed & livor & odium, ſimúlque occupandi alieni Regni, aut ſaltem exterminandi, ſtimulabat ambitio, & prava voluntas. Collecta itàque nobilium & agreſtium multitudine, Poloniam ingreſſus, civitates ejus magis opulentas & inſignes, Wratiſlaviã videlicet, Poſnaniam, oppidáque, vicos, & villas quæ civilis ſtridor nondum deleverat, diripit & exurit. Ad Gnieznam tandem Polonorum Metropolim perveniens, illam, quoniam nec ſitu, nec arte munita erat, ſed neque defenſores habebat, facilè capit, Et quoniam in Vrbe tam vulgata & famoſa nobilem prædam ſuæ avari-*

varitiæ prout rebatur, ſuffecturam non reperit (neq; enim illic niſi vilia mancipia relicta erant) ad prædanda diripiendáq; ſacra templa animum ambitione æſtuantem convertit. Sed illico omnipotens Dei dignatio, potentiæ ſuæ virtutem oſtendens, mirabili prodigio, ne ſacer locus maximo & præcipuo ſuo prædaretur theſauro, providit: & quantum ſacrilegij facinus profanus & impius Brzetislaus eſſet admiſſurus, monſtravit. Dum enim Dux ipſe Brzetislaus Eccleſiam Sanctæ Mariæ Metropolicam Gnieznen ſpoliaturus advenißet, in ipſo limine & aditu, tam ipſe quàm omnes milites ſui, & univerſa plebs cæcitate & morbo Lethargico, qui illos amplius quàm triduo detinuit, quoties Eccleſiam irrumpere & ſacra dirumpere tentabant, fuêre percuſſi. Interea autem dierum illorum trium pietate agni cæleſtis, quæ Polonos verbere ſuæ plagæ mulctari, non ad extremum tamen conſumi permiſit, procuratas inducias, pauci ex miniſtris Eccleſiæ Gneſnen, qui, cæteris metu belli perculſis diffugientibus, remanſerant, corpus

San-

Sancti Adalberti Pontificis & Martyris in ea conditum, quod veriſimiliter Bohemos exiſtimabat ſublaturos è loco, in quo annis pluribus univerſali devotione quieverat, abstrahunt: & in loco vili, ſabulo obrutum recondunt. Sub illis quoque diebus Brzetislaus Bohemiæ Dux in quæque propinqua vaſtationem juſſerat extendi, & agreſtes capi: in eam ſpem adductus, quòd diſcordiâ Polonorum inteſtinâ, ſuâ quoque vaſtatione infeſtâ, Reſpub: Polonorum diſſoluta, Bohemicâ fieret anguſtior. Iam Bohemos & Ducem eorum Brzetislaũ exanimatio lethargica, & cæcitas, à ſpolio inſacra perpetrando trium dierum continuatione deterruerat: réſque apud eos, prout dignum erat, in prodigium & religionem verſa, futuri ſacrilegij facinus, ejúſq; magnitudinem demonſtrans, conceptum furorem diſſolvebat. Severus tamen Pragenſis Epiſcopus, qui bello injuſto hujusmodi ſe miſcuerat, & Gneſnæ præſens aderat, Bohemorum animos, ſuapte in prædam & ſpolia proclives, ad proſequendum cæptum ſcelus animat & accendit: aſſerens

rens

rens lethargiæ & excæcationis incommodum non propter in ſacra Eccleſiæ Gneſnen per eos committendum ſpolium, ſed propter veteres Boëmorum prævaricationes, & ſcelera in Catholicam religionem, abutendo illicitis connubiis, perpetrando homicidia, cõmittendo adulteria, ſectando ebrietates, ſabbata dieſque feſtos operibus ſervilibus violando, inceſtuosè vivendo, ſepulturas mortuorum in locis profanis, neglectis ædibus & cœmeteriis ſacris, faciendo, & templis ſpolia inferendo, pauperes opprimendo, injuſta judicia exercendo, commiſſa accidiſſe. Ad quorum expiationem Severus Pontifex Pragenſis, Duci & Bohemis triduanum jejunium indicit. Quo expleto, jurisjurandi execratione ſe aſtringunt, ab omnibus enormibus facinoribus, quibus hactenus ſe inquinaverant, ceſſaturos.

3. *Poſt hæc,* continuat idem Longinus, (c) *Eccleſiam Gneſnen ingreſſi, dum ſolitâ non ferirentur cæcitate, ad diripienda ſingula ſacra, & omnem Eccleſiæ ſupellectilem, rapacem animorum & manuum* inglu-

(c) *Apud eundem Baronium, in præcitato loco.*

ingluviem, favere eorum Divinitatem, credentes propoſito, intendunt. Correptis autem Eccleſiæ Gneſnen qui remanſerant miniſtris, non probris ſolùm & cruciatibus, ſed etiam ampliſſimis promiſſis illos ſollicitant, ut ubinam corpus Beati Adalberti Pontificis & Martyris depoſitum ſit, oſtendant. Et illi quidem prudenti & induſtrioſa vafricie, corpus Gaudentij Gneſnenſis Archi-Epiſcopi & Beati Adalberti germani oſtendunt: illúdque eſſe corpus Beati Adalberti mentiuntur. Creditum eſt illicò à Bohemis; nam & Sarcophagi locíque & ornamentorum Pontificalium, quibus veſtitum erat corpus Gaudentij, qualitas fidem figmentis faciebat. Tollunt itáque Bohemi corpus Gaudentij, & immenſâ lætitiâ, putantes ſe corpus Beati Adalberti Martyris adeptos eſſe, exultant, & vulgaribus canticis Eccleſiam Gneſnen replent. Deinde illud magnâ ſolennitatis pompâ de Eccleſia efferunt, & in caſtra ſua traducunt. Quæ quidem ludificatio juſtiſſimâ Dei lege & providentiâ eveniſſe Bohemis credenda eſt. Qui enim verum Dei & ſuum

tum Pontificem, pluribus probris, contumeliis & injuriis viventem affecerant, qui eum geminatâ vice de ſede ſua ignominioſè ejecerant, quique ſæviſſimâ cæde fratres ſuos, & univerſum genus ſuum odio & livore necaverant, ejus ſacrum corpus Polonis, qui eum ſuſceperant, honorificaverant, ejus monitis ſalutaribus paruerant, ejus corpus ex Pruſſia transtulerant, auferre, divinitate decernente, judicati ſunt indigni. Sed nec Sanctus iſte paſſus eſt oſſa ſua ad gentem apoſtatricem referri, quæ quantũ in ea erat, & in præſentem in ſe, & in abſentem in ſuos ſæviens, ſui nominis memoriam conata eſt è rerum natura, pertinaci animo tollere & abolere: & quorum vivens conſortia ſolebat fugiendo aſpernari, ab eiſdem non tulit corpus ſuum contingi, neque in Bohemiam ex Polonia, auferri. Convertit poſt præmiſſa Brzetiſlaus Bohemiæ Dux animum ad cætera ſacra diripienda, & quinque Fratrum & Martyrum corpora, videlicet Ioannis, Benedicti, Iſaac, Matthæi & Chriſtini, quos ſub Boleslao I. Polonorum Rege, in loco ubi

nunc

nunc eſt oppidum Cazimierz eremiticam vitam in arctiſsima converſatione agentes, monſtravimus martyrium paſſos, quæq; Boleslaus Rex Primus ex loco paſſionis eorum Gnesnam tranſtulerat. Imaginem inſuper Crucifixi ex puro auro per Boleslaum primum Polonorum Regem fabrefactam & trecentas habentem libras, tripli ci pondere corpus ejus appendentem: item tres tabulas quibus altare majus adornatum fuerat, auro puro, & variis pretioſíſq; lapidibus & gemmis ſuperbas, per eundem Boleslaum Poloniæ Regem donatas, cæteráque Eccleſiæ Gneſnen vaſa & clenodia rapit: & ſacrilego facinore Eccleſiam Gneſnen pluribus ſuis ſacris ornamentis & decoris ſpoliat. Neque his contentus, campanas nobiles, & in magnitudine, valore, atque ſono raras aufert, & cum his omnibus, & populi ruſticani utriuſque ſexus multitudine, quam captam tenebat, in Boëmiam reverſus eſt: & Pragam in vigilia S Bartholomæi ingreſſus, ſacras prædas in Eccleſia majori Pragenſi collocat & deponit. Captivos verò ruſticos Polonorũ, inter quos ſacerdo-

 cerdo-

cerdotes miniſtrique Dei videbantur (tanta enim erat Bohemorum crudelitas, ut nec à Chriſtis Domini manum continerent) in colonias deduci, diſtribuíque ordinavit. Corpus Sancti Chriſtini unius ex quinque fratribus, Moravis inſtantius petentibus, Olomucenſi Eccleſiæ, quæ nondum Cathedrali tunc fungebatur honore, donavit; quod apud illum in eam uſque diem, ſub tabulis argenteis auro tinctis requieſcit, ſuóque titulo & nomine Cathedra Olomucenſis exſtat dicata.

4. Longini ſuccenturiator nunc prodeat Martinus Cromerus, Varmienſis Epiſcopus, Vincentij Kadlubczij, Joannis Dlugoſſij, Matthiæ Miechovij, Joſti Decij, Bernardi Vapovij, pluriúmque veterum de Polonia Scriptorum, armis & argumentis gravis: vel unus iſte tot manibus pugnare paratus, *Brzetislaus Bohemus*, inquit (d) Varmienſis, *quum poſt Vdalrici patris mortem, Iaromirio cæco patruo concedente, Principatum ſuſcepiſſet, cum valido exercitu ferro & igni Sileſiam, quæ ſic poſterius dicta eſt, & majorem Poloniam*

(d) *Crom: Hiſt: Polon: lib. 4. mihi pag. 48. col 2. in fine.*

loniam, quàm longiſſimè populatus eſt. Wratislaviam, Poſnaniam, aliáque minora oppida complura diripuit & incendit; nulli neque ſexui, neq; ætati hominum pepercit: nec à templis impias & ſacrilegas manus abſtinuit (nam de Cracovia Sylvio & Hageco non aſſentimur, refellítque eos locorum ratio) Gneznam Metropolim, nec manu munitam, & habitatoribus defenſoribúſq; vacuam, primò impetu cepit; ad Baſilicam ejus oppidi ſpoliandam, ubi juſſu ipſius venêre milites, aliquoties irrumpere conati, ſubitò cæcitate & lethargo divinitus percutiuntur. Erat in caſtris Brzetislai Severus Pragenſis Epiſcopus, is miraculo attonitis omnibus, & ſpoliationem templi in religionem vertentibus, perſvaſit, non ob id, quod putabant omnes, ſed propter nefanda flagitia, & enormia ſcelera Boëmorum, cæcitatem illam & oblivionem ipſis accidiſſe: triduanoq; jejunio divinam iram placandam eſſe cenſuit. Quo expleto, Bohemi liberè jam Epiſcopo auctore templum ingrediuntur, aurum & argentum omne, veſtes ſacras & omnem Baſilicæ

 ſupel-

ſupellectilem, itémque quinque eremitarum, de quibus in Boleslao mentionem fecimus, corpora, quæ illuc à pio Rege translata erant, auferunt. Gaudentij corpus pro Adalberti corpore, à miniſtris templi pio mendacio indicatum, etiam tollunt. Nam Adalberti corpus iidem miniſtri in adyto templi clàm defoderant; Quamvis Boëmi ejus reliquias habere ſe jactent. Quâ de re ego ante paucos annos cum Ferdinando Imperatore deſignato, perpetuâ in ſeptimum annum legatione Sigiſmundi Auguſti regis nomine apud eum fungens, apud ipſum Divi delubrum familiariter contuli. Sed ad rem redeo. Hanc igitur Prædam aſportavit è Polonis Brzetislaus, & in Baſilica arcis Pragenſis depoſuit: præter Chriſtini, unius de quinque illis eremitis, corpus quod Olomucenſibus conceſſit. Atq; hæc anno Chriſti 1038 acciderunt: Hagecum enim multa temerè de hoc bello nugantem non ſequimur. Nec unquam poſtea Brzetislaus quæ jure belli ceperat, Polonis reſtituit: quamvis poſtulatus ea de re apud Pontificem maximum à Stephano

Archi-

Archi-Epiſcopo Gneſnenſi, qui Polonus Polono Bozentæ ſucceſſerat.

5. Recentius iterum Cromerus circa ſalutis annum 1128. adducit argumentum, cũ per Boleslaum Crivouſtum Wladislai filium, Poloniæ Principem, quadragies ſepties victorem, extortum vult à Boëmis Divum Adalbertum, ita loquens (e): *qvamvis Boleslaus magnis in ornatum templorum, & in alimenta Sacerdotum atque egenorum impendiis atq; donationibus, jugiq; precatione & lachrymis, & aſpero tenuique victu & cultu corporis, cilicio pro veſte utens, & cinere ſeſe aſpergens, ægrotorúmque medicorum pedes ſubinde manib9 ſuis abluens, admiſsũ in Sbigneum fratrem facinus ſedulò expiaret, cùm aliis ſatisfaceret, tamen ipſe ſibi non ſatisfaciebat, niſi & laborem longæ moleſtæq; peregrinationis adjiceret. Itáque ſolenne Chriſtianis quadraginta dierum jejunium pane tantum, & aquâ guſtandis, cilicium indutus, cùm exegiſſet, paucis ſacerdotibus & aliis piis hominibus*

(e) *Idem Cromerus Hiſt: Polonica, lib. 5. mihi pag. 88. col. 1. in fine, & ſequenti.*

comitatus, ad Ægidij tutelaris Divi ſui ſepulchrum peregrinationem privati habitu ſuſcepit: atq; id iter magnâ ex parte nudis pedibus confecit: nullum templum nullum monaſterium, nullum egentium domicilium, neminem denique ſacerdotem aut mendicum præteriens, quin liberalitatis & munificentiæ quippiam in eum depromeret. Quindecim dies apud Divi ſepulchrum jejuniis & ſupplicationibus vacans, commoratus, cum in Poloniam revertiſſet, & reliquum illius anni tempus quieti dediſſet, vere proximo in Vngariam ad divi Stephani ſepulchrum alteram peregrinationem inſtituit; eâque religiosè & pedeſtri item itinere obitâ, & quidem non ſine moleſtia, propterea quòd ſplendidè & honorificè contra animi ſui ſententiam à Stephano Rege, genero ſuo à primoribus Vngaris acciperetur, ac deduceretur. Gneſnam etiam adijt ad divi Adalberti reliquias, paulò ante Iacobi Archi-Epiſcopi operâ in propatulum prolatas, è latebris, in quibus diu poſt captum & vaſtatum à Boëmis, exulante Cazimiro Rege, id oppidum, pau-

paucis conſciis delituerant: & octoginta marcas auri, & multas gemmas in urnam Divi contulit. Ad Cromerum quóque noviſſimus accedit Abrahamus Bzovius Añalium tom: 20. in appendice, in vita S. Adalberti per Sylveſtrum Papam edita (f), cum ait: *noſtro hoc tempore Sigiſmundus tertius Rex Poloniæ & Sveciæ, pro ea quâ in cœlites flagrat pietate, argenteam incomparabilis pretij & artificij arcam Divo nuper obtulit dicavítque, in qua ſacroſancta illius pignora recondita.*

6. Nec autoritatibus contenti Poloni, rationes etiam, & illas quidem ut ipſi putant, moraliter infallibiles adducunt: quarum prima eſſe poteſt, quod totius Poloniæ Regni, quâqua diffuſum patet, ea ſit populi vox, ille ſenſus traditione Majorum acceptus, non alibi quàm Gnieſnæ ſacra Woytiechi lypſana permanere. eáque vulgari fide vix aliquid ſancti, aut firmius eſſe poſſe, juxta vetus adagium, *vox populi, vox Dei.* Alioqui, ſi traditioni huic fides negetur, per conſe-

quens

(f) *Videri poteſt Bzovius in illo tomo, pag. 608. col. 1. ſub medio.*

quens, nullis traditionibus aliis, etiam receptiſſimis, ſive Eccleſiaſticis ſive politicis fidem haberemus. Quod autem ea ſit apud Polonos à ſæculis acceptiſsima traditio, nempe divi Martyris oſſa Gnieſnæ ſervari, Regum anathemata, Ducum, Principum, atque aliorum devotorum hominum, tum priſca tum recentiora donativa eo loci honori divi Martyris appenſa, peregrinationes domeſticorum, & externorum quotannis celebres, ac innumera prope miracula ad Sarcophagum Gnieſnæ perpetrata clarè docent. Ante non multos annos accidit, rem certam narro, quendam inſigniter eruditum Polonæ Gentis Virum, Boëmo, à monumentis & Hiſtoriis editis in hoc Regno celebri, de materia præſenti moviſſe quæſtionem. Et cùm Boëmus noſter, ſacrum Adalberti corpus in Metropolitana Pragenſi Eccleſia conditum aſſeruiſſet, Polonus reſpondit: eſſe ſibi novum & potentiſsimum argumentum, ac proinde ipſam hiſtoricam demonſtrationem: quâ neceſſe ſit evincat, non apud

apud Boëmos, verùm apud Polonos in Gnieſneſi Baſilica, ſacrum illud corpus aſſervari. Multis egit amicus meus, ut eā veritatem, & apud omnes ante hac incognitam evidentiam eliceret; tandem à Polono hanc extorſit: Imperator Otto III. cum ad ſepulchrum Divi Martyris Adalberti peregrinationem inſtituiſſet, non ad Boëmos Pragam, ſed Gnieſnam ad Polonos profectus eſt: ibique ſua vota perſolvit. non enim auguſtiſsimum Orbis Chriſtiani Principem latere potuit, ubi locorum ſuus amicus Adalbertus, & in vivis adhuc benè notus requieſceret: adeóque certum & evidens eſt, non in Metropolitana Pragenſi, ſed apud Polonos in Gnieſnenſi Baſilica Sanctum Dei requieſcere. Indéque Boleſlaus Chrabri, quod Imperatori brachiū divi Martyris dono dediſſet, Regium titulum & coronam ab Ottone promeruit: ac primus Poloniæ Rex ab eodem Ottone III. nominatus fuit. Hactenus argumentis & armis Polonorum pugnatum ſatis: nunc Boëmorum quóque lacer-



Viſitabit vos Deus. efferte oſſa mea hinc vobis
cum, Exod: c. 15. v. 19.

certos experiamur, ut poſtmodum, quarum nam futura ſit veritas amica partium, evidentius agnoſcamus.

Autoritates & rationes Bohemorum pro translatione S. Adalberti.

7. Davidis exemplo (g) Boëmi noſtri ſuam rem agunt, dum arma templi, Philisthæi Goliad gladium adverſus inimicos Polonos à Sacerdotibus expetunt: &, quod ajunt, à Jove principium, & Eccleſiæ ſuæ præſidio bellum ordiuntur. Breviarium Boëmicum in die translationis divi Adalberti ſic habet (h): *Inclytus Boëmorum Dux cum ingenti exercitu veniens ad Metropolim Gneſden, naturâ loci, & ante murali firmam, ſed facilem capi ab hoſtibus, raris eam inhabitantibus civibus. Vbi tunc temporis in Baſilica ſanctæ Dei Genitricis Mariæ perpetuæ Virginis*

(g) 1. Regum. c. 21. ℣. 8. (h) *Vetus Breviarium Boëmicum, impreſſum Nürembergæ, manu ſcriptum in membrana, quod ſervatur in Eccleſia Metropolitana S. Viti. Item plures vitæ MM. SS. ſeu Paſſionalia antiqua, uti Buczkenis, & alia.*

nis pretioſiſſimus quieſcebat theſaurus, ſcilicet Beatiſsimi Adalberti Martyris corpus. Quâ mox Boëmi ſine marte potiuntur urbe, & cum magna lætitia intrant Sanctæ Eccleſiæ adyta: atque omni prædâ poſt poſitâ ſolam ſibi poſcunt dari pro Chriſto paſſam ſacri corporis pretioſam maſſam. Quorum Præſul Severus ut vidit temeritatem, & pravam in omne faſq; nefaſq; ſenſit voluntatem, talibus alloquiis temptat eos revocare ab illicitis auſis: Fratres mei, & filij Eccleſiæ Dei, non tam ex facili conſtat, ſicut vos æſtimatis, ut ſacram corporis glebam Dei virtutibus plenā quis mortalium tam temerè præſumat tangere. Timeo enim valde ne percellamur, aut mentis oblivione ac cæcitate, aut aliquâ membrorum debilitate, ſi id temerè præſumpſerimus agere. Quapropter prius triduo jejunate, de peccatis veſtris pænitentiam agite, & ab omnibus abominationibus, quas ipſe abominatus eſt in vobis, abrenuntiate, & ex toto corde quod eas ultrà non facietis, promittite: ſpero enim in miſericordia Dei & noſtri Patroni Sancti

cti Adalberti, quod non privabimur ſpe petitionis noſtræ: ſi perſiſtimus in devotione & precum aſſidua oratione. At illis viſa ſunt Præſulis verba quaſi deliramenta, & continuo aures ſuas continentes, fecerunt impetum ut raperent ſacrũ corpus. Et quia poſt altare, juxta parietem, conditum fuerat, & aliter evelli non poterat, niſi altare deſtrueretur, manus improba cum mente ferina operatur profana: ſed non defuit ultio divina. Nam in ipſo opere ſuæ temeritatis ſteterunt ſenſibus obſtupefactis: nec erat vox, nec ſenſus, nec viſus, per trium fere horarum ſpatia, donec iterum propitiante Dei gratiâ rehabuere priſtina officia. Mox, licet ſerò, pœnitentiâ ducti, faciunt juſſa Epiſcopi: & quantò erant divino nutu evidentiùs caſtigati, tanto devotiùs perſtabant precibus infatigati, triduo jejunantes, & veniam poſtulantes. Tertiâ nocte Severo Epiſcopo, poſt matutinalem ſynaxim, quieſcenti Sanctus Præſul in viſione apparens Adalbertus; Dic, ait, iſta Duci & ejus comitibus: Pater de cælis dabit quod petitis, ſi non

ſi non repetitis mala quibus abrenuntiaſtis in fonte baptiſmatis. Hoc mane cum Præſul notum faceret Duci & ejus comitibus, mox exhilarati, intrantes Eccleſiam Sanctæ Mariæ & ante ſepulchrum Sancti Adalberti humi proſtrati, diu fusâ communi oratione. ſurgit Dux & ſtans in umbone, hâc rupit ſilentia voce: vultis prævaricationes veſtras emendare, & à pravis operibus reſipiſcere? at illi obortis clamant cum lacrymis: emendare parati ſumus, quidquid in ſanctum Dei Patres noſtri vel nos prævaricati ſumus, & à pravo opere omnino ceſſare.

8. *Præſul Sanctæ Trinitatis nomine invocato,* continuat idem Breviarium, *& malleo aſſumpto, Clericis ſeptem Pſalmos, & alias huic Sancto operi competentes orationes hymnizantibus, cœpit deſtruere ſumma ſepulchri, deſtruens illud uſque ad ima theſauri ſacri. Et cum aperuiſſent Sacrophagum, omnes qui in Eccleſia aderant, tantâ fragrantiâ ſuaviſſimi odoris ſunt referti, ut per tres dies quaſi opimis ferculis refecti, obliviſcerentur cibo refici, quin*

quin etiam & infirmi ſanati ſunt eâdem die quamplurimi. Tunc Dux & Epiſcopus, & pauci comitum inſpicientes, ut viderunt Sanctum DEi, ita vultu & habitu clarum, & ſic corpore integrum per omnia, ac ſi edem die ſacra miſſarum celebraſſet ſolennia: Clerici Te Deum laudamus &c. Laici Kirie eleiſon modulantur, & reſonant voces eorum uſque ad æthera. His itáque peractis Dux præ gaudio faciem perfuſus lacrymis, ſic orat: ô Chriſti Martyr Beate Adalberte, noſtri ſemper & ubique miſerere: nunc ſolitâ nos reſpice pietate & nobis peccatoribus propitiare, atq; ad tuam ſedem Pragenſis Eccleſiæ per nos quamvis peccatores referri non dedignare. Mira res & valdè ſtupenda! cujus tumbam nudius tertius contingere non poterant, continuò Dux & Epiſcopus ſine impedimento corpus ejus de ſarcophago levant: ſerico cooperientes, in ſuperiori altari locant, ut plebs ſua vota ſolvat, quæ Deo & ejus Sancto voverat, atq; eâdem die compoſitæ ſunt ducentæ marcæ altaris in arca. Quisnam mortalis hoc unquam

credere poſſet, ut ad Gentes apoſtatrices, jam in cœleſti Regno laureatus, corpus ſuũ referri ſineret? quarum aſpernatus facinora, effugit conſortia cum adhuc viveret? Aſcendit in cor Ducis, ut ſimiliter transferat corpus Archipræſulis ejuſdem Civitatis nomine Gaudentij, qui in eadem forte Eccleſia quieſcebat. Item viſum eſt Duci & Epiſcopo, ut quinque Fratrum reliquias, ſancto corpori adjunctas, quorum de vita & paſſione ſatis ſupra retulimus, qui in eadem Civitate, ſed in alia Eccleſia quieſcebant, pariter cum ſumma diligentia transferrent, Quid multa, ventum erat cum omni ſacra ſarcina in omni proſperitate & lætitia in Boëmiam: & in vigilia Sancti Bartholomæi Apoſtoli prope Metropolim Pragam caſtra metati ſunt circa rivulum Rokytnice: *ubi luceſcente die Clerus & univerſa plebs cum proceſſione occurrunt, cujus longam ſeriem latus vix explicuit campus. Talis enim proceſſio fuit: Dux ipſe & Epiſcopus humeris ſubnixi dulce pondus portant Martyris Chriſti Adalberti. Poſt ſimul Abbates fere-*

ferebant reliquias quinque Fratrum. Deinde Archi-Præsbyteri gaudent onere Gaudentij Archi-Epiſcopi. Quos electi Duodecim Præsbyteri, vix ſuſtentantes pondus aurei crucifixi, ſequuntur. Nam Dux Mesko ter ſemetipſum appenderat auro. Quinto loco ferunt tabulas tres graves auro, quæ circa altare, ubi ſanctum corpus quievit, poſitæ fuerant. Erat tamen major tabula quinque ulnarum in longitudine & decem palmorum in latitudine, valde adornata lapidib₉ precioſis, & criſtallinis ſachis, cui inſcriptus fuit hic in imagine verſus: ter centum libras apponderat hoc opus auri. Poſtremo plus quam centum plauſtris ducunt immenſas campanas & omnes Poloniæ gazas. Hucuſque Lectiones Breviarij Bohemici.

9. Miſsalis quoque Pragenſis, & aliorum Metropolitanæ Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ monumentorum accedat autoritas: & primò quidem ipſum Pragenſe vetus Miſſale, quod majores noſtros in hac Eccleſia Præsbyteros orare ſic docuit: *Deus qui nobis ſanctam hujus*

diei ſolennitatem pro commemoratione B. Adalberti Martyris tui, atque Pontificis feciſti: adeſto familiæ tuæ precibus, & da; ut cujus hodie translationem celebramus, ejus meritis & interceſſionibus adjuvemur. & oratio tertia, poſt communionem: *ſumptis Domine remediis ſempiternis tuorum mundentur corda Fidelium; ut Martyris tui, atque Pontificis Adalberti allationis inſignia, quæ corporalibus officiis exequuntur, piâ cordis intelligentiâ comprehendant.* In Miſſa verò diei tranſlationis ipſius 25. Auguſti hunc titulum habet Miſſa: *in translatione Sancti Adalberti & Benedicti cum Fratribus.* Introitus rurſus in hunc modum incipit: *Gaudeamus omnes diem Feſtum celebrantes, in honore Sanctorum Martyrum, de quorum translatione gaudent Angeli: & collaudant Filium Dei.* Iterum in eodem Miſ-
23. April. ſali 9 Kalend. Maij, in feſto S. Adalberti. Proſa *(i)* ſic habet:

Sal-

(i) Vide Miſſalia Boëmica, Proſarium in membrana ſcriptum, in Metropolitana Eccleſia, in choro; liber eſt grandis, & ſcriptus anno 1551. & alium librum Proſarum MS. in Biblioth. Soc. I. MS. ad S. Clementem.

Salve Martyr, qui regreſſus
A Pruſſia, figis greſſus
In tua Boëmia.

Vetuſtiſſimum etiam Pragenſe Martyrologium ita legit: *9. Kal. Septemb: eodem die allatum eſt ad Eccleſiam Pragenſem corpus S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi, cum corporibus quinque Fratrum Martyrum, & Venerabilis Gaudentij Epiſcopi, Gnieſnenſis, Fratris germani S. Adalberti, per Brzetislaum Ducem Boëmiæ & S. Severum Epiſcopum Pragenſem.* 24. Aug:

10. Vetera dixi Miſſalia, Breviaria, & Martyrologia, ô utinam ſimile quidpiam vetuſtatis, ex autoritate Eccleſiæ, Dlugoſſius ſive Longinus, Cromerus & alij recentiores illi Scriptores adduxiſſent; vetera ſunt veriſsimum habeo, ideóque veriſsima: per totam Boëmorum Eccleſiam receptiſsima. Et nos majorum noſtrorum ſeri Nepotes, quod hodiéque Metropolitana Sancta Pragenſis Eccleſia docet, & ſervat, Sanctum habemus: & apud nos Divum Adalbertum eſſe, indubitatè credimus.

Ejuſdem Baſilicæ Sancti Viti monumenta seriò introſpiciamus, nec fallemur; & ipſam veritatem ad oculum quiſque videbimus. Directorium hujus Reverendiſſimi Capituli ſcriptum in membrana quid legit? *XXIV. Auguſti, Bartholomæi Apoſtoli ſolenne fori & chori, præpulſatio mediocri cāpanâ; color ruber officiū Hebd: Canon: in primis Veſperis Abſolutis Veſperis de S. Bartholomæo, à Capitulo fiunt Veſperæ de allatione S. Adalberti, & 5. Fratrum; & agitur Proceſſio cum reliquiis Sancti Adalberti* (nota verbum, & veritatem amplectere) *ad Capellam ipſius: & ibi perficiuntur Veſperæ: officians in ipſis eſt Decanus; thurificatur in primis veſperis & Miſſa tantum. XXV. Auguſti, Allatio S. Adalberti, & quinque Fratrum, ſolenne chori: præpulſatio majori campanâ Sancti Wenceslai. Abſolutis ſecundis Veſperis in die S. Bartholomæi cantantur Veſperæ de ſequenti feſto à Capitulo: & ex choro agitur proceſſio cum reliquiis S. Adalberti, & quinque Fratrum ad Capellam S. Adalberti. Officium totum eſt Decani:*

color

color rubeus; Thurificatio in primis Veſperis, & Miſſæ. In Capella Sanctiſſimæ Trinitatis, ubi ſepultura eſt DD. Baronum Berkianorum propè ſepulchrum Beati Joannis Nepomuceni. Capellam ingredientibus, monumentum eſt Brzetislai, ſuper illud antiqua ſcriptura ſic legit: *Brzetislaus Dux Boëmiæ, Vdalrici Ducis Boëmiæ filius, corpus S. Adalberti ex Polonia in Boëmiam transtulit, Anno Domini 1055. mortuus eſt: huc 1373 translatus,* In ipſo choro ſuper magnum Altare Divi Viti duæ ſunt tabulæ literis aureis ſcriptæ, quarum prima quæ ſuper cornu Evangelij, ſcribit in hunc modum: *ejus* (nempe Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ) *ſecundus Epiſcopus S. Adalbertus A: 996. (k) apud Prutenos cum SS. Benedicto, Matthæo, Iſaac, Iohanne, & Chriſtino Fratribus Martyrio coronatus: Gnieſnâque Civitate huc translatus, peculiare Sacellum adeptus eſt.* Foris etiam extra Metropolitanam Eccleſiam, ſuper

(k) *Legendum exiſtimo 997. quemadmodum in priori capite §. 17. ſub citatione (g) ſubſcripſi.*

forinſeco pariete, Capellæ Sanctiſsimæ Triados, poſt turrim ex parte Auſtrali quâ deſcenditur à Præpoſitura, adSalam, vel ad meridionalem portam Eccleſiæ lapis eſt vetus & in eo ſuperſcriptũ in antepenultima linea: ad vebum ita. *Ittem Anno Domini MCCCXCVI, in feſto S. Adalberti translatum eſt corpus S. Adalberti, ejuſdem Patroni Boëmiæ, cum Reliquiis Sanctorum quinque Fratrum de Antiqua Eccleſia in medium novæ Pragenſis Eccleſiæ: præſidente Rev: Patre Domino Wolframo electo Archi-Epiſcopo Pragenſi.* Quis ita ſit projectè malus, qui totam ſanctam Pragenſem Eccleſiam, ætate ſeptingentorum annorum venerandam, tot Sanctis Epiſcopis, & Archi-Epiſcopis, Principibus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Illuſtrem arguat? Quis tam Sanctos Ritus à Sede Romana comprobatos, contemnat? Quis Auguſtiſſimorum Imperatorum, Sereniſſimorum Regum, & Principum confirmationes, inſtituta ipſaq; teſtimonia faciat irrita? non certè Longinus, non Cromerus, nec Baronius, aut ſi quis alius negare

præ-

præſumit Translationem S. Pontificis Adalberti, tota etiam, licet reclamet Polonia. Hactenus ab Eccleſiæ teſtimoniis probatum ſatis: & armis Eccleſiæ felicissimè depugnatum, exiſtimo.

11. Quod ſi tamen Adverſarij ſacris armis occurrere detrectent, & in tam certa hiſtoria pugnatum velint hiſtoricè, viros dabimus domi natos: & etiam exteros, voluntarios illos, ultro pro noſtra veritate conſerere paratos. Ex noſtris Boëmis Coſmas prodeat, verè veteranus, Vincentio Cadlubco, Dlugoſſio ſive Longino, Miechovio, Decio, Cromeróq; ſæculis antiquior: Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ quondam Decanus, à Sanctitate vitæ laudatus, & miraculis clarus, proximus illorum temporum, Scriptor puriſsimus; cujus hiſtoriæ tantum pondus tribuit primitiva Pragenſis Eccleſia, quod illius verbis, tanquam integerrimi Scriptoris, in Breviarij lectionibus uti non dubitaverit. Ipſemet Coſmas lib: 1. *Chronicæ Boëmorum in fine, ad librum ſecundum*, ubi translationem

S.

Sancti Adalberti Gnieſnâ Pragam fusè deſcribit, tranſitum facturus ita loquitur: *nunc auxiliante Deo & Sancto Adalberto, ea fert animus dicere, quæ ipſimet vidimus: vel quæ, ab his referentibus qui viderunt, veraciter audivimus*; illa ſcilicet, quæ Breviarium Boëmicum §. 7. & 8. verbis ejuſdem Coſmæ recenſuit. Accedit etiam Dubravius Moravorum Olomucenſis Epiſcopus: *complura*, inquit iſte(*l*)*per Brzetislaum Oppida & Caſtella, ante deditionem à Gneſnenſibus factam, capta & direpta fuerunt. Gneſnæ imprimis de corporibus divorum Adalberti, Gaudentij, Chriſtini, aliorúmque ipſius Sodalium, tollendis deliberabatur. Cauſam deliberandi præbuerunt extracti templis pro mortuis, ij qui temere manus admovere ſepulchris Sanctorum tentaverant. Poſt multam deliberationem, Severus Pontifex Pragenſis, in locum Iſonis cooptatus, & tunc expeditionis Brzetislaus Comes, ſupplicationem & jejunium triduanum indicit, adhibitíſque deinceps Sacerdotibus citra cujuſque noxam* corpo-

(*l*) *Ioannes Olomucenſis Hiſtoria Bohemica lib: 7. mihi pag. 52. lin. 2. &c.*

corpora inde omnia aufert. Aufert mox item Brzetiſlaus donaria templi pretioſiſſima, crucem auro, magnitudine, pondere insignem, nempe libras auri trecentas librantem: tandem auri tres tabulas ex ara ſublatas habebant, & præterea gemmas & uniones auro cariores, quanquam ne ab argenteis quidem inauratíſque vaſis, & ſimulachris eſt temperatum. Nam reliquorum ornamentorum, quibus templa Gneſnenſia liberaliter multorũ Principum erant exornata, non facile quis numerũ inierit: multo adhuc difficilius captivorũ, quibus Boëmiam, ubiq; locorũ referſit, aſſignavítq; non nullis propè ſylvam incultam, quam Cirinam vocant, ad colendum, & areas ad ædificandũ, miſcelaneámque turbam reliquam Hungaris in ſervitutem diſtraxit: Sanctas autem reliquias, & alia templorum ſpolia pretioſiora partim in arcem Pragenſem, partim Boleslaviam, partim etiam in Moraviam deportanda curavit. Atque in tanta victoria, hoc ſibi præclarum inprimis putavit, quod quatuor inſignes Vrbes Gneſnam, Cracoviam, Poznaniam, Wratislaviam,

non



Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Pſal. 131. V. 14.

non totâ æſtate transactâ expugnaſſet. Non ineleganter quoq; Pontanus à Breitenberg, poſt fusã ejus translationis enarrationẽ; *ſequente die Epiſcopus*, inquit, *cũ Principe & aliis portarant S. Adalberti corpus: reliqua Prælati & Abbates, (m) &c.* Dalymilus quoq; Mezrzicenſis, Vetero-Boleslavienſis Canonicus (*n*), pervetuſtus Author, fusè propræſenti: ſed quia Patrio ſermone ſcripſit, & cum aliis præcitatis convenit, non fuit operæ pretium, ejus verba referre; ſic etiam intelligendum erit de aliis (*o*) Scriptoribus Boëmicis. Fuſiſsimus etiam eſt in hac translatione Wenceslaus Hagecius (*p*): ex quo minimè prætereundum eſt illud ſpeciale notatum, quod magnum hiſtoricæ veritati pondus adfert, quinam Sancti Adalberti corpus, qui Gaudentij, qui reliquo-

(*m*) *Pontanus Boëmiæ Piæ lib. 2. pag. 17. in fine.* (*n*) *MS. deſcriptionem Translationis Divi Adalberti habet toto capite 45.* (*o*) *Weleslavina 11. Kal. Septembr: & 10. Kal. Septemb: & in Genealogia Principum initio Calendarij Hiſtorici, ſub titulo Brzetislaus Cuthenus in Bretislao, Lupacius 8. Kal. Septemb: Drauſchovius cap. 21 pulchrè, & alij plures.* (*p*) *ad annum 1039. fol: 114. & ſequentibus.*

liquorum ſex Fratrum oſſa tuliſſe memorentur. Hos nominatim exprimit, Hagecius: *Brzetislaus Princeps, Severus Epiſcopus, Princeps Abbatiſſa Sancti Georgij, & Procopius Sazavienſis Abbas, nunc Regni Boëmiæ Patronus, tulerunt primo loco Sanctum corpus Adalberti. Poſt eum Metropolitani & Vetero-Boleslavienſes quatuor Archi-Præsbyteri Beatum Gaudentium: tertio ſequebantur Helinandus Oſtrovienſis, Miroslaus Brzevnovienſis, Clemens Rupenſis, Abbates: & alij Prælati portantes corpora SS. quinque Fratrum (q).*

12. A Domeſticis nunc ad extraneos Scriptores, & ut ſic dicam, ad voluntarios in hoc ſacro bello viros, pro noſtra veritate ſtantes, tranſeo. Dux horum Æneas Sylvius, poſtea Pius ejus nominis ſecundus, Pontifex Maximus appellatus, in ſua hiſtoria Bohemica de Brzetislao ita ſcripſit ad annum 1030. *Cracoviam armis captam funditus evertit. Gnieſnam quóque Metropoliticam Vrbem diri-*

(q) *Ibidem Hagecius fol. 115. pag. a. in fine.*

diripuit: Multorúmque Martyrum ſacratiſsima inde corpora aſportavit; & crucem auream trecentas penſantem libras. Bartholomæus Paproczky Polonus, Stemmatographiæ parte 1. *(r)* cum noſtro Coſma, Dubravio, Pontano & Hagecio, toties nominatam translationem fusè deſcribit, & ad Boëmiam S. Adalberti corpus translatum affirmat, inquiens: *elevatis quinque Martyrum ſacris corporibus, corpus etiam Sancti Adalberti Pragenſis Epiſcopi, & Gnieſnenſis Archi-Epiſcopi, una totum Eccleſiæ theſaurum elevârunt, & ſecum abſtulerunt.* Et ſubdit: *hic nullatenus Hiſtorici Boëmi Polonique convenire poſſunt. Quia Poloni ſcribunt corpus Gaudentij Archi-Epiſcopi, qui ſanctæ quoque vitæ fuerat, quemadmodum Cathalogus & Hiſtoriæ teſtantur, pro corpore S. Adalberti levatum à Boëmis. Boëmi ſimiliter ex antiquis traditionibus habere ſe corpus Divi Adalberti pro vero confirmant: indéque clarè deducunt, quòd magna miracula ad ejusdem S. Sepulchrũ patra-*

(r) *In ſucceſſione Principum, in Brzetislao cap. 14. à pg. 82. & 83.*

patrata fuiſſent, hodiéque fiant. Sed ut ut ſit, quando quidem utriuſq; gentis frater, & in agnoſcendo in Trinitate Deo, magnus utriuſque adjutor fuit, apud utroſque decens ac debitus honor, ſacro illius corpori vel oſſibus de facto ſervatur. Compillatio Chronologica incerti authoris: *hujus,* inquit, *Sancti Adalberti Epiſcopi corpus in Praga quieſcit.* Cathalogus Virorum Apoſtolicorum MS *(s)* ſimiliter dicit: *hujus Sancti Adalberti Martyris corpus in Praga quieſcit.* Petrus de Natalibus lib: 4. cap. 87. *cujus corpus Pragam translatum, ibidémque conditum, quieſcit.* Joachimus Cureus in Annalibus Sileſiæ: *Brzetislaus,* inquit, *Boëmorum Princeps ulturus veteres injurias, cum exercitu infeſto Sileſiam & Poloniam invaſit; cepit, ſicut dicitur, nominatim Wratislaviam, &, ut ſcribit Sylvius, Cracoviam: deinde Poſnaniam, atque etiam Sedem Regiam Gnieſnam, quam una cum templo beneficentia Principum Polonorum, ornato & ditato ſpoliavit; & inde ave-*

(s) *Habetur in Metropolitana Bibliothec MS.*

avexit corpus Sancti Adalberti. Etſi Poloni præſeferant, Boëmos Gaudentij cadaver ex errore pro Adalberto abripuiſſe, pene ſicut apud Herodotum Rex Ægyptius decepiſſe dicitur Cambyſen. Sethus etiam Calviſus in Chronologicis ad annum 1038. *Brzetislaus*, inquit, *cum Polonia abſque Rege eſſet, expeditionem ſuſcipit in Poloniam, & eam longè latèque vaſtat: & cum multa præda in Boëmiam revertitur, adducítque ſecum oſſa Adalberti Epiſcopi olim Pragenſis.* Itane hæreticis & à noſtra fide alienis opus in hoc bello? quin imo ultrò venientes abigere non potuimus, nec etiam voluimus, in hoc ſaltem puncto, humanæ hiſtoricæque veritatis idoneos teſtes: ut quemadmodum à noſtra fide fuerunt alieni, ſint etiam in ſuo ſenſu liberi; quibus ne Cromerus quidem oggerat, quod aliquando Pio II. Pontifici Maximo: *Polonis ob negatam Epiſcopam Varmienſem, ut ajunt, nimio plus iniquum fuiſſe (t).*

13. Præter vetuſtiſsima Sanctæ

(t) *Martinus Cromerus Hiſtoria Polonica lib 3. mihi pag. 37. col. 2. in fine.*

Pragenſis Eccleſiæ monumenta, & Hiſtoricorum plurium teſtimonia ſuperius allegata, quaſdam etiam rationes & congruas probabilitates nunc in medium adferamus. *Prima ſit* ex ipſa Sancti Woytiechi, dum adhuc in terris degeret, benedictione Bohemis divinitûs impetratâ, nempe quòd Boëma Gens non lepræ morbo, ſicut aliæ nationes, neque dæmoniacis obnoxia ſit: uti ſuperius oſtendimus *(u)*. Si itaque Genti ſuæ, ſibi tunc infenſiſſimæ, tantam à DEo, vivens adhuc, gratiam impetravit, cur etiam Polonis, apud quos, ut ipſi dicunt, ſacrum corpus requieſcit, & religiosè colitur, ſimilem gratiam in cœlo jam glorioſus non impetrat? & plurimis energumenis laboranti Poloniæ non ſuccurrit? De Sancto Vito dicit veſtigium Boëmiæ Piæ *(w)*. *Pingi ſolet cum Pomo Imperatorio in manu, quia illud circa ſacrũ ejus corp, eſt adverſũ, & ab Hiſtoricis, atque etiam Baronio notatum, quòd quamcúnque id in Provinciam deferatur, mox & dignitas imperatoria,*

(u) *Vide cap. 6. §. 4. pag. 125.* (w) *pag. 72. in notis.*

toria, in Provinciæ illius Principes transmigret: adeo, ut quam diu ſacræ hæ reliquiæ erant in Italia, Cæſarea dignitas ibidem remanſerit. eis verò translatis in Galliam, Reges Galliæ facti ſunt per Carolum Magnum Cæſares. eisdem verò rurſum translatis in Germaniam, honor Imperij transiverit quoque in Germanos; ac demùm ſacro hoc corpore per Carolum IV. Boëmiæ illato, Auguſti nominis Majeſtas in Reges Boëmiæ ſit delata; apud quos hodiéque perſeverat. Quod Albertus Chanovsky de Sancto Vito, ego quóque ſentiam de altero Patrono Bohemorum, Adalberto. Verum eſt Hungari, Poloni, Pruſsi ſuum Patronum Adalbertum agnoſcunt, & ſicut Boëmi venerantur & colunt: attamen Vngari, Poloni, Pruſsi, leproſos indigenas, & energumenos quàm plurimos habuerunt, & habent: à quîbus Bohemia, propitiante Deo, ſervatur incolumis. Tantum igitur bonum publicum ſi non pietati noſtræ, non meritis adſcribere poſſumus, alteri cuinam cauſæ, quàm Divi Marty-

ris Adalberti reliquiis adſcribamus. *Altera ratio* deduci poteſt à novitate fabulæ, quam poſteriores & noviſsimi Polonorum Hiſtorici finxerunt: ante trecentos enim annos Caroli IV. temporibus indubitatum fuit, Sancti Woytiechi corpus in Metropolitana Pragenſi Eccleſia repoſitum aſſervari. Id antiquiſſimus forinſecus lapis (*x*), cum ipſa Eccleſia poſitus, oſtendit, ſic exaratus: *Anno Domini MCCCXLIV, die tertiâ menſis Martij ſublimata eſt Sancta Pragenſis Eccleſia in Metropolitanam, per Dominum Clementem Papam. Etiam eodem anno & die poſitus eſt primus lapis fundamenti novi chori* (ſcilicet hujus partis Eccleſiæ quæ nunc extat) *Pragenſis, per Sereniſſimum Principem Dominum Iohannem Regem Bohemiæ, Comitem Lucenburgenſem, ac Sereniſſimos Principes Dominos, Carolum tunc Marchionem Moraviæ, poſt Imperatorem promotum, Ioannem Dominum Carin-*

(*x*) *Eſt in Eccleſia Sancti Viti ſuper Capellam Sanctæ Trinitatis poſt turrim, quâ deſcenditur à Præpoſitura ad Sanctum Georgium penes ipſam picturam extremi Iudicij, poſitus ſuper Sacellum S. Wenceslai.*

Carinthiæ, Tirolis &c natos Domini Regis prædicti, & multis nobilibus Baronibus Regni præfati præſentibus: ac Reverendiſſimo Patre Domino Arneſto Primo Archi-Epiſcopo Pragenſi, cum eiſdem Principibus primum lapidem imponente. Item Anno Domini 1365. Rdiſſ. Pater Dominus Ioannes II. Archi-Epiſcopus Pragenſis, quondam Olomucenſis Epiſcopus, factus & creatus eſt primus Legatus natus, Apoſtolicæ Sedis in tota ſua Provincia, nec non in Bambergenſi, Ratisbonenſi, Miſnenſi Diœceſibus, & civitatibus, cum ſuis ſucceſſoribus univerſis, per Dominum Vrbanum Papam V. qui primus fuit factus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tit: duodecim Apoſtolorum Præsbyter Cardinalis, per Dominum Vrbanum Papam VI. feliciter promotus. Item anno Domini 1385. in Vigilia Sanctæ Margaretæ 12. horâ orlogij completa eſt teſtudo chori Pragenſis intra miſſarum ſolennia. Item anno Domini 1385. in feſto Sancti Remigij conſecratus eſt chorus Pragenſis in honore Beatæ Mariæ & Sancti Viti per Reverendiſſ. Patrem, Dominum Ioannem Archi-

Epiſcopum Pragenſem III. Apoſtolicæ ſedis Legatum II. olim Miſnenſem Epiſcopum. Item anno Domini 1392. in feſto Pentecoſtes, hora veſperorum, poſitus eſt primus lapis fundamenti Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ (illius nempe quæ non extat amplius, in cujus medio, defacto in Capella S. Adalberti, corpus Divi veneramur) *per Sereniſſimos Principes, Dominos, Wenceslaum Primum Romanorum Regem, & Boëmiæ Regem, & Dominum Ioannem Gorlicenſem Ducem, Marchionem Brandedurgenſem, natos Sereniſſimi Principis Domini Caroli Romani Imperatoris benefactoris præcipui Eccleſiæ Pragenſis, ac Reverendiſſimum Patrem, Dominum Ioannem Archi Epiſcopum Pragenſem III. cum non nullis aliis Principibus, Dominis Epiſcopis & Prælatis, ac vice & nomine Sereniſſimi Principis, Domini Sigiſmundi, Vngariæ & Dalmatiæ Regis, &c. Nati Domini Imperatoris præfati, nec non vice & nomine Sereniſſimarum Principiſſarum & Dominarum Elizabeth, Romanorum Imperatricis: Annæ Reginæ Angliæ. Margaretæ conſortis Domini*

mini Burgravij Normbergenſis, filiarum Domini Imperatoris præfati in honore Viſitationis Sanctæ Mariæ, & Sanctorum, Wenceslai, Viti, Adalberti, Sigiſmundi, & aliorum Boëmiæ Patronorum: ſub Directore Fabricæ Pragenſis Wenceslao de Radecz, Canonico Pragenſe, & Petro de Gemund Magiſtro fabricæ præfatæ. Item anno Domini 1396. in feſto Sancti Adalberti, translatum eſt corpus Sancti Adalberti ejuſdem Patroni Boëmiæ, cum reliquiis Sanctorum V. Fratrum de antiqua Eccleſia in medium novæ Pragenſis Eccleſiæ. Præſidente Reverendo Patre, Domino Wolframo electo Archi-Epiſcopo Pragenſi (y). Hucuſque monumentum lapideum.

14. In tanta Regum, Principum, Procerum & Nobilium frequentia quid adhuc egemus teſtibus: nobis etiam ſilentibus, ipſi lapides Eccleſiæ clamant, & noſtrum eſſe Sanctum Adalbertum,

(y) *Secundam partem hujus tabulæ, incipiendo ab illis verbis. Item anno Domini 1392 impreſſam corruptè tamen, & non plenis verbis invenies apud Lupacium 3. Iunij, pag: 2. tota fere & in Weleslavina pag. 299. in fine.*

oſtendunt. Confirmatur: ſi Poloni habent S. Adalbertum, Carolus IV, qui toto pene orbe Chriſtiano Sanctorum reliquias conquiſivit, cur non etiam à Polonis, tanti Patroni Bohemiæ, ſi non totum, ſaltem aliquam Adalberti reliquiarum partem expetiit? nullus dubito quod ardentiſſimis Imperatoris precibus Poloniæ Rex motus, alterum ſaltem Brachium, ut quondam Ottoni III Romanorum Imperatori, vel aliquam aliam partẽ ſacri corporis petenti tranſmiſiſſet: ac tale munus Regibus & Imperatoribus condignum, Dlugoſſius, Cromerus, & alij Polonici Scriptores plenis paginis, pro laude Polonorum, celebráſſent. Tertia ratio ſit ab exemplo: circa ſalutis annum 1653. Sereniſſimus & Reverendiſſimus DD. Carolus Ferdinandus Oppolienſis & Ratiborienſis Princeps, Wratislavienſis & Plocenſis Epiſcopus, Sereniſſimi Caſimiri Poloniæ Regis Frater, peregrinationis ergô Pragam venit: & ſalutatis in Metropolitana SS. Sigiſmundi, Viti & Wenceslai lypſanis

ex Ec-

ex Eccleſia progreſſus, ad Sacellum Sancti Martyris Adalberti pervenit. Ibi paululum ſubſiſtens Divi Præſulis oſſa requieſcere à Prælatis didicit. Rogavit illico Reverendiſſimos ejuſdem Capituli, eorundem facultate ſibi ſoli ſacrum hunc locum ingredi, & preces aliquas offerre tantiſper liceret: quod ubi factum fuiſſet, & Prælati reditum illius ante Sacellum præſtolarentur, plus uno quadrante horæ inibi precatus, ab oratione ſurrexit: & ſuffuſis oculis, quaſi lachrymabundus, ad eoſdem reverſus eſt. Nullum tunc à piiſſimo Principe motum dubium, nihil de Gnieſnenſi ſepulchro memoratum fuit; quis tunc Sereniſſimi fuerit animus, ipſi Poloni cogitent, & ſilentis animi ſenſum ipſimet examinent. Vetus & ſæpe verum eſt illud, *qui tacet conſentire videtur*: ſic & iſte ac tantus Præſul, quamvis ne verbo quidem aut nutu nobis aſſenſus fuerit, piæ tamen lacrymæ, vel ipſo nolente, Sancti Adalberti corpus hic eſſe, ſatis abundè teſtari videbantur. Nec incongruè pro nobis Ambro-

Ambroſius (z): *ſermo non totum perfert negotium, lacryma ſemper totum prodit affectum.* Et paulo ante, *invenio quòd fleverit, non invenio quid dixerit. Rectè planè* Princeps Carolus *flevit, & tacuit: quia quod defleri ſolet, non ſolet excuſari: & quod defendi non poteſt, ablui poteſt.* Hæc ut in lucem ederem juſſit ille ipſe, qui teſtis oculatus aderat, piæ memoriæ Reverendiſſ. Dominus Joannes Franciſcus ab Aſchenfeldt / ejuſdem Capituli Præpoſitus, & Venerab: Archi-Epiſcopalis Coſiſtorij Pragenſis Officialis; qui mortuus eſt anno 1666 12. Januarij. Nec poſtremum hoc argumentum prætereundum cenſui: tempore belli Svecici cùm anno 1648, 26 die Menſis Julij, in feſto S. Annæ, Parva pars Triurbis Pragenſis cum arce Regia per proditionem à Svecis capta fuiſſet, Decanus Capituli cum juratis Eccleſiæ Miniſtris Baſilicam ſub auroram ingreſſus, quaſdam Reliquias, in anno ſæpius ad altaria exponi ſolitas, tunc non ſatis tuto loco

(z) *Ambroſ. ſerm. 46. de Pœnitentia Petri.*

loco repoſitas, ad ſecretius ſacrarium, tranſtulit Patri Joanni Hoffman ejuſdem Eccleſiæ ſeniori Vicario, hodiéque ſuperſtiti, ſacrum caput Adalberti ſtatuæ argenteæ incluſum portandum obtigit. Ipſiſſimum Sancti Martyris venerandum hoc caput, manibus ipſe contrectavit, inter ſacratas Divorum calvarias, ut ipſe loquitur, nitidiſſimum: legit etiam antiquo charactere cælatum argentum ita ſubſcriptum: *Caput Sancti Adalberti Martyris.* Talia narranti, tanquam Eccleſiaſtico Viro, fidem etiam ſacerdotalem interponenti, facile credidi. Videre quoq; licebit hoc ſacrum caput, ſi cui Venerabile Capitulum Eccleſiæ theſaurum oſtendere opportunum judicaverit.

Adverſæ Partis Argumentorum refutatio.

15. Domeſticis & Exteris pro veritate Boëmica teſtibus allegatis, adverſariorum Polonorum ſententia, refutanda ſupereſt, quæ ſolius Longini, vel ſi Polonicè

nicè mavis, Dlugoſſi ſcriptoris authoritati innixa, minus quàm Poloni cogitent, negotij nobis faceſſet. Dicant obſecro Navatores iſti, Coſmâ Pragenſi ſæculis poſteriores, undenā & ex quib, monumentis oſtendant, in adventu Brzetislai Gnieſnā, corpus Divi Præſulis Adalberti, pio mendacio loco motum, & B. Gaudentiū ſuppoſitum, atq; ita non S. Adalbertum ſed Gaudentium à Bohemis acceptum? fortaſſis in tholo Gnieſnenſis Eccleſiæ, vel in aliquo vetuſto lapide, vel pariete aliquo Dlugoſſus iſta legit, deſcripſit, & poſteris reliquit? num ex Vincentij Cadlubci Cracovienſis Epiſcopi, qui ſcripſit anno 1223, memoriis excerpſit? vel undecúnque demum habeat iſta, dicant Poloni: ſuóſque fratres Boëmos errore tanto, falsâque opinione liberent. *Ecce locus ubi poſuerunt eum*, dicit Longinus: *in loco vili, ſabulo obrutum.* Indigitat etiam Cromerus Epiſcopus *in adyto clam defoſſum.* Si in adyto, quomodo igitur in loco vili, vel non ſacro? alteruter verum dicat neceſſe eſt, vel neutri fidem habebimus. Demus

etiam

etiam Longino, velut antiquiori, hanc fidem, & *in loco vili, ſabulóq; obrutum* concedamus: cur non ſub Boleslao II. Caſimiri filio, Poloniæ Rege, in pace conſtituto (quinimò confugientibus ad ſe, tanquam ad certiſſimum ſecuritatis aſylum, tribus nobiliſſimis exulibus, *(a)* Izaslao Kiovienſium Principe, Jaromirio Brzetislai Boëmiæ Ducis filio, nec non Belâ Hungariæ Duce, Andreæ Regis Fratre, tunc ab hoſpitalitate, atque clementia celebratiſſimo, de tam vili loco, ſacerrimus iſte theſaurus, corpus Adalberti Martyris, poſt viginti ſaltem annos) tunc inquam cur non levatum fuit, dum victor glorioſus felici bello Ruſſos in ſuam poteſtatem redegit? Cur non etiam longè poſterius, Boleslai III. Crivouſti, quadragies (*b*) ſepties victorioſi Principis tempore? tunc ſcilicet, quando de Pruſſis, Pomeranis, Boëmis, & de ipſo Romanorum Imperatore Henrico V. triumphos glorioſus numerabat, ſacrum hoc cymelium, è ſabulo receptum?

nec

(*a*) *Cromerus lib. 4. mihi pag. 54. col. 1. ſub medio* (*b*) *Cromerus* lib. 5. *pag. 92 col. 2. linea 20.*

nec honori lucíque debitæ reſtitutum, fuit? aut obſtabat Polonicæ pietati quid aliud, quòd non prius, quàm poſt annos nonaginta, ſacrum corpus è ſordibus levare potuerit? quid iſtud? obſecro fraterne dicas amica Polonia. Pace tua dixerim, quia tui Longini verbis utar, *pauci ex miniſtris Eccleſiæ Gnieſnen, qui cæteris metu belli perculſis diffugientibus, remanſerant, corpus S. Adalberti Pontificis & Martyris in ea conditum, in loco vili, ſabulo obrutum*, occuluerunt; iique ſuperveniente Boëmorum exercitu, Pragam à Brzetislao in triumpho ducti, per iſtud annorum nonaginta ſpatium, inter mortui, nunquam deinceps, ubi locorum ſacrum hoc cymelium tumulâſſent, veſtris majoribus indicare, nec majores veſtri ſine horum indicio reperire potuerunt. Adeoque vel ex incerto loco cujuſcunque demum aliûs hominis cadaver è ſabulo erutum, in Sarcophagum Divi Martyris impoſitum fuit, vel certè, ſi per indultum Apoſtolicæ Sedis introſpicere liceat, vacuum ſepulchrum habeatis

beatis neceſſe eſt. Dixit quidem Cromerus Divi Adalberti reliquias, paulò ante Jacobi Archi-Epiſcopi operâ, in propatulum prolatas; utinam etiam dié hanc memorabilem Cromerus aſſignâſſet, & quibus eæ præſentibus, aut quibus baiulis in priſtinum Sarcophagum translatæ fuerant, recenſuiſſet: quemadmodum à noſtris Boëmis factum videmus. Num etiam annuam hujus levati corporis memoriam ſaltem Gnieſnenſis Eccleſia celebrat, ſicuti Pragenſis Eccleſia ſuam translationem quotannis ſacram habet? certè Cromerus etiam apud Poſteros æternam ſui memoriam reliquiſſet, ſi ſingula ſpecificè recenſere non prætermiſiſſet.

16. Alterum argumentum ex Longini narratione, ut ſic dicam incredibili, ſit iſtud, ex libro 3. Hiſtoriæ Boleslavienſis cap. 4. art. 2. & 3. *(c)* utrumque tamen articulum, ne nimium quantum paragraphi diſtendantur, bifariam dividam. *Alterum argumentum*, verba ſunt

(c) *Bohuslai Balbini, fuit adhuc tunc manuſcriptus: prelo tradendus.*

ſunt Rev: P. Balbini Soc. JESU; *petitur ex minimè probabili Longini narratione, imò, ut lector animadvertet, omnino (ut ita loquar) impoſſibili, quod aliquot rationibus demonſtrari poteſt. I. ait: antè quàm Boemi Gneſnam occupaſſent, corpus Sancti Adalberti, Miniſtros Eccleſiæ pauculos, qui remanſerant, effodiſſe, & in loco, viliq; ſabulo (Cromerus ait in adyto templi) condidiſſe quàm improbabilis narratio! inprimis enim quid illis in mentem venit, ut corpus Sancti Adalberti ſubtraherent, cùm Boëmos theſauris & opibus imminere (ut ipſi fatentur) & aurum & argentum quærere in alieno Regno ſcirent; cur non cætera Eccleſiæ illius cymelia pretioſiſſima (cum tempus ea occultandi haberent) ut loquuntur ipſi, immenſi pretij (ut tabulã illam auream grandem, tum aliam diſtinctam margaritis, itémq; alias tabulas aureas & argenteas, pluráq; alia) cur in quã hæc expoſita relinquerent, cùm corpus Sancti Adalberti effodere, & tumulum componere licuerit? non eſt hæc, mihi credite, humanæ prudentiæ conſentiens ratio. Corpus*

pus effodere & occultare, rurſúſque infodere; at theſauros, gemmas, calices, aliáque ejusmodi obliviſci, quæ mille modis, nullo ſui veſtigio relicto, pendentia auferri, & occultari, & infodi potuiſſent. Nimirum non erat tum agendi & occulendi tempus, cùm Brzetislaus Boëmiæ Princeps more ignis ſummâ celeritate depaſceretur, & tranſiliret omnia. Iam verò quàm inexpertos rerū humanarū, & vitæ communis Boëmæ militiæ Duces iſti nobis effingunt, qui dicunt, quod S. Adalberti tumulū (quē Coſmas ſine altari moveri non potuiſſe ſcribit) in loco templi celeberrimo, affixis aureis tabulis, laminis, atq; anathematis omnis generis ſpectabilem, tum deinde lapidibus & cæmento paulò antè (ut fingitur) dejectis, apertum, ac denuo clauſum, notare non potuerint! etiam dicere audeo, ſi ab anno Tumulum aperiri contigiſſet, cujuslibet hominis oculus judicare poterat apertum fuiſſe. II. ajunt illi, pro ſepulchro Sancti Adalberti oſtenſum fuiſſe ſepulchrum Sancti Gaudentij. id quoq; quàm dicitur, tam facile refellitur: an credibile ſatis

le ſatis eſt tã analphabetos, ut ita loquar, & illiteratos fuiſſe omnes in tanto Exercitu, ac præcipuè Virũ doctiſſimum Severũ Epiſcopum cum Clericis omnibus, qui legere neſcierint! nónne affixas ante S. Adalberti Tumulum tabulas, aliáque honoris indicia videbant? III. *affirmat Coſmas corpus inventum tam incorruptum, ut ſi eo die ſacra peregiſſet; inde quoque agnitum à Boëmis: aderant enim plurimi ſenes (ut habent vetuſti codices) qui S. Adalbertum norânt de facie, quos inter ipſe Severus Epiſcopus: Quippe quadrageſimus primus annus non amplius ab ejus ſanctiſſima morte fluebat, & tum longiſſima ætas erat hominum, ut non pauci ſeptuageſimum, pluréſque annos attingerent vivendo; hi omnes noſcebant, & pueri aut juvenes viderant inclytæ ſanctitatis, nobilitatis & dignitatis Præſulem Adalbertum. adde ſepulchri Titulum, tum ea quæ Coſmas narravit, de Sancti Præſulis apparitione, odore, déque aliis quæ narrat miraculis.* IV. *ait Longinus ſeu Dlugoſſius corpus Sancti Gaudentij oblatum Bohemis*

pro

pro corpore Sancti Adalberti: creditum illicò eſt, ut loquitur (ridiculum!) poſt præmiſſa convertit Brzetislaus Boëmiæ Dux animum ad cætera ſacra diripienda, & quinque Fratrum & Martyrum corpora, refert hæc Longinus. Se ipſam deſtruit & deſtituit hæc narratio: nam ſi Brzetislaus ad cætera ſacra diripienda animum convertit, & quinque Martyrum corpora abſtulit, cur non & Sancti Gaudentij corpus ubi illud locorum eſſet inquiſivit? cur non animum ad illud quòque rapiendum convertit? certè Sanctus Gaudentius in Boëmia natus, magis Sanctum Adalbertum, utpote uterinus Frater, quàm quinque illi ordinis Fratres contingebat. An ignorare poterat Gneſnenſem Epiſcopum, dum vita manebat fuiſſe, & Gneſnæ ſepultum? hic Longinus ſi reſpondere velit, alium neceſſe eſt confingat, qui pro Sancto Gaudentio ſubjectus ſit, nam conſtat (idq; novum ſit & ſane potens argumentum) conſtat inquam, præter Sancti Adalberti Corpus, etiam Sanctum Gaudêntium à Boëmis ablatum fuiſſe. Si igitur pro Sancto Adal-

berto corpus Sancti Gaudentij ſuppoſitum eſt, quod corpus ſuppoſitum eſt pro Sancto Gaudentio? deniq́ prope evidenter & demonſtratione hiſtoricâ & oculari agemus: id corpus (quod Cromerus & Longinus ajunt fuiſſe Sancti Gaudentij, & nos affirmamus ipſiſſimum eſſe Sancti Adalberti) poſitum eſt in templi Cathedralis medio (ut omnes vetuſti ſcriptores narrant, & tanti Præſulis honor requirebat) ut hodiéq́ videmus. At Sancti Gaudentij corpus poſitum eſt ante altare SS. Coſmæ & Damiani, loco prorſus diverſo, ibidémque hodie requieſcit, atque ſe ibi requieſcere (ut mox dicam) ipſe Sanctus Gaudentius apparens revelavit; ergo (quod ſequitur) finge aliquem alium Sanctum. quem pro S. Gaudentio Miniſtri Gneſnenſis Eccleſiæ obtulerint qui Pragæ in tumulo ſancti Adalberti deliteſcat, aut fatêre (quod Scriptores eorum temporum tradunt) ſanctum Adalbertum unâ cum ſancto Fratre ſuo Gaudentio Pragam fuiſſe allatum. Vnde Pragenſis Eccleſia (ut in rubricis, quæ multorum ſæculorum ſuſtinuerunt ætatem, annotatur) quo-

quoties commemorationes ſancti Adalberti & ſancti Gaudentij occurrunt, illum jubent in templi medio, hunc ad altare SS. Coſmæ & Damiani, ubi lampas ejus ardebat, honorari ac invocari. Hoc ſit argumentum ſecundum, in quo tamen plura continentur. Ejusmodi difficultates patitur Dlugoſſij (ex quo cæteri deſcripſerunt) narratio: plures articulo tertio adducentur.

17. *Tertium argumentum pro ſancti Adalberti corpore validiſſimum, ſed quod à ſuperiore aliqua parte pendet, Philoſophico more placet proponere: ſi pro ſancti Adalberti corpore ſanctū Gaudentium accepêre Boëmi (ut affirmat Longinus) igitur in ſancti Adalberti tumulo Pragenſi ſanctus Gaudentius requieſcit; atqui certum eſt, in eo tumulo ſanctum Gaudentium non eſſe: ergo conficitur, ſanctum Gaudentium pro ſancto Adalberto non eſſe ſuppoſitum; atque ita ipſum ſanctum Adalbertum in ſuo ſepulchro jacêre. Propoſitio prima tota ab Adverſariis omnibus admittitur, & probatione non eget, cùm ab ipſis*

primùm ſit prolata; deinde conſtat, nullo quoque repugnante, corpus ſancti Adalberti (ſive illud verum, ſive aliud fuerit) loco honoratiſſimo, in medio ſcilicet Cathedralis Eccleſiæ, quæ ampliſſima erat, depoſitum fuiſſe; tota quæſtio in Aſſumptione, ſeu altera argumenti noſtri parte verſatur, ut in eo tumulo, quem ſancti Adalberti dicimus, non eſſe ſancti Gaudentij corpus evincamus; audiamus igitur oculatum teſtem Coſmam Chronicæ lib: 2. cui hæc recens excitata controverſia nota non erat. Nec tacere cupio, quod nobis adhuc poſitis in ſcholis contigit audire & videre. Anno 1060. (viginti tantum annis poſt ſancti Adalberti translationem) quâdam ergo die dum Pſalmiculos ruminarem, ſtans in crypta ſanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani, venit quidam Vir portans cereum, & filum argenteum, quo ſecundũ juſſum Viſionis metitus erat ſui corporis artus, & accedens ad me: heus, inquit, bone Puer, indica mihi ubi jacet ſanctus Radim (ita Polonis & Bohemis appellatur ſanctus Gaudentius) S. Adalberti Frater? ad quem ego

ego dixi: quem tu dicis Sanctum, adhuc non eſt per Apoſtolicam ſedem incanonizatus: Miſſam ejus ut pro defunctis celebramus. Et ille: talia ego, inquit, neſcio, ſed unum ſcio, quia cum eſſem Krakow in Vrbe, per tres annos poſitus in ſubterraneo carcere, in quo una feneſtra deſuper erat, quâ mihi panem rarò & aquam porrigebant, hac in anguſtia dum vita mea verſabatur, quâdam die adſtitit Vir coram me, cujus veſtes erant ſicut nix albæ, & facies ejus ut ſol fulgebat (tantum memini) & ſtatim fui in extaſi, & quaſi de ſomno gravi evigilans ante Vrbem ſtare me ſenſi. Et qui mihi in carcere apparuit, ſtans juxta me dixit: Perge Pragam, ne timeas quenquam, & intrans ſancti Viti Eccleſiam, in Crypta ſanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani, offer munus tuum ad meam tumbam. Ego ſum Radim ſancti Adalberti frater; hæc mihi dixit, & ſtatim ab oculis meis evanuit. Ecce iſti crines & vultus mei macies teſtantur, quia vera ſunt, quæ tibi referuntur. Præterea ſæpe in eadẽ Crypta vident viſiones Cuſtodes Eccleſiæ

dum viſitant candelam, quæ ibi accenditur nocte. Hucuſque Coſmas innocentiſſimè narrans, nondum controverſiâ de ſancti Adalberti corpore excitatâ. Eandem narrationem refert Polonus Scriptor Paprocius, ut probet ſanctum Gaudentium pro ſancto Adalberto acceptum à Boëmis; infelix! qui non viderit hoc miraculo ſententiam ſuam omnino jugulari! nam ſi ſancti Gaudentij corpus in tumulo ſancti Adalberti coleretur à Bohemis, quid cauſæ erat, quòd ſanctus Gaudentius adire non juſſerit tumulum ſancti Adalberti, ſed Altare ſanctorum Coſmæ & Damiani? hoc certè argumentum cum quibuſdam hominibus noſtris obtuliſſem legendum, tam potens viſum eſt, ut quid reſponderi poſſit negarent ſe ſcire. Pergíſne igitur quiſquis es, tam claræ & hiſtoricæ probationi adverſari? quomodo ſuſtineri poterit in tantis rebus vacillans (ut mox dicam) Dlugoſij narratio? quis igitur Divorum ſancti Adalberti prodigioſum, & tot miraculis celebrem tumulum occupat? nam ſanctus Gaudentius (quem tu ibi eſſe putas) ut reve-

velavit ipſe, ad Altare ſanctorum Coſmæ & Damiani requieſcit, cujus anniverſarius dies eo in Altari Eccleſiæ Pragenſis XI. Octobris celebratur. Non igitur mirum (quod novum in advèrſarios Telum eſſe poteſt) ſanctos Patronos Boëmiæ (quorum Princeps poſt ſanctum Wenceslaum eſt S. Adalbertus) Wladislao Regi Boëmiæ, Caſimiri Poloniæ Regis filio, ex ſuis Tumulis in Eccleſia Pragenſi exeuntes, & ſupplicationem ducentes, aliquando apparuiſſe: nam cùm Wladislaus Rex Boëmiæ, ſancti Caſimiri frater (ut refert Pontanus Pragenſis Eccleſiæ Præpoſitus) Rex pacificus, clemens, liberalis ac pius, nocte mediâ in oratorio ſuo Regio in templo ſancti Viti (quod occulto ex Regiis cubiculis ambitu ſẽper adiri poteſt) oraret, vidit ſanctos Patronos Bohemiæ (quorum ibi corpora requieſcunt) ex ſepulchris ſuis ſurgentes, & veſtitos more ſolito, accenſis deinde facibus è choro deſcendentes, ad ſacellum S. Wenceslai, cantantes Reſponſorium: iſti ſunt Sancti. Ex quo viſo idem Rex chorales inſtituit, & illis impoſuit, ut abſolutis matutinis

tinis precibus, deſcendendo è choro ad idem ſacellum, idemquoque Reſponſorium canerent, quod hodie fit (certis de cauſis) primâ abſolutâ. Addidit idem Rex confirmationem omnium Privilegiorum Eccleſiæ Pragenſi, idque ait ſe facere, quod in ipſa beatiſſimorum & Patronorum noſtrorum Regni Boëmiæ ſanctæ reliquiæ recondita à Chriſti fidelibus frequentantur &c. regnavit autem Wladislaus ab Anno 1471. ad annum uſque 1516. Iam ad objectiones veniamus, quibus refutatis maximum ſententiæ noſtræ pondus accedit.

18. Articulus III. (ex eodem Balbino) objectiones ſolvuntur; origo fabulæ de ſuppoſito Sancti Adalberti corpore ex conjectura noſtra adfertur.

Ad tria capita, objectiones omnes revocari poſſe video. 1. eſt authoritas Longini. 2. authoritas Baronij. 3. de Ottone Cæſare, quod obijcitur. 1. Quod Dlugoſſium, ac cæteros Poloniæ Scriptores attinet, Reſpondetur: 1. nos antiquiores Scriptores, ut Coſmam, Decani Metropolitanæ Eccleſiæ dignitate fulgentem, qui prope ea tempora vixit,

vixit, & Brzetislaum Ducem, & Severum Epiſcopum de facie norât, authoritatẽ habere, tum aliorum, quos arciculo 2. citavimus, antiquitate, iis quos adverſa pars citat, ſuperiores; dignitate & authoritate nihilo inferiores. Reſpondetur 2. rationes articulo 2 allatas præponderare uni huic Scriptori ex quo cæteri deſcripſerunt. Reſpondetur 3 hanc Dlugoſſij ſeu Longini narrationem tantis, ut oſtendi, difficultatibus involvi, ut inter improbabiles poſſit accenſeri: adÿce & ſequentes, ex quibus videbis quàm acerbo odio in eos, de quibus hæc ſcribebat, flagrârit; at hiſtoricus, qui odio occupatus ſcribit, quid propius eſt, quàm ut vim inferat veritati? ait ergo Longinus Brzetislaum livore & odio, & ambitione alieni Regni, & prava voluntate bellum hoc adverſus Polonos ſuſcepiſſe. At nonne excæcârant Poloni avum Boleslaum Boëmiæ Ducem, per ſpeciem amicitiæ Cracoviam fraudulenter vocatum, ulciſcebatur, ait Coſmas, Brzetislaus injurias, quas olim Dux Mesko Bohemis intulerat; plures hujus belli cauſas leges apud Dubravium,

vium, & nos aliquot C. 2. hujus libri attulimus. 2, narrat Dlugoſſius: in ingreſſu Eccleſiæ, in ipſo limine, & Ducem Brzetiſlaum & univerſum exercitum, & plebem Bohemiæ cæcitate, & per triduum morbo lethargico fuiſſe percuſſos. An credibile eſt, tale & tantum miraculum in tot millia armatorum (qui Poloniam occupare potuerint) patratum, à nullo eorum temporum Scriptore, non à Leone Oſtienſi, de ſancto Adalberto ſæpius ſcribente, non à Scriptoribus vitæ ejus, qui alia minora ejus Sancti retulêre miracula, non à Glabro Cluniacenſi, aliíſque Germaniæ hiſtoricis annotatum? Martinus Polonus, qui de vaſtatione Eccleſiarum Poloniæ, & de Brachio ſancti Adalberti ab Ottone III. Romam delato ſcripſit, nihil uſquam de ludificatione illa Boëmorum & permutatione corporum, nihil de tanto miraculo narrat; profectò res tanta, tam terribilis, & annalibus digniſſima, latêre non potuiſſet. At Coſmas, eorum temporum vicinus, illos ſolos cæcitate percuſſos, & poſtea ſanatos tradit, qui altare tentabant diruere.

ere. 3. *Scribit Longinus, Miniſtros Gneſnenſis Eccleſiæ tortos, ut indicarent corpus ſancti Adalberti: quid erat opus indicio, cùm tabulis & anathematis ſatis Tumulus proderetur? cùm non ita pridem, glorioſè ſepulti Adalberti locus coruſcaret miraculis? cùm, ut habet Ditmarus, in Altari honorificè ſit conditus ab Ottone III, & tot peregrinationibus coleretur? an dici poteſt: nihil habuiſſe foris, quod Tumulum oſtenderet? dices: jam è ſepulchro elatum abſconditum fuiſſe, ideóq; tortos miniſtros, ut proderent, qui loco ſancti Adalberti, tumulum ſancti Gaudentij Boëmis monſtrarint. At obſecro, quâ ratione & probabilitate credere Boëmi poterant corpus ſancti Adalberti in aliud ſepulchrum immotum immigraſſe? ita enim duo ſepulchra vidiſſent, & unum corpus habuiſſent, pro utroque ſepulchro, quod quàm ridiculum ſit quis non videt? 4. Imputat Longinus ſacrilegium hoc, ut ipſe vocat, Severo Pragenſi Epiſcopo, qui ad proſequendum ſcelus Boëmos animârit & accenderit &c. grandis, hâc narratione, Viro ſancto Severo & Ponti-*

Pontificibus poſtea ac Cæſaribus chariſſimo, irrogatur injuria; cujus ſanctimoniam mirificè vetuſti Annales deprædicant, qui facile ſe (ut habet Dubravius) apud Pontifices purgavit, aſſerens: ſibi aliena crimina luenda non eſſe. Porrò Severi hujus, ut Sancti, Martyrologium Pragenſe (quod inter ſacra quotidie legebatur) me-
29. Junij. *minit his verbis: 3. Calend. Julij ordinatio ſancti Severi Epiſcopi VI. Pragenſis Eccleſiæ. 5. Ait Longinus ſanctum Adalbertum non paſſum eſſe contingi à Bohemis, quos vivens odiſſet. Hæc odia (quantum ego intelligo) non ſunt ſanctis, maximè cùm Christo in Cœlo regnantibus imputanda; deinde cuinam unquam alteri Genti magis (ſi conſulantur hiſtoriæ) Adalbertus propitius aut eſt, aut fuit, quam Boëmæ? cui majora auxilia & beneficia præſtitit, quàm nobis? de miraculis, ad ejus ſacrum Tumulum Pragæ, pleni ſunt veteres libri. quis vexillum ſuum Libicij maceriâ quâdam concluſum prodidit, & juſſit efferri, quo expanſo in prælio, hoſtium acies fugit, niſi aſpectabilis Adalbertus? quis verba illa dulciſ-*

dulciſſima ad cæteros Boëmiæ indigetes, quos ſecum è cœlo ducebat, dixit: venite mecum! noſtri Boëmi debiles ſunt, ſuccurrere nos oportet! & hæc quidem pugna adverſus Vngaros & Polonos pugnata eſt, & adverſus utroſq; ſuppetias tulit Adalbertus. Cujus obſecro oratione, cujus benedictione effectum eſt, ut dæmoniacos ſeu à cacodæmone obſeſſos Boëmia non habeat? quo impetrante datum eſt, ut leproſos in Bohemia natos reperire non poſſis? quoties ille pugnantibus Bohemis adfuit, quoties victoriam attulit de cœlo? & hæc adverſus Longinum, cujus plura etiam errata in hac narratione admiſſa poſſent adferri, quale illud quod ſubjicit ab Ottone III. cùm ſepulchrum ſancti Adalberti peregrinus inviſeret, Polonorum Duci Coronam Regiã & titulum eſſe donatum; quod evidenter falſum oſtendit Baronius.

19. *De Baronio ut hoc tandem diluamus, nihil eſt mirum; non audierat ille, nec legerat partem alteram, nondum fundamenta cauſæ noſtræ ex Boëmiæ hiſtoricis (quorum plerique aut Boëmicè ſcripſerant,*

rant, & Pulkava, Hagek, &c. aut editi nondum erant, aut ab eo non lecti, certè nunquam citati) didicerat. quid igitur aliud agere oportebat, quàm Longinum eâ de re ſcribentem ſequi, cùm alium quem ſequeretur, haberet neminem? Dum enim Baronius iſta ſcripſit, aliqui Procerum ex Polona Gente (quæ merito propugnaculum & ante murale Chriſtianitatis dicitur) Summo Pontifici, ac cæteris Italiæ Principibus æſtimati, Romæ præſentes aderant. De Boëmis pauca ſciebat Baronius, quia tunc adhuc Regnum totum in hæreſi conſtitutū, S. Rom: Eccleſiam inimicam habebat, adeóq; tantum illa, quæ ſoli Poloni pro honore ſuæ Patriæ recēſebant, ſcriptor annalibus inſeruit: niſi enim exore dictantium Polonorum ſcripſiſſet, nunquam S. Adalbertum nomine corrupto Polonicè *Woyciechum*, ſed genuinâ linguâ Patriâ Boëmicè *Woytiechum* appellaſſet. *Itaq; ut ante dixeram, Baronij authoritas in præſenti negotio non major eſſe debet, quàm Longini, ex quo Baronius non modo narrationem, ſed penè verba ipſa*

ba ipſa deſcripſit. Iam tertium illud de Imperatore Ottone uno halitu totum diſflatum evaneſcit, ſi ad Chronologiam & rationem temporum (quæ omnis veræ hiſtoriæ fundamentum eſſe debet) res examinetur. Anno Chriſti 1000. vel 999. Otto Imperator ad corpus ſancti Adalberti Gneſnam venit; at Brzetislaus Dux Boëmiæ primum Anno 1038. Gnesnâ corpus ſancti Adalberti in Bohemiam aſportavit: quod utrumque ex Baronio Tomo X. & XI. liquet. Meritò igitur Gnieſnam ſeſe Imperator contulit, cum Bohemia S. Adalberti corpus nondum haberet. Extrema illa de invento Sancti Adalberti corpore Gneſnæ ſub A. D. 1127. apud Cromerum & Miechovium narratio, quantum fidei mereatur, ex eadem Chronologia cuique datur intelligi. Anno Chriſti 1038. Brzetislaus Bohemiæ Dux vaſtavit Poloniam, cujus timore Eccleſiæ Gnieſnenſis miniſtri, S. Adalbertum in ſabulo defoderunt, ut ait Miechovius; cur igitur Brzetislao cum Bohemis abeunte ſanctum Adalbertum non protulerunt in publicum? cur annis

92. *infælicisſimo ſabulo jacere ſunt paſſi? timore Bohemorum factum eſſe reſpondent. quid? anniſne tot Poloni Bohemos timuerunt? & quid timendum Gneſnæ à Bohemis fuit, cùm, ut contendunt iſti, Sileſiam Poloni obtinerent? nónne Caſimirus I. Rex Anno 1041. Gneſnæ de more coronatus eſt? ſub quo, ut ipſimet tradunt, Bohemi ab Henrico Imp: victi, ac magno gens eſt damnata triumpho? nónne ijdem Boleslai II. Regis Poloniæ partas de Bohemis victorias pleno ore deprædicant, præſertim Gvagninus? quid igitur Poloni timere poterant? Huic Wladislaus Hermannus ſucceſſit, qui Iuditham Wratislai Boëmiæ Regis filiam accepit in conjugem, etiamne tum ſanctum Adalbertum Gneſnā proferre auſa non fuit? Iam Boleslaus III. Diſtortus cognomine, qui poſt Patrem in Polonia regnavit, tantum abeſt ut Bohemos timuerit, ut velut ipſi (quamvis contra fidem veterum Annalium) commemorant aliquoties Bohemiam circa An. 1111. cum exercitu ſit ingreſſus & depopulatus. Tandem, ſi numeres ab anno 1038. quo ſancti*

cti corpus defoſſum ajunt, poſt annos prope centum, anno ſcilicet 1127. Gneſnæ Adalbertus invenitur; narratio ſanè tam improbabilis, ut iſtæ tam diuturnæ & ignotæ ſancti Adalberti latebræ non vanam de mala fide ſuſpicionem curioſo cuilibet poſſint præbere. Alteram hoc loco conjecturam addam meam, ſed (prædico) conjecturam, non hiſtoriam. Mihi ſemper videtur fabulam hanc de ſancto Gaudentio loco ſancti Adalberti ſuppoſito, ex actis Ottonis III Imperatoris (qui hoc tempore vixit) & nominatim ex Leone Oſtienſi, aliíſque deinde Scriptoribus, (qui de S. Bartholomæi Apoſtoli, & ſancti Paulini ad templum S. Adalberti Romam translatione egèrunt) à glorioſo aliquo Scriptore, qui ægrè ferebat, ſanctum Adalbertum Polonis ereptum, deſcriptam: & ipſi ſancto Adalberto perperam accommodatam eſſe. nam cûm vetuſti Scriptores narrâſſent Ottonem III. Gneſnam orationis gratiâ veniſſe, & ſanctas Adalberti reliquias, manus videlicet (alij brachium ſcribunt) ſecum è Polonia abſtuliſſe, & Romam deportaſſe, ubi

Eccleſiam titulo ſancti Adalberti, ejusque honori idem Imperator condidit, atque in ea brachium ſancti Adalberti (quod ſe Romæ vidiſſe teſtatur Miechovius) cùm, inquam, hæc Scriptores vetuſti narrâſſent, continuò ſubijciunt: Imperatorem Ottonem ſummo ſtudio inquirere cœpiſſe corpora ſanctorum Martyrum, & præcepiſſe, ut ubicunque inventa fuiſſent, ad Eccleſiam B. Adalberti deportarentur. Pergit Leo Oſtienſis: Imperator Otto reverſus Beneventum, ſancti Bartholomæi corpus à Beneventanis poſtulavit, ut illud quoque ad ſancti Adalberti Eccleſiam Romam transferet. Beneventani cum Imperatori nihil negare auderent, callidè pro corpore Apoſtoli Bartholomæi, Beati Epiſcopi Paulini Nolani corpus, quod erat in majori Eccleſia Civitatis honorificè conditum, oſtendêre. Ille nihil fraudis ſuſpicans, eo ſublato, receſſit: & ad ſanctum Adalbertum Romam tranſtulit. hæc Leo. Vide mi Lector non modo ſimile exemplum, ſed ipſa penè verba Leonis Oſtienſis à Dlugoſſio ſeu Longino deſcripta, ſed malè, ſancti

Adal-

Adalberti purpuræ hic pannus aſſuitur. Ego quod Baronius ad narrationem hanc Leonis adjecit, paucis verbis mutatis, adſcribo: ſed Leoni (nos dicimus Longino) à pluribus contradicitur, aſſerentibus omnino ejuſdem Apoſtoli Bartholomæi (ſancti Adalberti) corpus in Eccleſia in honorem S. Adalberti Romæ (Pragæ S. Viti) extructa certò certius aſſervari. Hanc meam, quam modo attuli, conjecturam, magnis viris cùm primum prolata eſt placuiſſe ſcio. Omnia ad Majorem Dei Gloriam, & ter laureati Præſulis Martyris Confeſſoris ac Virginis Adalberti honorem apud nos excitandum dicta ſunto.

20. Cromerus adhuc & Bzovius ex hac pugna ſuperſunt adducti præſenti capite, §. 5: ille cum dicit, Boleslaum Krzivouſtium, ſeu Diſtortum, *Gnieſnam adiiſſe ad Divi Adalberti reliquias, paulò ante Iacobi Archi-Epiſcopi operá in propatulum prolatas: & 80. marcas auri, & multas gemmas in urnam Divi contuliſſe.* Bzovius autem eodem loci ſimiliter aſſerit; ſuo tempore Sigiſmundum III. Po-

loniæ Regem argenteam incomparabilis pretij, & artificij arcam Divo Martyri obtuliſſe, in qua ſacro-ſancta illius pignora recondita ; Hæc Poloni dicunt. Noſtri ſimiliter, ut Pontanus *(d)* cum aliis, de Mainardo Eccleſiæ Pragenſis Epiſcopo, ordine decimo, ſic ait: *hic tumbam ſancti Adalberti propriis ſumptibus mirificè dedit exornandam*, gemmis & auro tegendam, ſumptu proprio, trium millium & ſeptuaginta ſexagenarum Boëmicorum groſſorum, ut Hagecius loquitur *(e)*, noſtratium nunc ſex millium, centum & quadraginta ſexagenarum. Florenorum expenſas faciet millia ſeptem, centum ſexaginta tres, & viginti cruciferos: vel ſi mavis in auro, duo millia trecentos octuaginta ſeptem aureos Ungaricos, duos florenos, & viginti cruciatos. Manſit iſte ornatus ſuper tumbam Adalberti per ſeptem ac ducentos annos, donec inſatiabilis harpyia Regni, Joannes Boëmiæ Rex Caroli IV. pater, ad rapiendum animum adjeciſſet, & ſa-

crilegâ

(d) Pont. Boëmiæ Piæ, lib. 3. mihi pag. 38. in fine. *(e) ad annum 1129, fol. 171 pag. B.*

crilegâ manu totum abraſiſſet (*f*) Sed iterum circa ſalutis annum 1340. Ioannes ejus nominis IV, Pragenſis Epiſcopus, ordine ſeptimus & viceſimus, eundem *Sancti Adalberti tumulum ſibi ſumpſit ornandum, omnémque argenteis lamellis & clypeis, labore ingenioſo, materiáque & arte pretioſo communivit, & texit; quem poſtea modum, nobili inventione delectati Boëmiæ Proceres, in ornando ſancti Wenceslai ſepulchro tenuerunt* (*g*). Itaq; ſi Polonicis hiſtoriis credendum erit, quòd pro corpore Sancti Præſulis Adalberti, corpus Gaudentij, vel aliûs cujuſcunque ſuppoſititij hominis cadaver Gnieſnæ levatum, & Pragam translatum fuerit, ut quid priſcis illis Pragenſibus Epiſcopis in ſuſpecto, vel in incerto corpore tantis impendiis exornando cura fuit? Sancti Viti Brachium à S. Wenceslao præ coronis Regum expetitum, à Boleslao Pio cæteríſq; Bohemiæ Principi-

(*f*) *Hagek ſol. 305. pag. A. ad Annum 1336. Dubrav lib. 21. pag. 174. ſub medio & alij.* (*g*) *Balbinus in Arneſto lib. 2. pag. 81. Hagecius ad Annum 1343. fol 309. pag. B. initio.*

cipibus & Regibus in honore ſemper habitum, vel ſancti Wenceslai Patriæ Principis optimi, & de Regno optimè meriti, corpus, innumeris prope miraculis glorificatum, negligere, & ſuſpectum tumulum regiis adornare gazis, quanta ſit ingratitudo, dicam etiam irreligio, quis non videat? ó præpoſteram devotionem, ac vaniſſimam pietatem, æternóq; riſu digniſſimam! Ejusmodi congerrones cum ſuis tricis & apinis faceſſant: ſerium tunc ſæculum, pium ac ſanctum, ſancti Præſules fuerunt; ipſorum oculis & manibus, quibus Divi Woytiechi, Beati Gaudentii ac cæterorum quinque Fratrum oſſa vel corpora ſancta, diſparatis locis quieſcentia, ſæpius viderant, contrectârant, & ex uno loco ad alium ipſimet aliquoties transtulerant, oculis inquam & manib, (ne ſuperius allegatas, Eccleſiæ Bohemicæ autoritates repetam) firmiſſimè credimus: & fatemur, non alibi quam in Metropolitana ſancta Pragenſi Eccleſia divi Woytiechi corpus aſſervari. Atq; ideo prænominati Pontifices,

tifices (quod indubitatè ſancti corporis præſentiam credebant & contrectabant, quam etiam ex miraculis divinitus approbatã venerabantur) velut anteceſſori ſuo, Tutelari Patrono, ſacrum anathema ponere non prætermiſerunt.

21. Quod autem ſæpius ejuſdem Sancti reliquias videre vel contrectare potuerint, frequentior hujus Baſilicæ reſtauratio occaſionem præbuit. *Anno 1060. (h) cum ad feſtum*, inquit Coſmas *S. Wenceslai Dux Spigneus veniſſet Pragam, videns Eccleſiam ſancti Viti non adeò magnam, nec capeſſentem populum concurrentem ad feſtivitatem ſanctam, quam videlicet ipſe ſanctus Wenceslaus conſtruxerat, ad ſimilitudinem Romanæ Eccleſiæ rotundam; in qua etiam corpus ejuſdem ſancti Wenceslai quieſcebat. Similiter & aliam Eccleſiam quæ fuit contigua, & quaſi in porticu ſita ejuſdem Eccleſiæ, cujus in medio nimis in arcto loco erat mauſoleum Beati Adalberti: optimum ratus fore ut ambas deſtrueret, & unam utriſ-*

(h) *Coſmas in Chronico ad hunc annum, & Hagek fol. 126. pag. B. in fine.*

utriſque Patronis magnam extrueret Eccleſiam; continuo per longum gyrum deſignat Eccleſiæ locum, jacit fundamenta, fervet opus, ſurgit murus: ſed ejus felicia cœpta in ſubſequenti mox anno, intercipit mors inepta. Exuſta deinde, rurſus à Brzetislao II. reſtaurata fuit, & à Coſma conſecrata (*i*) anno 1096. Arſit iterum hoc templum, & flammis concidit anno 1137. pridie idus Martij (*k*): & cum an-
14. Martij. no ſequenti Capitulares ejuſdem Eccleſiæ ſuis ſumptibus operarios conduxiſſent, & evehendis ruderibus operam dediſſent, *inventa ſunt*, inquit Hagecius, *corpora ſancti Wenceslai, ſancti Adalberti, atque aliorum Sanctorum integra & incorrupta, quòd non tantum capitularibus, verùm etiam omnibus Bohemis gaudium attulit. Anno verò 1344.* quemadmodum lapis inſcriptus in Eccleſia oſtendit (*l*) *die 3. Menſis Martij, ſublimata eſt*

(i) Coſmas ad hunc annum & Hagek fol. 149. pag. A. in medio. (k) Cuthenus, Lupacius, & Weleslavina, Hagecius fol. 181. pag. A. in medio, habet anno 1142. (l) Videatur hoc monumentum ſuperius ex toto deſcriptum §. 13. pag. 474. &c.

eſt ſancta Pragenſis Eccleſia in Metropolitanam. Etiam eodem anno & die poſitus eſt primus lapis fundamenti novi chori Prágenſis: cujus teſtudo 1385. in Vigilia Sanctæ Margaretæ 12. horologij completa eſt infra miſſarum ſolennia, conſecratus eſt chorus iſte per Ioannem II. Archi-Epiſcopum in feſto ſancti Remigij 1383. ſub titulo B. MARIÆ VIRGINIS VISITANTIS, & ſancti Viti. poſtea in feſto pentecoſtes horâ veſperorum, poſitus eſt primus lapis fundamentalis Eccleſiæ 1392. per Wenceslaum I. Romanorum Regem &c. ſub titulo B. Matris & Patronorum &c. & anno 1396. in feſto ſancti Adalberti, *translatum eſt corpus ſancti Adalberti de antiqua Eccleſia in medium novæ*, hodiéque locum eundem tenet. Sed iterum anno 1541. 2. die menſis Junij, ut habet Proſarium M.S. Pragenſis Eccleſiæ, prægrande opus in choro ſervatum etiam ad hodiernum uſum: cujus hic memoriam præterire nefas duxi *(m)* Proſarium ſic ſe ha-

(m) Eleganter ſcriptus eſt liber per Ioannem Taborinum de monte Klokotino: non arte diſpari pictus perquendam Fabianum.

ſe habet (n) *Anno à Verbo incarnato 1541. 2. die menſis Iunij, S. M E. P. permiſſione Divina per nunquam ſatis impiam ignis voraginem miſerrimè combuſta eſt, non ſine maximo ejuſdem Eccleſiæ ſuppellectilis diſpendio: utpote Clenodiorum, ſacrarum veſtium, immunitatum, fundationum, altariorum, & aliarum id genus rerum pretioſarum, potiſſimè librorum, cantilenarum, quas vulgò vocant pſalteria, gradualia, antiphonalia. Tandem A. D. 1551. ſub Pontificatu Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & DD. Iulij Papæ III. anno Pontificatus ejuſdem ſecundo, imperante glorioſiſſimo Carolo V. Rom: Imp: invictiſſimo, & regnante potentiſſimo Rom: Vngariæ, Boëmiæ &c. Rege Ferdinando Principe Catholico: Reverendi ac Venerabiles Patres & Domini Doctor Henricus Scribonius Præpoſitus, Valentinus Niſenus Decanus, Ioannes à Pruchow Archidiaconus, Laurentius Tynenſis Scholaſticus, Ioannes Przeſticenſis, Capellæ omnium Sanctorum Præpoſitus, Ioannes Maſstovienſis, Sigiſmundus Boleſlavi-*

(n) *Fol. 29. pag. B.*

ſlavienſis, Wenceſlaus Fremberg, Henricus Glacenſis, Prælati & Canonici memoratæ Eccleſiæ Pragenſis, tunc reſidentes, præſertim librum in Dei Opt: Max: laudem & honorem ac Sanctorum Patronorum, Viti, Wenceſlai, Adalberti, Sigiſmundi, Quinque Fratrum, Procopij, Ludmillæ gloriam, partim ſuis propriis impenſis, partim aliorum piorum Catholicorum ſubſidio, de novo conſcribere & reſarcire fecerunt. Sit laus & gratiarum actio Deo altiſſimo Amē. Poſt hanc memoriam ſequitur Proſa de Sancto Adalberto, ſic incipiens: *Hodiernæ lux diei* &c. De hoc incendio puchrè videri poteſt Lupacius 4 Nonas Junij. 2. Iunij. Tandem per Ferdinandum I. Roman: Hung: & Bohemiæ &c. Regem, ſaltem ea pars, quam nos poſteri videmus, anno 1555. ſublevata rurſus, & renovata fuit.

22. Iterum, quia Ferdinandi I. Rom: Imp. auguſtiſsimi memoria nobis incidit Cromerus in mentem venit, qui denuo hic §. 4. in fine, de translatione Sancti Woytiechi ſic ambigit: *ego ante paucos annos cum Ferdinando Imp. deſignato*

gnato, perpetuâ in ſeptimum annum legatione Sigiſmundi auguſti Regis nomine apud eum fungens, apud ipſum Divi delubrum familiariter contuli; locutus igitur eſt in Eccleſia Sancti Viti Pragæ, ſed quid contulerit non dicit, neque nos aliquid dictum curamus, modo quæ Ferdinandus reſponderit, in medium attuliſſet, & ſi non Regi ſuo talia recenſuit, ſaltem pro honore ſolatióque Reipubl: Polonæ, in hiſtoria, quam ſcripſit, ad poſteros transmiſiſſet. Demus Cromerum in in hoc puncto cum Ferdinando Cæſare contuliſſe, quid Imperator reſponderit, ex Cromero extorquere non poſſumus: ſi ſiluit aut diſſimulavit Ferdinandus, quid ſenſerit, ego dicam, & Eccleſiæ Pragenſi quam fidem habuerit explicabo; literis etiam aureis loquar, quibus ipſe Ferdinandus apud poſteros animi ſui ſenſum expreſſum voluit. In Baſilica Sancti Viti ſuper ſummum altare duas tabulas inveneris, ex mandato, vel ex aſſenſu Ferdinandi aureis literis exaratas anno 1555. Prima quæ eſt ſuper Evangelij

gelij cornu, ſic habet: Anno *Ieſu Chriſti Salvatoris CMXXIII. Sanctus Wenceslaus Martyr, & Patriæ Dux, poſt martyrium Aviæ ſuæ Sanctæ Ludmillæ, primum hic B. Vito Martyri templum ædificavit: quod & ſanctus Wolfgangus Epiſcopus Ratisponenſis conſecravit: & anno CMLXVIII. Boleſlaus Pius Epiſcopi ſedem fecit, cujus II. Epiſcopus Sanctus Adalbertus Anno CMXCVI. apud Prutenos cum ſancto Benedicto, Matthæo, Iſaac, Iohanne & Chriſtino Fratribus martyrio coronatus, Gnieſnâque Civitate huc tranſlatus, peculiare ſacellum adeptus eſt. Atqui Spitigneus Dux II. anno MLX, poſt ſancti Procopij obitum anno VII, è templo Sancti Viti ac item Adalberti, unum idque anguſtius conſtruxit.*
Altera tabula ſuper cornu Epiſtolæ, continuat iſtis verbis: *Sed cum hæc Anno MCXLII. hoſtis arcis direptione corruiſſent, Rex Ioannes I. anno MCCCXLIV. chori hujus fundamenta jecit, atque in Metropolitanam Eccleſiam erexit; Filius autem Carolus IV. Rom. Imperator etiam Divi Sigiſmundi Regis & Martyris, multorúm-*

torúmque Sanctorum Reliquias ANNO MCCCLXVI. ditavit, & muneribus auxit. Quibus Rex Wenceſlaus ejuſdem Caroli filius Anno MCCCXCII. poſteriorem templi hujus partem adjecit. Dein caſu publico Anno MDXLI. exuſtum, Ferdinandus I. Rom. Hung. Boëmiæ &c. Rex, Anno MDLV. inſtauravit & ornavit. Reliqua quæ Pontanus Boëmiæ Piæ lib. 3. cap. 1. quondam legerat, ſub auguſtiſsimo Ferdinando II. deleta ſunt, & quæ ſequuntur in locum prioris adſcripta hodiéque conſpiciuntur his verbis: *Ferdinandus verò II. Cæſar piiſſimus & glorioſiſſimus, non tantum iſtam, ſed & alias in hoc Boëmiæ Regno Eccleſias ſordibus hæreticorum defœdatas expurgavit. Anno MDCXXX. pulcherimè hanc Metropolitanam renovari & exornari juſſit.* Illa fortaſſis, ut ſupra retuli, fuit à Ferdinando I. data Cromero reſponſio. Et quondam iſtud amabò contra nos argumentum, cum Imperatore de corpore Sancti Adalberti contuliſſe? reponam ego ſimile; contingat quempiam Boëmorum ſereniſsimo

Polo-

Poloniæ Regi colloqui, déq; Beati Staniſlai corpore verba facere, & ea conferre quæ fingere vellet animus: num exinde ſequi debet, S. Staniſlaum non in Polonia Cracoviæ, ſed in Boëmia Pragæ ſepultum eſſe? ô quàm inſulſum & crudum argumentū! inquient Poloni. Nos idem regeramus? abſit: ſilemus potius & lingvam mordemus. Tu verò pie Lector, quisquis es, optaverim in te ipſo privatus conſiſtens, omni ſecluſo partis alterutri, affectu, primùm Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ pondus ad libellam examines, Coſmæ vetuſtiſſimi puriſſimiq; Scriptoris authoritatem attendas, rationes Balbini fortiter urgentes, & meas, modò ſi quas poſui, congruentias penitius inſpicias: credo facilis, non aliud niſi nobiſcum dixeris: *Divum Adalbertum à Boëmis acceptum & Pragæ depoſitum*; nec ſcio quid Polonis amicis & Fratribus pro ſolatio dicendum ſuperſit, quàm illud nuperi Poëtæ:

Sæpe locis ſtabas vivens Woytieſſe duobus
Fors in utroq; jaces poſt tua fata loco.

Reſpice dive Præſul pios affectus, & ſacrum hoc bellum, ob amorem tui transactum, paternè ſuſcipe: atq; Boëmos & Polonos, filios, tibi, tuiq; Sancti nominis honori devotiſſimos, æternùm benedicito.

Te Polonorum celebrat caterva,
Hi tuis magnis meritis refulgent,
Atq; Doctorem proprium fatentur
Semper ad Aras.
Nos tamen corpus veneramur omnes,
Teq; ſervamus Patrijs in urnis:
Et tibi templum, ſed & hæc quotannis
Feſta, ſacramus.
Præſulum ſalve celebris corona,
Et decus noſtrum Pater & Patrone,
Gaudium, virtus, animi voluptas
Maxima ſalve.
Vota ſervorum capias tuorum:
Semper exultent humiles clientes,
Qui tuum nomen celebrent, ab omni
hoſte remoti.

EPI-



Oſsa ipsius Viſitata sunt et poſt mortem
Prophetaverunt Ecclis. c: 49 V: 18

EPITOME
Vitæ S. Adalberti

Pontificis in hoc inclyto Boëmiæ Regno Principis, & Principum Pontificis Adalberti, ſanctorum Parentum Sanctiſſimi filij natalem ſi ſpectes, naſci, niſi ex Regibus, nobilius vix potuit: utpote ab Vrſinis deſcendens, & ex Roſis natus. Si vitam diſcutias, Deo potiùs quàm mundo natum credes; à prodigijs enim vitam inchoans, prodigijs tranſigens & abſolvens: hoc primum edidit in Orbe prodigium, quòd cùm naturæ viribus vivere non poſſet, Parentum precibus revixerit. Quid Parentum? MARIÆ magnæ Deī Genitricis ope vitam recepit, quem ſibi tanta Mater in filium adoptavit. Ab hac Matre lacte gratiæ nutritus infans, innocentiam ſuxit: & de virtute in virtutem progrediens, virtutum iter, quod alius non niſi ſerò conficeret, hic in pueris abſolvit; meritis addens quod annis non poſſet. Vt neſcias an hunc virtutum tramitem abſolverit ſanctius, an inchoaverit maturius: non ideo minuens iñocentiam quod augeret ætatem. Inter optimos educatus ad optima, ſub Alberto Sancto Magdeburgenſi Archi-Epiſcopo perfectioris vitæ jecit fundamenta; ſub Othrico verò primatũ in ſcholis & laudem talem promeruit, ut in tota Germania coævum parem neminem haberet. Ingenij claritatem eloquij nitore attemperans, innocentiæ candore plurimùm illu-

ſtravit: Epiſcopum agens antequam eſſet; bonarum artium ſemper avidus, malarum incapax: peccata neſciens, niſi ut corrigeret. Vix dum adoleſcentiæ ſenſit exordia, & jam tamen pauperum ac pupillorum Pater audire promeruit; nec à carceribus abhorruit, dum captivos amavit: ex compaſſione vincula quoque ſubiturus inſons, modo capitis reos abſolvere licuiſſet. Ejusmodi bona opera, clàm, aut noctu ſine arbitris exercens, ſoli Deo nota eſſe voluit: ne fors dies proſtitueret, aut humana laus merito quidpiam derogaret. Defuncto Dithmaro, Præſul acclamatus ab omnibus, unicus audire noluit: quamvis ipſe Dæmon, ex energumeno, Sanctum, quem timebat, hoc officio dignum aſſereret. Populi Cœlitúmque ſuffragijs Antiſtes creatus, eo ſe deveniſſe doluit, ubi Deo placere non poſſet ſimul & populo: dijudicans illud Domini: quod impoſſibile eſſet *ſervire duobus*. Talem ſe deinceps exhibuit, qualem Apoſtolus præſcripſit, & Devs non homines elegiſſent. Aliàs dives opum, factus Epiſcopus, omnibus ſeſe exuit, quò plures nudos operiret. Quotidiani convivio illius pauperes aſſidebant: quibus cum hilarius manducans, lacrymis commiſerationis cænam condiebat; nec facile cibus ullus palato arridebat, quem non prius egentes & famelici prælibaſſent. Hoc ſanctæ mentis fuit nutrimentum, pijs potari lacrymis, & fame

per-

pereuntium paſci ſingultibus. Se conſcio nullus egeſtatem paſſus, nemo gemuit; ita profuſus erat in pauperes ADALBERTVS, quòd & vitam fudiſſet, ſi profuiſſet. Divitias negligens, niſi quas in pauperes erogaret: uſurpare ſibi non appetens niſi omnium calamitates. Ita liberalis in alios, ut nudo mendico cervical ſericeum ultimum porrigeret, in quo ſaucium CHRISTI caput molliùs quieſceret. Mulieri etiam ſordibus & nuditate deformi, pallium tradidit, ut, quod in terris Epiſcopus non appetijt, in Cœlis, futurus major, coram Cælitibus indueret. Simplex illa mulier donum ac datorem mirari non deſtitit, prope etiam ex pallio redivivum Martinum credere: niſi, totum dare aſſvetum, WOYTIECHUM cognoviſſet. Nunquam ſe feliciorem credidit, niſi dum cauſſas miſerorum aſſumeret: ita ſingulos audiens, ut non niſi ſolatio plenos dimitteret. Omnium commodis & neceſſitatibus ita ſemper proſpexit, ut dubitare poſſis num omnium Pater eſſet, an ſervus. Ejuſmodi gradibus quo ſublimius aſcendebat, ardentius ferebatur in DEVM, & indies virtutibus magis emicabat, quàm poſſet ab invidorum oculis tolerari. Dum eorum non incurrit in mores, incurrit in odia: ideo hoſtis habitus quia diſſimilis; maluit enim ſibi ſubditorum perfidiam utiliter carpere, quàm perniciosè lactare: pacem non

amans cum æquitate pugnantem. Nec ijs placere voluit, quibus DEUS diſpliceret. Iis ipſis qui timeri voluerant, cæpit eſſe timendus, dum argueret ſeveriùs: veritatis amantior quàm ſui. Nullum, præter ipſum, tunc virtus defendit æquius, nullum exercuit durius: nulla in ſe admittens vitia, omnia puniens, MARTYR videri potuit, antequam eſſet; ſæpe quæſitus ad necem, ſemper ad duriora ſervatus. Injurias Patriæ fortiter toleravit, quam unicè dilexit: nec ceſſit adverſis, quorum tolerantiâ Patriæ deſerviret. Cùm à Boëmis nec vinci, nec tolerari poſſet, Romam abijt ut clauſus in clauſtro, ſcelera ſuorum non videret: & ignorari cupijt, quò ſe melius cognoſceret. Diu peregrinatus, ut luci ſuæ latebras quæreret: ijs ſe prodidit artibus, quibus abdere ſtuduiſſet. Inter Epiſcopos & inter Cœnobitas clarè docuit, omnia virtute peragi, omnia patientiam tolerare; quod neſcias an Monachi partes accuratius impleverit, an Epiſcopi. Se etiam in minimis maximum fecit: nec aliter ſe maximum eſſe gaviſus eſt magis, quàm cùm omnium minimus haberetur. Extra Patriam diu, extra ſe nunquam; iterum vocatus, iterum pulſus: Patriam mutare maluit quàm ſyllabam, æque triumphans cùm cederet, ac cùm rediret: ter mutans exilium, nunquam animum; haud memor injuriæ; niſi quam con-

condonaret. Vir in omnibus aureus, tantum quod avaris placere non poſſet. Inviſus Patriæ, tandem Prutenos adijt, facturus meſſem in Pruſſia, quam in ſterili Boëmiæ ſolo fruſtraneè ſeminâſſet. Labores inibi, quos inchoaverat, ardore confecit, & ſe ita vixiſſe, quòd ſtrenuè mori poſſet, oſtendit; & cùm ſupplicium nullum mereretur, nullum exhorruit. Tremente Pruteno plaudente Cœlo, ductus in montem, ſpectante Cœlo gloriosè mori voluit. Septem Haſtis confoſſus, ſeptem vulneribus velut ſignaculis, animam DEO & fidem conſignavit. Caput etiam ferro præciſum eſt, ut ex hac meſſe ferrea manipulum DEO gratum in Cœlos tranſmitteret; ſed ô prodigium! caput amputatum iterum ſancta manus levavit, quod nefas eſſet jacere humi caput Cœlitibus coronandum: & cùm in terris non eſſet qui Martyris triumphos diceret, emortua lingva cecinit. Corpus dein lancibus appenſum ponderis expers, pretium non admiſit, cùm ad cœlum merita tranſtuliſſet; nec licitari potuit in terris theſaurus Cœlo deſtinatus. *Tam pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum.* Ter feliciſſime Pontifex non ad unius populi gloriam nate! Boëmia namque te genuit: Germania ſcientijs & virtutibus inſtruxit: Praga Pontificem coluit: Polonia Archi-Præſulem fecit: Pruſſia Martyrio decoravit: Cœlum palmam

tri-

tribuit & coronavit. Ambigam utilior ne Regnis fueris, an Cœlo carior. O beata Boëmia, quæ talem ac tantum Pontificem genuiſti : beatior cum Patrem amâſti : beatiſſima quòd à Polonis redemptum ejus corpus ſine pretio recepiſti. Sic nempe placuit Numini, ut, ubi cunas habuit ADALBERTVS, urnam reciperet: & in Patria, cui plurimùm deſudavit, in ſuis cineribus, futuris ſæculis, honorificè quieſceret.

ROSÆ BOEMICÆ,
SIVE
VITÆ S. WOYTIECHI, PARS ALTERA.

Hymnus S. Woytiechi, Pragenſis Epiſcopi & Martyris.

PRÆLUDIUM.

Quædam de ſacris canticis præmittuntur: & Hymnus ejuſdem Sancti, à ſæculis in Boëmia receptus, inſeritur.

VT queant laxis REſonare fibris
MIra geſtorum FAmuli tuorum,
SOLve polluti LAbij reatum:
Woytieche Præſul.

I.

NUllus dubito amice Lector, præſentem de cantibus, & hymnis muſicis quæſtionem, ad rem Divi Martyris Adalberti congruam, & â noſtro propoſito non alienam, utilitatis aliquid adferre poſſe. Magna hodiernos inter Politi-

cos gliſcit in hoc puncto contentio, utrum Principibus, & viris ſpectatæ virtutis, vocales Muſas tractare laudabile eſſe poſſit? ſunt nonnulli, qui dum in popularibus non improbent, in illis arguant: & quod pejus, politica inter vitia numerent. Quid enim turpius, inquiunt, in viris illuſtribus eſſe poſſit, quàm ſi tantæ animæ populare aliquid, humiléq; præſeferant? os, oculos, vultum, corpus denique totum Prometheo quopiam leviùs varient? & quod quærimus, plenis buccis altum occinant, clament? In Principe turpe ſit neceſſe eſt, quod vel in obſcuris hominibus rideri poſſit, ſcitum eſt illud vetus proverbium: *Iupiter non cantat, nec citharam pulſat.* Tales decere eſſe Principes, ſimulacro magis, quàm homini ſimiles: cogitationibus ſuis contentos, in ſe ipſis conſiſtere, vix, aut parcè loqui, & ſeriam quandam magnæ mentis in vultu præferre majeſtatem. Romani Urbis & Orbis Domini, *in ſuis Principibus ejuſmodi artes non deſideraverunt*, dicit quiſpiam

piam (*a*), *nam ex tot illuſtribus civibus ſolum Scyllam, virum tanti nominis, quòd optimè cantaverit; memoriæ proditum memini. Alcibiades omnem modulandi diſciplinam contempſit, tanquàm minus dignam libero homine. Lyram autem non omninò ſprevit, ut qui diceret: illam vultum non diſtorquere, nec ſermones inter ſodales auferre.* hæc ille. Plures ejus vitij Romanos notant alij: Nero Imp: teſte Svetonio, malè audijſſe dicitur, quòd modulator melior, quàm Imperator haberetur. Civis etiam alius Romanus, ſolùm quòd nimis bene ac concinnè caneret, ſaltarétqe, â Domitiano Imp: Conſiliariorum ordine exemptus fuit. Cajus etiam, & ipſe Romanus in ſaltu & cantu inſignis, contemptum potiùs quàm laudem in Urbe promeruit.

2. Non tantâ Urbe contenti Politici, ad Barbaros provocant; Macedonicis & Græcis armis rem agunt. Philippus Macedo, inquiunt, cujus filius Alexander cùm ſcitè aliquando & ſvaviter

(*a*) *Franciſcus Patricius Senenſis de Regno & Regis inſtit; lib; 2, titulo 15.*

ceciniſſet, dixiſſe fertur: *non te pudet tam bene canere? ſatis eſt*, ſubdit Plutarchus, *ſi vel audire vacet Regi canentes alios; & Muſis abundè honorem habet; ſi in hujuſmodi artibus exercentes ſe ſpectet.* Themiſtocles Athenienſis cùm lyram tangere, vel ad numeros canere neglexiſſet, & â ſcitioribus ac talium artium gnaris rideretur; reſpondiſſe dicitur: *Ego lyram aut plectrum tractare neſcio; Vrbem quam parvam acceperim, claram & magnam reddere, id ſcio.* Arbitratus Princeps optimus (cum Cornelio Nepote loquar) *ejuſmodi artes longè eſſe ab humanis moribus, maximè verò â perſona Principis:* ſiquidem teſte Naſone Poëtâ:

Enervant animos citharæ, cantúsq; lyræq;
Et vox, & numeris brachia mota ſuis (b).

Scripturæ etiam teſtimonijs ducuntur Politici, 2. Reg: 6. v. 20. Cùm ex domo Obededom, in domum David arca domini transferretur, & ipſe Rex lineo præcinctus ephod præcederet: Michol impia inter ſacerdotum choros canentem, ſaltan-

(*b*) *Ovid: de remedio amor:*

tantémque conſpexit: egreſſa in occurſum conjugis, deſpectum primò, etiam arguit: *quàm glorioſus*, inquit, *fuit hodie Rex Iſraël, diſco operiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris.* Pape! quam magno ſtetit Regem ceciniſſe; Levis igitur & abjecta eſt modulatio, & nullo digna Principe, vel quovis alio homine libero. Clamores attollere, mancipiorum eſt, canere ſervorum eſt: cantores enim & cantatrices, inter ſervos & ancillas Eſdras recenſuit. 2. Eſdræ 7. v. 67. Teſtatur etiam Capitolinus cap: 8. in vita Antonij Veri Imp: *adduxiſſe hunc ſecum è Syria fidicines, & tibicines, & hiſtriones, ſcurráſque mimarios & præſtigiatores, & omnia mancipiorum genera.* Ejuſmodi ſtreperas vanitates ab humana ſocietate longè exeſſe jubet D. Hieronymus. Sic enim Epiſt: ad Furiam viduam cap: 4. ſcriptum reliquit: *cantor pellatur ut noxius. Fidicinas & pſaltrias, & iſtiusmodi chorum*

Diaboli quaſi mortiferæ Syrenarum carmina proturba ex ædibus tuis.

3. Dubitare poſſes Chriſtiane lector, & vel etiam in divino cultu erubeſcere, ſi religionem tangerent exempla quæ legiſti. Verùm quia politica ſunt, mores humanos, non ipſum religionis cultum reſpiciunt, nec ad ſacraria noſtra conferunt. Unam blaſphemam Michol, & ſi qui Machiavelliſtæ ſunt, hujus maledicti ventris abortus degeneres; profana ſacris, æquis iniqua præferentes, excipe. olim Romana nobilitas, ſanctúsque Senatus, â levibus, profanis, & ſcurrilibus concentibus, quantum abhorruerint, leges, virtus, & majeſtas illius Urbis, facilè docerent; ſed modeſtam, ſanctámque muſicen divinarum laudum contemplatricem, celebratam fuiſſe, quis neget? niſi qui Brutus eſt. Cicero in Bruto: *carmina* inquit *in epulis à ſingulis convivis eſſe cantata.* Apud Græcos, Barbaros etiam pleróſque, ſacros modulos magni æſtimij, religioníſque potiorem fuiſſe partem, exempla de-

demonſtrant (*c*). Huc illi ſummi Principes, toto orbe celebres, Philoſophi & ſpectatæ virtutis Heroës, Orpheus, cujus hymni de Deo extant. Triſmegiſtus, Pythagoras, Apollo, Solon, Homerus, Heſiodus, Sybillæ, Hyſtaſpes Perſarum Rex, Socrates, Plato, dithirambos & epigrammata divino ingenio ludens, Ariſtoteles, Numa, Pompilius, Scipio Africanus, Cato, Cicero, Iulius Cæſar, & Auguſtus Imperator, atque alij innumeri, qui ſuam de Deo ſapientiam, ac de moribus Ethicen modulato carmine poſteris conſignárunt. Vide Cornel: â Lapide: ſuper Eccleſijs, caput 44. v. 5. Ego vocante ad ſanctiora B. Woytiecho Præſule, â cultu falſorum Numinum, &

 pro-

(*c*) *Plutarchus lib. 1. Sympoſi & lib: de Muſica. Quintilianus lib: 1. cap: 16 Livius decade 3. Valerius Max: lib: 2. Curtius: lib: 5. Seneca lib: 2. de Ira cap: 2. Strabo Geograph: lib: 10. pag: 48. Svetonius in Galba. Apulejus lib: 1. Florid: pag: 132. & lib: 5. pag: 143. Clemens Alexandrinus 2. Padag: 4. Cœlius Rhodigin: antiq: lection: lib: 9. cap: 1. 2. 3. &c. Natalis Comes Mythologia lib: 1. c. 20. lib: 7. c. 15. & 16. Textor Raviſius in theatro lib: 1. cap: 2. lib: 2. cap: 4. ſect: 5. & 6. Xenophon lib: 4. Padia Briſſon lib: 4 de Regno Perſarum.*

profanis gentilium ritibus, manum & vocem revoco; & ad ſacras, ſoli Deo debitas, veteris & novæ legis hymnodias accedo.

4. Hymnorum & cantuum veri Dei laudem confitentium vetuſtatem, & ipſam originem ſi ſpectemus, cum ipſo ferè mundo ſuam ætatem habent, Iubal enim Lamechi filius, ut S. ſcriptura loquitur: *fuit pater canentium cytharâ, & organo. Gen: 4. v. 22.* Ubi expreſsè notat Hugo Cardinalis, cantorem fuiſſe, *non inſtrumentorum, quæ longè poſt inventa fuerunt, ſed conſonantiarum*, ſive vocalis muſices: â quo Iubal jubiloſo & faceto, Latini ſuum Iubilum derivârunt. Exinde hoc magiſtro, & præcentore edocta prima poſteritas, SS. Patriarchæ & Prophetæ divino carmine, in pſalmis & canticis, laudes optimi Creatoris celebrârunt. Ita S. Iob heroici carminis inventor, divinus Poëta primus fuit. Eum ſecutus Moyſes, pòſt Debora, David â centum quinquaginta pſalmis valde notus; verùm ejus odæ cœleſtes, & plenæ pro-

prophetijs cujuſnam ſint genus carminis incertum eſt. S. Hieronymus pſalmos lyrici generis frequenter appellat, & ipſum Davidem Chriſtianorum Simonidem, Pindarum, & Aleæum, Flaccum quóque, Catullum, atque Serenum nominat, qui Lyrici Poëtæ prophanorum fuerunt. Davidem ſecutus fuit Salomon, hunc Ezechias, iſtum Iſaias, cæteríque Prophetæ, Reges & Pontifices, quorum ab exemplo poſteri in hymnis & canticis encomia Numinis perſonabant. Deindepius mos ſucceſſu temporum per Synagogas Hebræorum legem fecit. Videri poſſunt ſacræ paginæ libri, Regum, Paralipomenon, & alij.

5. Etymolopiam autem nominum, hymni, pſalterij, cantici, & eorundem ſignificationem, autores diverſimodè referunt. Pſalmus â pſallendo Græco dicitur: Pſallere enim apud iſtos idem eſt, quod inſtrumenta muſica pulſare. A. Gell: lib: 19. cap: 9. *Iulianus deſideravit exhiberi, qui canerent voce, & qui pſallerent.* id eſt: qui inſtrumenta muſica pul-

ſarent. S. Hieronymus hymnos á pſalmis & canticis ad hunc modum diſtingvit *hymni*, inquit (*d*) *ſunt, qui Dei fortitudinem & majeſtatem prædicant, & ejuſdem ſemper vel beneficia vel facta mirantur: quod omnes pſalmi continent, quibus Alleluja vel propoſitum vel ſubjectum eſt. Pſalmi autem propriè ad ethicum locum pertinent: ut per organum corporis, quid faciendum, & quid vitandum ſit, noverimus. Qui verò de ſuperioribus diſputat, & concentum mundi omniúmque creaturarum ordinem atque concordiam, ſubtilis diſputator ediſſerit, iſte ſpirituale canticum canit.* & S. Auguſt: *in Pſalm:* 72. hymnum vocat, *cantum in laudem Dei.* Certum tamen eſt ex ſcriptura ſacra, ſæpe unum pro altero ſubintelligi: ſic Paulus ad Coloſſ: cap: 3. v. 16. *verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia, docentes & commonentes voſmet ipſos in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo:* & ad

(*d*) *apud Cornelium à Lapide in Epiſt: ad Epheſios cap:* 5. *v.* 19. *mihi tom:* 9. *pag:* 530. *col: B. ſub Lit: C.*

& ad Epheſ: cap: 5. v. 19. Paſſim etiam iſta tria â SS. Patribus pro divina laude ſumuntur: quemadmodùm apud S. Baſilium (*e*), *pſalmus eſt vox Eccleſiæ, Angelorum opus, cœleſtis Reipub: ſpirituale adornamentum.* Verùm ſatis de vocibus.

6. Uſum ſacrarum odarum in Eccleſia receptiſſimum ſi ſpectes, indubitatum habes apud omnes; quia plures è majoribus noſtris (*f*), „non tantùm rexerunt populum, eúmque docuerunt legem „Dei, ſed in ſua peritia & ſcientia invenerunt modos muſicos, Deum laudandi & „celebrandi; ac enarrârunt, dictârunt, & „compoſuerunt carmina ſcripturarum. „Id eſt: carmina jam in ſacra ſcriptura, „præſertim in pſalterio deſcripta: ut hâc ratione populum in Dei cultu firmarent, eúmque laudare, invocare & adorare docerent. Tales erant Sancti Pontifices, Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Magnus, qui pſalmos in cantum redegit, hodiéque cantum Gregorianum in

(*e*) *S. Baſilius in procemio ſuper pſalmos.* (*f*) *Cornel: à Lapide ſup: Eccl: c. 43. v. 2.*

in Eccleſia celebrem amplectimur. S. Damaſus, Clemens Alexandrinus, Maximus, Syneſius, Amphilochius, Damaſcenus, Sophronius, S. Baſilius, á Gregorio Nyſſeno *aurea dogmatum aëdon* appellatus: S. Dionyſius Areopagita, â Chryſoſtomo *hom: de falſis prophetis: volucris cœli*, S. Ephrem, â Theodoreto *ſonora lyra Spiritûs Sancti*, dicti. Et S. Franciſcus ille Seraphicus, amicus Dei *(g)*. Imperatores quoque, Reges & Principes Saul inter prophetas, & David cum cantoribus, non deſunt, huic ſacro choro. Noriberga civitas Imperij, plurium Imperij Sacri *Regum & Cæſarum regalia paludamenta, variúmque ſacrorum apparatum habet (h); quibus induti Cæſares, Evangelium, ut Diaconi in ſacris canebant.* His non deſuit, amantiſſimus Boëmiæ, Pater Patriæ Carolus IV. & Princeps Spitigneus, Boëmiæ Dux, de quo in Eccleſia Pragenſi S. Viti, poſt ejuſdem S. Patroni noſtri majus altare, in capella ſuper pariete ſiniſtræ partis, antiqua tabula ſepul-

(g) *Apud Cornel: â Lapide ſup: Eccl: c. 43. v. 2.*
(h) *Balbini Arneſtus pag: 180.*

pulchro ſuperſcripta ſic legit: *Spitigneus Dux Brzetislai Ducis Boëmiæ primogenitus filius, Eccleſiæ Pragenſis promotor, almucio, ut vocāt, vario canonicali in horis canonicis decantandis, cum Canonicis in choro utebatur. Anno Chriſti 1061. mortuus; huc anno 1373. translatus.* Plura ſi velis amice Lector Pamelium Theologum inſpice, ſuper Oratione Dominica, Divi Cypriani, mihi fol: 273. col. B. num: 2. & alios (*i*)

7. *Magnam quoq́;* cum Auguſtino (*k*) *inſtituti hujus utilitatem agnoſcò, ut per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat.* Goropius Becanus lib: 8. Hieroglo: pag: 117. de alau-

(*i*) *S. Auguſt: lib. 4. confeſſ: cap: 6. 7. & 12. Item lib: 2. Retractat: cap: 11. Baſilius Magnus conc: ad Adoleſcen: Hieronymus in Ep. S. Pauli ad Epheſ: cap: 5. Nicephorus lib: 13. cap. 8 lib: 9. cap 6. lib: 11. cap: 12. & lib: 12 cap: 8. S. Iſidorus Peluſiota lib: 1. Epiſt: 90. Quodſi verò de ſacris Hymnis, olim in Chriſtianorum Agape uſitatis plura deſideres, Lege Cyprianum ad Donatum, Tertullianum in Apologetico cap: 39. Cornelium à Lapide ſup: Ecclíſ: c. 32. verſum 5. tom: 5. pag: 688. col: L B. tom: 8. ſup: Matthæi cap: 26. v. 26. pag: 317. A. B. Tom: 9. ſup: 1. Corinth: c. 14. v. 26. & ſup: Epiſt: Pauli ad Epheſ: c. 5. v. 19.* (*k*) *Auguſtin: lib: 10. Confeſſ: cap: 32.*

alauda, quemadmodùm à majoribus traditione accepit, ita refert: hanc aviculam quotidie ſepties in altum evolare, quò hymnos cantet ſuo creatori, dum canere vult; non arbores, etiam altiſſimas, non rupes aſcendit: ſed in aëre puro liberóque ſeſe de terra ſub cœlos attollens, odas quas magiſtrâ Naturâ didiciſſet modulatur, nos inſtruens, qualiter etiam ſepties in die laudem dicamus Domino, cum Pſalmiſta: non humiles; ſed ſuper omnem terrenam cogitationem ſublevati totóque ſpiritu in Deum intenti. Luſcinia quoque continuis 15. diebus & noctibus ſine intermiſſione, ſemel in anno, Divinas laudes celebrat; teſte Plinio (*l*) *Tanta vox tam parvo in corpuſculo: tam pertinax ſpiritus. Deinde in una perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus, & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum: nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo: copulatur intorto: permittitur: revocatur: nunc in-*

(*l*) *Plin: lib: 10. cap: 29. Ariſtoteles lib: 8. de Natur: Animal: cap. 3.*

infuſcatur: breviterque omnia tam parvulis in faucibus: & in pectore firmitas, & in arte varietas, & in voce ſvavitas; ita quidem ut in terris vix aliquid ſvavius habeas, quod humanos animos in cœlum erigat. Quòdſi vocales has animas contempſeris, cum mellifluo Bernardo (*m*) ad Angelos provoco. *Quicunque fideliter, & intentâ mente pſalmos decantat quodam modo Angelis Dei ſociatur. Quomodo? Quia homo illum pro modulo ſuo laudat in terris, quem Angeli ſine intermiſſione adorant, & glorificant in cœlis.*

8. Admirabilem autem ſacrorum cantuum virtutem, & in ipſam hominis animam vim notabilem, audi ex S. Iuſtino Martyre q. 107. *excitat hæc cantio cum voluptate quadam animum, & flagrans ad ejus quod carmine celebratur, deſiderium: affectiones & concupiſcentias carnis ſedat: cogitationes malas inimicorum, quos cernere non eſt, ſuggeſtione orientes, amolitur: mentem ad fructificationem divinorum bonorum rigat: pietatis decertatores* gene-

(*m*) *De mode bene vivendi ad Sororem cap:* 52.

generoſos & fortes per conſtantiam in rebus adverſis efficit. omnium rerum quæ in vita triſtes, & luctuoſæ accidunt, piis affert medicinam. Luculenter id ipſum ingeminat Philo Hebræus lib: de Vict: offer: *cantus*, inquit, *verbáque ſanitatem & ſalutem afferunt: cantus quidem ex cantando paſſiones animi, & quicquid in nobis diſſonat, in concentum quendam redigendo, reprimendóque immodicos affectus certis modulis componat.* Fabula mundi ſunt Amphion, Thebanus, Arion Methymnæus, & Thracius ſophiſta ſolis incantationibus, ſaxa, feras, piſces, arbores ad ſe trahentes. Veriùs Apoſtolorum Princeps, etſi petrâ duriùs obriguiſſet, ad galli cantum tamen ſolutus in pœnitentiæ lacrymas, ad Chriſtum & vitam redijt. Auguſt: ipſe de ſe ſic habet. *Confeſſ:* lib: 9. cap. 6. *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter! voces illæ influebant auribus meis: & liquebatur acritas tua in cor meum: & ex ea æſtuabat affectus pie-*

tatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. in hymnis, inquit, & canticis Eccleſiæ ſonantis, lapideum cor Auguſtini eliquabatur per oculos, & effluebat in omnem ſanctitatem: quo citius excreſceret in altiſſimum Eccleſiæ Præſulem. *Vide quantum potuerit*, Clemens Alexandrinus ait (*n*) *novum canticum; hominem ex lapidibus, & homines fecit ex feris.*

9. Illud admirabile deſumptum ex libro Ioſue cap: 6. v. 20. *omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox ſonitúsq; increpuit, muri illico Ierichuntini corruerunt.* Septuaginta verò in editione Romana ſic legunt. *Et clanxerunt tubis ſacerdotes: ut verò audivit populus tubas, jubilavit univerſus populus jubilatione magnâ* (*o*). Sic etiam Origenes hom: 7. *Beatus populus* inquit, *qui ſcit jubilationem. Quare vociferatio populi concors & unanimis jubilatio quædam fuit, & vi-*

(*n*) *Adhortatione ad gentes* (*o*) *Gloſſa interlinearis, & ordinaria ſup: hunc locum, eandem explicationem habent.*

ctoriæ acclamatio per modum hymni aut gratiarum actionis; ut meritò dici beatus hic populus valeat, quippe qui ſciat jubilare. Huc etiam oportunus Ambroſius lib: 1. de pœnitentia: *multi animi*, dicit S. Pater, *dum congregantur unanimes, fiunt magni, & multorum preces impoſſibile eſt contemni: quia (p), dum ſinguli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro ſingulis.* Recentius, & ſimile quidpiam habet Philippus Bosquierus (q): Cùm Robertus Capeti filius, Rex Gallorum, pius & doctus, neſcio quam Urbem Aurelianenſi vicinam obſideret, obſidionéque tantiſper intermiſſâ, ut feſtum neſcio quem diem religioſiùs celebraret, Canonico cuidam cantanti auxilio eſſet (muſices enim erat Rex ille peritiſſimus, & ſæpe cum Clero, etiam amictus ſacrâ chlamyde, cantare ſolebat) cùm tertium jam repeteret Agnus Dei, in miſſa ſolenni, nullâ ope humanâ mœnia Urbis corruerunt

(p) *S. Ambroſ: lib: de Abel cap: 9.* (q) *Bosquierus, tom: 2. operum in ſobrijs gentaculis concione 5. mihi pag: 1126. 1162. col: A.*

runt (*r*). In præſentiarum plura referri poſſent exempla, ſed exterorum: domeſtica verò loco ſuo memoranda relinquo, & ſalutari Divi noſtri Præſulis Adalberti cantico immoror.

10. Solicitus de hoc hymno, plures ubi ubi potui, & antiquitates, & viros doctos conſului: quæſivi non ſemel ſi vel authoritatem certam habere poſſem. Quendã etiam Reverendiſſ: in hiſtoricis eruditum Virũ poſteaquàm in alia materia hujus libelli adij, mentio cantilenæ præſentis incidit: & mihi quidem nõ ſine ſcrupulo. Quia cùm inaudijſſem eam cantionem, quam Sancto noſtro ſubſcribimus, non iſtius, verùm S. Cyrilli potiùs, aut Methudij Apoſtolorum Boëmiæ laborem eſſe, dubitationis etiam argumentum acceſſit: quòd multi ſcriptores ante nativitatem S. noſtri Woytiechi (ſcilicet ante CMXXXIX. reparatæ ſalutis annum) celebrem, & in bellis uſitatum

 fuiſ-

(*r*) *Hic ipſiſſimus Rex aliquas ſequentias, proſas, & reſponſoria compoſuit, & illam laudatiſſimam ſequentiam Veni S. Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium, & c. ita Trithemius teſtatur.*

fuiſſe (s) ſcribant. Hunc hymnum SS. Cyrilli vel Methudij fuiſſe non nego: Slavicè enim locuti ſunt, & Slavorum Apoſtoli fuerunt. Verùm quis iſtius hymni textus aut melodia fuerit, reperire nunquàm potui. Alterum autem canticum, cujus hìc exemplar ſubijcimus, non aliûs, quàm Divi noſtri Præſulis inventum eſſe, communiter Boëmici Scriptores teſtantur (t). Metropolitana Sancta Pragenſis Eccleſia hunc ipſiſſimum hymnum, velut præſentiſſimum ad impetrandas pluvias remedium, antiquitus ad ſepulchrum S. Woytiechi decantare morem habuit; & etiam ad hæc noſtra noviſſima tempora, maximè tempore Paſchali, per omnes Dominicas, & Fe-

(s) *Coſmas Chron: pag: 15. A. 967. in fine. Hagecius fol: 85. pag: B. intio, loquuntur de tempore Dithmari Epiſc: 1. Boëmiæ. Antiquioribus etiam temporibus hanc cantilenam memorant Vrſpergenſis, mihi pag: 194. in fine. Brotzuſſius ad annum 933. Reginon ad annum 934. etiam Buchholcerus. Thomas Iordanus ſup: 4. lib: Dubravij: Cranzzius in Saxonia, &c.* (t) *Hagecius in multis locis Dubravius in hiſtoria Boëmica. lib: 6. & ſeq. Paprocżky, de Epiſt: in S. Adalb: Drauſchovius in vita, Balbinus in Arneſto, pag: 61. in fine, pag: 199. §. vulgus Boëmorum.*

Canticum S. ADALBERTI Mart: Pragenſis Epiſcopi, inclyti Boëmiæ Regni tutelaris Patroni, Lybiczij in Domo Paterna A. 972. ab ipſo compoſitum, & devotè canentibus 40. dierum Indulgentijs ab eodem Sancto donatum.

Pjſeň S. WOGTJECHA Mučedlnjka/ Pražſkého Biſkupa/ Slawného Králowſtwj Cžeſkého Dědičného Patrona, w Městě Lybicy na Hrabſtwj Otce geho/ Léta Páně 972. od téhož Swatého ſložená/ a 40. Dnůw

Odpůſtky nadaná těm kteřjžby gi nábožně zpjwali.



A. M. D. G. & S. ADALBERTI honorem, reimprimi fecit M. B. B. D. H. ad S. Adalb: N. V. Prag: Cur: A. D. 1668. 2. die Mens: Aug:

Feſtos dies ſolennes, ad finem cantati Sacri religiosè celebravit; uſque ad annum 1653. aut quinquageſimum quartum, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus, Dominus Simon ab Horſtein, Archi-Epiſcopus Trapezuntinus, Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Principis Cardinalis ab Harrach, DD. noſtri Clementiſſimi Suffraganeus, Metropolitanæ Pragenſis Eccleſiæ Præpoſitus hymnum ejuſdem Sancti Pontificis Adalberti, ante viginti annos, honori Divi Patroni, Boëmicæque benedictionis incremento, typis in lucem reddidit; & ſancto Autori ſuum titulum præfixit: quem etiam Anonymus Brzevnovienſis M. S. paulò pòſt citandus, licet notis multum diverſis, textu quoque non ex toto convenienti, *Hymnum Sancti Adalberti* nominavit. Idcirco de prænominato cantico cujuſnam ſit autoris, nihil ſupereſt quod ambigas.

11. Quinimò, tanquàm certiſſimum, ſibi perſvadeant Indigenæ, nullum in toto Boëmiæ Regno canticum extare patrium, domiquc natum, quod autoritate

ſuâ ſit majus, gratijs abundantius, & pro ſupplicibus apud Deum efficacius, quàm iſtud Adalberti, Sancti Patroni noſtri (u) Promiſit enim Deus aliquando Woytiecho ſuo, teſte Hagek (w), nunquàm ſe deinceps futurum Boëmis inimicum; neque cœli pluvias cohibiturum impoſterùm, ſi prædictum hymnum celebrarent. ſolùm à peccatis, maximè mortalibus, abſtinerent. Magna certè Boëmis promiſſio; modò pura ſuccedat oratio! Epicteti verba, quæſo audiamus, & ſtupeamus ad ea, an & rubeamus? utrumque (x). *Si ſani ſimus, quid aliud nobis agendum, & publicè & privatim, quàm Numen celebrandum, & laudandum, & gratias perſolvendum eſt? Nonne & inter fodiendum, & arandum, & edendum, hymnus hic cantandus eſt Deo? hæc ſingulis in rebus cantanda ſunt: & Hymnus diviniſſimus cantandus*, & mox, velut ex inſtinctu, proclamat: *ſi luſcinia eſſem, lu-*

(u) *Brzevnovienſ: Anonym: in 3. notabili.* (w) *Hagek fol: 89. pag: B. lin: 2.* (x) *Vide Iuſtum Lipſium Phyſiologiæ Stoicorum lib: 1. diſſert: 21. in fine, mihi tom: 4. pag: 566. col: 2. in medio.*

luſciniæ munus fungerer; ſi olor, oloris. Nunc, cùm rationale animal ſim, Deus mihi laudandus. Hoc meum munus eſt, hoc facio. Neque ſtationem hanc deſeram, quoad licuerit, vóſque ad eandem cantilenam hanc exhortor. Amplius aliquid mellifluus Bernardus Serm: 7. in Cantica. *Attendite*, inquit, *principes veſtros* (Angelos) *cùm ſtatis ad orandum, vel pſallendum, & ſtate cum reverentia, & diſciplina; & gloriamini, quia Angeli veſtri quotidie vident faciem Patris. Vſurpemus officium, quorum ſortimur conſortium. Et quid beatius*, verba ſunt S. Baſilij (y), *quàm hominem in terra concentum Angelorum imitari?* Bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui ſit, ait Iſaias (z). *alioquin ingratus reputabitur, cùm diſcuſſio venerit, qui non poterit dicere Deo: cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Pſal: 118. v. 9. (a).

12. Adesdum Eccleſiarum Boëmiæ Literatorum devotiſſima Sodalitas; & Cantico Sancti Patroni tui, vocem com-

(y) *S. Baſilius Magnus Epiſc. 1. ad Gregorium Nazianz:*
(z) *Iſaias c. 27. v. 16.* (a) *S. Bern: Serm. 1. in Cantic.*

moda. Quotquot etiam, in hoc inclyto, Regno, Templa Numinis Angelicis cantibus exornatis, & ſacras odas in Dei laudem concinitis, hoc dulce melos, etiam ante ſæcula ſuperis amatum, reſumite *Principes & Iudices Terræ: juvenes & virgines, ſenes cum junioribus laudate nomen Domini* (*b*). Iſtud Canticum, & ejus autorem, Boëmiæ Patronum, Boëmi diligite; frequentate: & unà benedictionem Patris, filij expectate. Novitium nihil adfero, ſed annoſum & vetus: idcircò fortaſſis non omnibus ad ſalivam, & guſtum hodiernis quibuſdam; quandoquidem, apud aliquas leves animas,

Nunc antiqua jacent, novitas inſana probatur;
Vt larvæ, Sancti deſpiciuntur Avi.

Sed quid ad hiſtriones ejuſmodi, ſaltibus magis quam Divinis laudibus accomodis, cœleſtis iſte jubilus, annis & autoritate ſuá gravis? Vos, vos iterum, quibus vera pietas cordi eſt, puriores muſici cum Epicteto, ſedulus exhortor, a vos reſpicite.

(*b*) *Pſalmus* 148. *v.* 11. & 12.

te. Triginta tres ſupra trecentos annos numero, quod Udalricus de Pabienicz (*c*), Voracziczkyanæ Familiæ Vir Nobiliſſimus, Iuris utriuſque Doctor, & Metropolitanæ Sancti Viti Pragenſis Eccleſiæ Canonicus temporibus Arneſti Primi, tunc adhuc ejuſdem Eccleſiæ Decani, vel adhortationibus, vel auxilijs *Maturarum* originem fecerit. Verùm alij ad ipſum Arneſtum, referunt. Balbinus (*d*) ita ſcripſit: *Arneſtus collegium quatuor & viginti Clericorum inſtituit (Sacerdotes duodecim, ſex Diaconi, totidem Subdiaconi, veteri Eccleſiæ ritu fuerunt) eorum unica cura, divina officia in S. Viti Templo peragere, manè in aurora unum de B. Virgine ſacrum canere, & cantu reſpondere; quod inſtitutum Arneſtus primùm literis, deinde Papa Clemens, bullis editis, confirmârunt. Atq; hinc ortum habet vetus illa apud hiſtoricos traditio, Arneſtum autorem eſſe*

per

(c) *Hagecius ad annum 1334. Paproczky. in ſtatu Equitum pag: 29. in fine Arneſtus Balbini, lib: 2. c. 7. in notis, pag: 133.* (d) *Vetuſtus Codex & Traditio, quam ſequitur. Georgius Crugerius, Soc: Ieſu, & ex his Balbinus. Arneſti, lib. 2. caq.|1. pag: 83. ad finem, vide etiam lib: 2. c. 7. pag: 129. initio,*

per Boëmiam ſacri matutini ſub auroram (*quod* Maturam *vocant*) *canendi*, *quod in multis Boëmiæ urbibus hodieque bono more ſervatur*, & iterum alibi (*e*). *Per plurimas Boëmiæ Civitates ea ſacra in aurora Dei Matris honori canuntur. Qui canunt*, Literatos *ſe*, *nomine antiquo appellant: eſtq́; illa congregatio*, *aut Societas potius*, *vetuſtiſſima*, *& alicubi ex legibus gubernatur*. In Roſenbergenſium Procerum ditione *Lomnicij*, *antiqua eſt* Literatorum *memoria*, *quam in manuſcriptis legi; valuit Lomnicenſium exemplum ad Novo-Domenſes*, *inſtitutiq́;* Literati, *quibus Henricus de Nova-Domo confirmationem privilegiorum à ſummo Pontifice*, *certasq́; indulgentias circa annum Domini 1490. legitur impetrâſſe.* Vetuſta quid memorem? defactò, præter ſupra nominata loca, Praga Metropolis, Plznenſis Urbs, Guttenberga, Budvicium, Clatta, Tuſta, Trebona, cæteræque Boëmiæ Civitates, nec non celebriora quædam oppida, morem hunc

(*e*) *Balbinus in Arneſto. lib: 2. cap: 7. in notis pag: 133. in fine, & ſequenti.*

hunc ſanctè ſervatis; & *Maturas* per veſtros *Literatos*, matutino tempore Dominicis & feſtis diebus in Parochialibus Eccleſijs in hunc uſque diem celebratis. Ad vos igitur, qui continuè pijs mentibus, vivis & aſſis vocibus Deum collaudatis, potiſſimè reſpicio; & hunc Divi Præſulis hymnum recommendo. Patris & Patroni veſtri eſt, reſumite: & in *Maturis* veſtris hoc ſacro modulo Deum Regno propitium reddere maturate. Deus faxit, honor S. Patroni creſcat, & ex iſto ſacro pignore, aurea veterum Boëmorum ſæcula, cum benedictione cœleſti revertantur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Explicatio

HYMNI S. ADALBERTI PRAGENSIS EPISCOPI.

SVbſequens explicatio facta eſt per quendã Anonymum Familiæ Benedictinæ Religioſum, Anno Domini MCCCXCVII. in famoſiſſimo quondam Brzevnovienſi Monaſterio prope Pragam Urbem. Primò quidem autor præmittit ipſum hymnum ejuſdem Sancti, verùm à priori (quem citavimus, & in Metropolitana S. Pragenſi Eccleſia, à ſæculis uſitatum diximus) tam notis muſicis, quam vocibus diverſum: pulchrum tamen, & non multum à noſtro alienum. Eum honoris, & varietatis ergo ſubijcere neceſſarium credidi. Librum ſi deſideres, manu ſcriptus eſt: & habetur apud RR: PP: Soc: Ieſu Vetero-Pragæ ad S: Clementem, in Bibliotheca M: S: ſub numero 278.

Brzevnovienſis Anonymi Canticum ſic habet.

Hymnus ex Brzewnoviensi Anonymo



MBI BDH

Incipit Explicatio Brzevnovi-enſis Anonymi.

PRo vera ſcientia, & intellectu hujus Cantici S. Adalberti, interceſſione ejus, & adjutorio divino, novem ſunt attentiùs hic notanda.

1. Notandum eſt quòd ſequentia verba quæ Ieſus Sirach Eccliſ: 39. v: 12. de Sapiente in comuni ſcribit, Epiſtola (*a*) Miſſæ Feſti S. Adalberti, in ipſum S. Adalbertum ſpecialiter reducit, dicens: collaudabunt multi ſapientiam ejus, & uſque in ſæculum non delebitur. *Nam ſi non omnes ut leves & mundani homines, tamen multi devoti & ſtudioſi collaudant ſapientiam S: Adalberti, in iſto ejus cantico tam ſubtili, in verbis brevi, ſed in ſenſu & utilitate ponderoſo: & ſapientia S: Adalberti in eodem cantico non delebitur in æternum.* Nam ſperandum eſt, quod ob merita ejus, hoc canticum durabit uſque ad conſummationem ſæculi; & hujus bonum ſignum eſt, quia continuè in Synodis Pragenſibus Archi-Epiſcopus præcipit per ſuos, quatenus id canticum ſingulis diebus Dominicis, & feſtis præcipuis populus in parochijs diæceſis ſuæ cantet in Eccleſijs, quod & fit in cir-

(*a*) *Revocat ſe ad Miſſale Boëmicum, antiquum.*

circuitu, in Miſſa & ante prædicationes, *ex hoc præcepto, & ex antiqua & laudabili conſvetudine; ſecundùm quod ibidem infra in Eccliſ: 39. 14, dicitur :* Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enunciabit Eccleſia. Et in cœlo hoc canticum inter alia opera bona S. Adalberti, in perpetuis prœmijs remanebit, ſecundùm illud verbum Apoc: c. 14. Opera enim illorum ſequuntur illos.

2. Notandum eſt quia Ariſtoteles 1. Philoſophicor: ipſe hoc dicit: Tunc unumquodque ſcire arbitramur, dum cauſas ejus cognoſcimus. Cauſa igitur efficiens hujus cantici, communi modo loquendi, fuit S. Adalbertus, ſcilicet ratione ſuæ primæ compoſitionis & inventionis, nam ipſe poſt Deum primus hoc Canticum effecit, id eſt eſſe fecit: & ideo dicitur Canticum S. Adalberti.

3. Notandum eſt quod hoc Canticum eſt eò ſanctius, dignius, famoſius, quia habuit compoſitorem, ſeu authorem doctum in ſcientia, dignum in ſanctitate, & Epiſcopum in authoritate. *Nam S. Adalbertus fuit ſtudens Magdeburgenſis, Monachus Romanus & Brzevnovienſis, & Epiſcopus Pragenſis;* qui hoc canticum Dei, ſuâ ſcientiâ compoſuit: Sanctitate dignificavit: authoritate Epiſcopali roboravit: ac ſalubribus indulgentijs dotavit: & quicunque id devotè cantaverint, ſin-

gu-

gulis 40. dies indulgentiarum donavit. *Et ultimò, hoc canticum, martyrio ſuo coronavit; & ut dicitur* caput ejus decollatum ipſum cantavit: ſcilicet quando corpus ſuum, tranſiens de una parte Pruſſiæ in aliam, in pallio id portavit.

Dignitas Sanctitatis S. Adalberti ortum habuit, tam à radice parentum naturali, quàm gratia Dei ſpeciali: nam legitur in legenda ſua quod ejus fuit bonus pater, melior mater, optimus ex eis ipſe filius ſacer. Hoc etiam apertè oſtendunt nomina eorum interpretatione ſuâ totam Dei laudem redolentia. Nam Pater S. Adalberti vocabatur Slavnik, quaſi pſallitimus, *vel potius glorificans:* quia Deo frequenter pſallebat. Et mater ejus vocabatur Strziezyſlawa, quaſi cuſtodiens laudem, *aut cuſtodiens gloriam:* quia temporibus debitis laudabat Deum. Sed S. Adalbertus binomius fuit, nam baptiſmale nomen ejus eſt Woytiech, quod interpretatur quaſi exercitum ſolans, id eſt conſolans; quia tempore perſecutionis fideles Chriſti conſolabatur, eos in fide & patientia confortando. Secundum nomen ejus eſt Adalbertus, quod ſibi in confirmatione eſt impoſitum in terra Teutonica, & eſt compoſitum ab *ad* propoſitione latina, & Allbrecht Teutonicè: quod eſt omnia frangit; ſignificans quòd S. Adalbertus in eadem con-

confirmatione accepit robur Spiritûs Sancti, ad frangendum & debellandum omnia, quæ ſuæ & hominum adverſabantur ſaluti: ſicut poſtea & faciebat. Hæc autem dictio Al-brecht/ componitur ex corrupto & integro. *Caſtrum autem in Boëmia & villa patrimoniali ejus, ubi parentes ipſius S. Adalberti reſidebant*, & nunc requieſcunt, *vocatur Lybicze quaſi placentiæ*, quia, illi juſti habitatores ejus, multùm placebant Domino Deo.

4. Notandum eſt, quòd cauſa *materialis*, ſeu objectum hujus cantici, ſeu ſubjectum, circa quam hoc canticum tanquàm circa materiam ſuam & objectum ſuum verſatur, & ferè totum in petitione exiſtit ſicut in ſubjecto ſuo, ſimilitudinaliter tamen loquendo. Cauſa *formalis* hujus cantici ſimiliter metaphoricè & communiter loquendo eſt debitus ordo ejus, qui in duobus conſiſtit; ſcilicet in diviſione ipſius, & in modo declarandi ipſum. Cauſa autem *finalis* ejus eſt illa res, ad quam ordinatum eſt ipſum canticum, & hæc eſt duplex. *Interior* ſcilicet, ut ſciamus petitiones illius, & per eas petere; *& exterior*, ſcilicet ut neceſſaria impetremus per ipſum: quibus obtentis, ut ulteriùs per cæteros debitos medios fines ad ultimum beatitudinis finem perveniamus. Intentio S. Adalberti fuit, petitiones congruentes noſtris neceſſitatibus in hoc cantico ponere, Cauſa *movens* poſt Deum,

 & uti-

& utilitatem petentium (quare hoc canticum compoſuit) fuerunt guerræ (*b*) magnæ, & fames valida in terra Boëmiæ, pro tempore illo. Utilitas hujus cantici eſt: quia per id poſſumus petere pro omnibus neceſſarijs noſtris, tam Spiritualibus, quàm corporalibus. Canticum S. Adalberti, quod incipit: Hoſpodine pomilůg ny. Nam titulus dicitur â Titan græcè, quod eſt Sol Latinè: ergò ſicut Sol aërem, ita iſte titulus hoc illuſtrat canticum.

5. Notandum eſt, quòd hoc canticum cujus ſubjectum eſt petitio, & incipit Hoſpodine pomilůg ny. Primâ ſui diviſione, dividitur in duas partes. Primò S. Adalbertus poſtulat divinam miſerationem. Secundò reſumit ſuam poſtulationem, ſecundùm illud in fine Krleſs/ Krleſs/Krleſs. Adhuc prima in duas: Primò facit petitionem ad Patrem. Secundò ad Filium, ſecunda ibi Ježu Kryſte. Circa primam partem S. Adalbertus dicit ſic: Domine Sancte Pater cæleſtis fac miſerationem tuam nobiſcum in neceſſitatibus noſtris: ubi ſciendum eſt primò; quòd hæc duo nomina in Boëmico Hoſpodin/a Pán/ ſecundùm proprietatem ſignificationis, differunt inter ſe: quia Hoſpodin/ ſignificat Dominum cœleſtem, ſed Pán/ proprie ſignificat Dominum terreſtrem: tamen, ex uſu frequenti, jam Pán/ vocatur Dominus cœleſtis: ut in Symbo-

(*b*) *Per guerras bella ſignificat.*

Symbolo Apoſtolorum dicitur Pána naſſeho Jezu Kryſta / & communiter dicitur Pán Bůh Nebeſký. Secundò ſciendum eſt, quòd hæc dictio Hoſpodine / in principio hujus cantici non debet dici in nominativo ſic: Hoſpodin. ſed debet dici in vocativo ſic: Hoſpodine; & hoc poteſt probari triplici ratione. Prima ratio hujus eſt, quia S. Adalbertus ſermonem hujus cantici loquitur immediatè ad Deum, tanquàm prima Perſona ad ſecundam, ſicut patet ex ſequentia; nam poſteà non dicitur in nominativo Jezus Kryſtus/nec dicitur Spas / ſed dicitur in vocativo Jezu Kryſte / & Spaſe / & ex quo prædicta dictio cum iſtis, unum & eundem ſermonem loquitur: ergò ipſa cum eis etiam debet dici in primo, in vocativo Hoſpodine pomilůg ny / Jezu Kryſte pomilůg ny. Sunt illæ dictiones Græcæ, quæ in miſſa latina canuntur, ſcilicet Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, & hæc ſic exponuntur: Kyrie, id eſt Domine & Chriſte; & eleiſon miſerere: & aliquando additur ymas, quod eſt nobis. Igitur ſicut hic iſta dictio Kyrie, id eſt Domine, in Vocativo dicitur, ita & iſta dictio Hoſpodine/ in primo ſibi in ſignificatione æqui valens, debet dici in Vocativo. Tertia ratio eſt quia poſteà in hoc cantico binâ vice prædicta dictio dicitur; & utrobique in Vocativo dicitur Hoſpodine. Ergo primo loco debet dici in Vocativo, ex quo ſub eodem ſenſu ſtat cum illis ſequentibus in textu;

 & ideò

& ideò patet, quòd malè & corruptè dicunt, qui eam proferunt vel ſcribunt ibidem in Nominativo, dicentes: Hoſpodin pomilůg ny; & non in Vocativo: Hoſpodine pomilůg ny. Sequitur Jezu Kryſte: hic S. Adalbertus facit petitionem ad Filium, & dividitur in duas partes. Primò dirigit petitionem ſuam ad ipſum in generali. Secundò deprecatur eum in ſpeciali, ſecundùm illud: Tys Spaſe / quantùm ad primam partem, ſicut ad Patrem oraverat, ita & ad Filium orat, dicens: Ieſu Chriſte, fac miſerationem tuam nobiſcum in neceſſitatibus noſtris. Ubi ſciendum eſt primò, quòd hìc S. Adalbertus duas petitiones facit, & unum poſtulat, ſcilicet miſerationem; quia Pater & Filius duæ perſonæ ſunt; & unus Deus, ſicut ipſe Dominus Ioan: 10. dicit: *Ego, & Pater unum ſumus.* Secundò ſciendum eſt, quòd Ieſus eſt nomen Hebraicum, & ſignificat idem quod Salvator, quia ut Matth: 1. dicitur: *ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Tertiò ſciendum quòd Chriſtus eſt nomen Græcum, & eſt idem quod unctus; quia ipſe eſt *unctus oleo lætitiæ peæ participibus ſuis*, Pſal. 44. & unctione Spirituali; nam anima ejus beatiſſima, ab inſtanti creationis ſuæ, fuit repleta omnibus gratijs, virtutibus & ſcientijs ſuper omnes alios, ut dicitur Ioan: 3. *quia datus eſt ei Spiritus Sanctus non ad menſuram.* Et cap. 1. S. Ioannes de ſe ipſo dicit: *vidimus eum plenum*

gra-

gratiæ & veritatis. Sequitur ty Spaſe / hic S. Adalbertus dirigit petitionem ſuam ad Ieſum in ſpeciali ; & dividitur in duas partes. Primâ captat benevolentiam Salvatoris : ſecunda optat bonum Salvationis,ſcilicet ibi, Spaſſy ſmy. Circa primam partem provocans Salvatorem ad piam exauditionem, dicit; Domine Ieſu Chriſte credimus & confitemur, quia tu es Salvator totius mundi. Ubi ſciendum eſt primò, quòd nos Boëmi,& genere & linguâ, originaliter proceſſimus â (*c*) Charvatis, ut noſtræ Chronicæ teſtantur ; & ideo noſtrum Boëmale idioma, de genere ſuo, eſt Charvaticum idioma, nam præcisè Charvaticum idioma nobiſcum intravit ad iſtas ſylvas,& ad hæc deſerta, quæ adhuc in nullius hominis Dominio & poſſeſſione fuerunt, ſed in ſolius Dei ; & ex illis, gravi labore noſtro, extirpavimus nobis hanc Boëmiæ terram, quæ jam propter peccata noſtra deſtruitur (*d*). Deus juſtus judex miſereatur noſtri & S. Adalbertus. Et ideo in principio omnes Boëmi, in hac terra loquebantur præcisè, ut loquuntur modò Charvati ; ſed illud primum Charvaticum idioma hujus terræ remotè abiens huc, à ſua Charvatica terra, per diverſos & longos temporis ſucceſſus, ita eſt in ſe immutatum in terra, quod jam multa aliter loquuntur, quàm Charvati ; & quàm

(*c*) *Charvatis, intelligendum eſt Croatis, Boëmizavit hic autor.* (*d*) *Cautè hic legendus erat autor, ideo ſecuritatis gratiâ paucula prætermiſi.*

quàm ante nos Boëmi in hac terra loquebantur. Sed fluente tali immutatione idiomatis noſtri, S. Adalbertus, ſuo tempore, adhuc invenerat aliquid de Charvatico modo loquendi: & componens iſtud canticum, compoſuit id in eo ſermone, quem tunc invenerat; & qui tunc communiter eminebat, aliqualiter adhuc modo Charvatico; & ideò in hac præſenti particula ſunt duo vocabula Charvatica, ſcilicet Spaſe / Myra; quæ propter prædictam immutationem idiomatis noſtri jam non ſunt nobis modernis Boëmis nota, & quoad uſum, & quoad intellectum. Et imò jam indigent declaratione, notis; tanquàm alia Latina vel Græca. Propter quod ſciendum eſt, quòd Spaſe: eſt virtus hujus nominis Spaſe; & eſt idem quod Salvator. nam ubi nos moderni Boëmi Salvator dicimus Spaſytel/ ibi antiqui Boëmi dicebant Spas in Nominativo, & Spaſe in Vocativo, hâc literâ S: utrobique in ſuo forti ſono prolatâ. Secundò ſciendum eſt, quòd hæc dictio Mira/ eſt genitivus hujus nominis Mir/ & in Boëmico, & in Charvatico ſermone ſunt etiam nomina æquivoca. ſicut iſta: Prſt ſignificat duo, quia Prſt eſt inimica terra; & Prſt eſt membrum in manu, ſcilicet digitus. Ita etiam iſta dictio Mir apud Charvaticos eſt æquivoca ad duo ſignificata, uno modo Mir eſt idem quod mundus ſeu ſæculum, quod nos dicimus Swět; alio modo idem eſt quod pax. Et hanc æquivocationem & ſignifica-

ca-

cationem hujus nominis Mir / poſſumus probare per terminum Charvaticum Agnus Dei, quod ipſi in miſſa ſua præciſè, iſto tenore dicunt, ſcilicet Aganče Bozy bozemle y grechy mira/dey nám mir: quod exponitur ſic. Aganče Bozy id eſt agnus Dei, bozemle tollis, y/ id eſt, qui; quia ipſi poſtponunt qui; grechy mira / id eſt peccata mundi; dey nám mir / id eſt dona nobis pacem. Et qui vult, poteſt hoc Pragæ apud Slavos*(dd)* experiri, & ideò ſicut in hoc agnus Dei, Mira in primo loco eſt idem quod mundi, & Mir in fine ejuſdem idem quod pacem. ſic in iſto cantico S. Adalberti, Mira in primo loco eſt idem quod mundi, & mir in fine ejus eſt idem quod pacem: & iſto modo S. Adalbertus Mira in hoc cantico poſuit, & Boëmi ſui temporis loquebantur & intelligebant. Tertiò ſciendum eſt, quòd ubi jam per ignorantiam & errorem, in cantico dicent wyſſyeho / id eſt ſuperioris, ibi per veram poſitionem S. Adalberti *(e)* wſeho / id eſt totius; quod eſt adjectivum ejuſdem nominis, ſcilicet Mira in genitivo caſu, & eſt verus ſenſus hujus particulæ, ty ſpaſe ſwého Mira / id eſt, tu Salvator totius mundi, id eſt, generis humani; & hoc textu & ſenſu poſuit eam S. Adalbertus à principio in cantico. Hoc tamen pleniùs declarabitur infra in 5. & 8. notabilibus. Sequitur Spa-

(dd) Subintelligit autor Eccleſiam S. Hieronymi Novæ Vrbis in Emmaus.

(e) Senſus eſt imperfectus, puto ſic legendum, ibi per veram poſitionem S. Adalberti ponendum erit wſſeho.

ſŷž ný. hic S. Adalbertus optat bonum ſalutis & dividitur in duas partes. Primò, petit pro neceſſarijs ſpiritualibus. Secundò, precatur pro indigentijs corporalibus. Secunda ibi: ÿ wſſÿſš Hoſpodine. Quantum ad primam partem S. Adalbertus cum præmiſſione captationis benevolentiæ dicit: Domine Ieſu Chriſte, ex quo tu es Salvator, ideò ſalva, & ex quo es Salvator totius mundi, ergò ſalva nos exiſtentes in mundo: & ſalutem nobis operare hìc in mundo, ut ſalvi ſimus in cœlo. Ubi ſciendum eſt primò. Quòd S. Adalbertus brevibus verbis ſcilicet Spaſÿž ný / petit pro omnibus neceſſarijs Spiritualibus, quæ pertinent ad ſalutem hominum, quia ſalus eſt neceſſitas Spiritualis, & petentes pro ſalute, petimus pro omnibus Spiritualibus, quæ ordinantur in ſalutem, ut in *Pater noſter* oramus brevibus verbis dicentes: *adveniat regnum tuum*, & non ſolùm per hæc verba petimus pro his; quæ promovent noſtram ſalutem, ſed etiam pro amotione eorum, quæ contraria ſunt noſtræ ſaluti, ut S. Adalbertus per ea etiam rogabat amotionem *guerræ & famis in terra*, quæ impediebant eos liberè quærere ſalutem. Et S. Apoſtoli in periculo maris exiſtentes Dominum petebant, Matth: 8. dicentes: *Domine ſalva nos perimus*, quia ſi tunc perijſſent, non habuiſſent cum tantis meritis ſuam ſalutem, ſicut poſteà habuerunt per multa bona opera, prædicationes, &

me-

merita. Secundò ſciendum eſt, quòd hæc dictio ſpaſyž/ non debet terminari in hac particula ſic ſpaſy ſed in zz groſſius, quod additur ei ſic; ſpa-ſyž. quia in Boëmico tales additiones ipſius zz groſſioris verbi, in fine important majorem diligentiam & ſollicitationem actionis eorum; ut hic S. Adalbertus fecit, magis ſollicitans Deum ad diligentiam ſalvandi. Sequitur y wſſyſs Ho-ſpodine/ hic S. Adalbertus precatur pro indigentijs corporalibus, & dividitur in duas partes. Primò fundit precem ſuam ad Dominum Ieſum abſolutè: Secundò determinatè: ſcilicet ibi day nám wſſém/ circa primam partem quaſi præambulum in communi faciens ad ſequentem petitionem, dicit Domine Ieſu Chriſte exaudi voces noſtras, quibus ad te clamamus; quaſi dicat: imple deſiderium noſtrum quod ex corde in hac voce ad te dirigimus. Ubi ſciendum eſt, primò, quod Domin9 in cantu non attendat vocem, ſed bonam voluntatem, ex qua vox procedit; ſicut nec clamorem Ninivitarum & jumentorum ſuorum attendebat. Ionæ 3. ſed pœnitentiam ipſorum, quâ clamabant per ſe, & per jumenta ſua ad ipſum; nec in voce organorum, vel in ſono fiſtularum delectatur Deus, ſed in devotione canentium, vel procurantium cantari in eis ad laudem divinam, ut hi dicunt verſus (*f*).

Non

(*f*) *Hi verſus juxta Cornel: à Lap: ſunt Hypponenſis Præſulis Auguſtini.*

Non vox ſed votum: non cordula muſica ſed cor;
Non clamor, ſed amor cantat in aure Dei.

Et ideo quod dicitur Geneſis 8. *odoratus eſt odorem ſvavitatis.* Scilicet, quando Noë egreſſus eſt de Arca diluvio ceſſante, obtulit Deo ſuper altare pecora & volucres, non eſt intelligendum quod Dominus odoratus, id eſt delectatus fuiſſet in odore corporali illorum animalium, & avium cùm ex concrematione eorum potiùs fuit fœtor quàm odor: ſed odoratus eſt ibi Dominus Spiritualem odorem ſvavitatis, id eſt devotionem bonitatis ipſiusNoë, ex qua talia offerebat; Quia talia exteriora corporalia, quæ fiunt in laudem Dei, placent Deo in oblationibus, non ex ſe, ſed ex bonitate, fide, & devotione, facientium ea in honorem divinum. Sicut Geneſ: 4. *Reſpexit Deus ad Abel & ad munera ejus, quia ipſe fuit bonus,* ergò munera ejus fuerunt Deo accepta: *ad Cayn verò & ad munera illius non reſpexit, quia fuit malus,* & igitur munera ejus Deo diſplicebant. Sic & in propoſito S. Adalbertus petit: & Dominus audit ſolùm illas voces quæ ex devotione, & corde bono procedunt. Secuudò ſciendum eſt, quòd hoc verbum vſlyßi / eâdem ratione, ſicut ſpaſiß / non in i/ ſed in ß groſſiùs debet terminari, ut in præcedente particula in fine dictum eſt. Tertiò ſciendum eſt, quòd hic non debet dici Hlaſy nás wſſyech / ſed debet dici Hlaſy naſſye; quia commodiùs eſt dicere ſecundum, quàm pri-

primum; & tædium generaretur iterum, & citò in ſequenti particula repetere wſſyem. Sequitur day nám wſſyem. hic S. Adalbertus ex abſoluta petitione præcedentis particulæ, deſcendit in determinatam petitionem dicens: Domine exaudi voces noſtras, & da nobis omnibus ſaturitatem & pacem in terra. Ubi ſciendum eſt, primò quòd S. Adalbertus tribus vicibus hoc nomen Hoſpodine/ poſuit in iſto cantu, ſed ſemel ad Patrem, videlicet in principio cantici, & poſteà bis ad filium, per primum Hoſpodine in vocando, id eſt, deprecando Deum Patrem, & per alia duo Filium, qui eſt idem Deus & verus homo. Secundò ſciendum eſt, quòd hoc nomen Zizzy/ apud veteres Boëmos & tempore S. Adalberti erat in communi uſu, quod nobis modernis modò non ita notum eſt, & ſignificat ſaturalitatem terræ, id eſt, ſufficientiam neceſſariorum corporalium. Pro cujus tamen intelligentia advertendum eſt, quòd primi Boëmi has locutiones habebant in uſu, quia dicebant giezim/id eſt, comedere cupio, quòd latini dicunt eſurio, & inde dicebant giezy vel giezien: quod idem eſt, quod eſuries comedendi. Similiter dicebant zziezim/ per groſſius zz, id eſt bibere cupio, latinè ſitio. & inde dicebant zziezy vel ziżeń/ id eſt, ſitis bibendi. ſed modo alio, & viliori uſu per giezim/ in vulgari dicitur, vult mihi ſe comedere; & per zyezim vult mihi ſe bibere; ſed utinam hâc vili-

litate loquendi dimiſsâ, ad priorem & debitum uſum redirent, & jam ampliùs in Boëmico dicerent: giežim/ pro eſurio, & žiežžym pro ſitio. Tamen adhuc moderni Boëmi retinent aliquid de dicto priori modo loquendi, dicentes: mám žiež/id eſt, habeo ſitim; nápog žežiwého/id eſt, pota ſitientem. Sed ſicut cùm homo ſitit habet ſitim: ita per ſimilitudinem, cùm terra præ nimia ſiccitate ſcindebatur, ſicut & modò fit, dicebant priores Zemye weliku žžiežy má/ id eſt terra magnam ſitim habet; vel Zemye geſt welmi žžyežiwá/ terra eſt valde ſitibunda, ſeu ſitiens pluviam, ut ea potaretur in tali ſiti ſua. Sed cùm terra habet ſufficientem temporaneam pluviam, tunc ſufficienter producit nobis ſegetes, herbas, arbores; & animalia noſtra, & altilia habent quod comedant & bibant; & tunc nos homines habemus ſaturitatem in terra, & ex terra. Et ſicut hæc dictio *neceſſitas* aliquando ſignificat defectum rerum, ut dicendo: iſte eſt in magna neceſſitate: id eſt paupertate, & aliquando per oppoſitum ſignificat ſufficientiam rerum dicendo: iſte habet bonam neceſſitatem, id eſt dives eſt, ſic apud veteres hæc dictio žžiežy/ aliquando & propriè ſignificabat defectum potûs, ſicut & nunc ſignificat; & aliquando tranſumptivè apud eos ſignificabat ſufficientiam potûs, & tunc ſub iſta ſecunda ſignificatione, abſtulerunt ſibi per ſyncopen hanc litteram [e] dicentes žžyžy

pro

pro žiežy: & conſtituerunt ipſum ſic ſyncopatum, ut ſignificaret, non jam defectum, ſed ſemper ſuffectum, & non ſolùm ſufficientiam potûs, ſed etiam nutrimenti, operimenti, & totius neceſſitatis corporalis. Et ita venit, quod žyžy/ ſignificat ſufficientiam, ſeu plenam ſaturitatem terrræ, & maximè quando omnia abundanter proveniunt de terra. Unde & ſolent vulgares dicere, kráſný žyžy wſecko yality hmyzi z Zemye: quando ſicut ſole caleſcente formicæ de terra, denſo ac copioſo, & vario motu nidum ſuum exeunt in æſtate manè, ſic naſcentia terræ, denſo & copioſo egreſſu de terra proveniunt, & hoc eſt žyžy. etiam dicunt žiežne Leto / id eſt, fertilis annus. Tertiò ſciendum eſt quòd žyžy/ vel ſatietas terræ, ſinè pace non bene valet, ideò S. Adalbertus addidit in cantico, *& pacem*, dicens: day nám žyžy a mír; nam, ut audivi ab antiquis hominibus, ad quos etiam per ſucceſſivas priorum relationes devenerat, quòd cùm eſſet valida fames & magnæ guerræ in terra Boëmiæ, & ſpecialiter etiam contra S. Adalbertum, & cognationem ejus, ab æmulis eorum: tunc S. Adalbertus congregans fideles Chriſtianos ad Lybicz patrimonialem villam ſuam, *velut dicitur, quòd tunc oppidum fuerit in diſtrictu Curimenſi ſitum, ibidem in Lybicz* hoc

canticum compoſuit; populum informavit, & cum populo illud cantavit ad Dominum Deum, ut famem & guerras averteret, & neceſſitatem & pacem in terra daret. Et ſic memorabile evenit, *quando hoc canticum compoſitum eſt, magnæ guerræ in Boëmia fuerunt tunc, & modo iterum poſt multa tempora magnæ diſſenſiones ſunt in Boëmia, cùm hoc idem canticum exponitur, ita quòd tam in compoſitione, quàm in expoſitione hujus cantici non eſt pax in terra Boëmiæ.*

Sequitur, Krleſs / Krleſs / Krleſs. Iſta eſt ultima pars hujus cantici, in qua S. Adalbertus reſumit poſtulationem ſuam ad totam S. Trinitatem, de omnibus ſimul petitionibus præcedentibus concludens, & dicens: Domine Pater, Domine Fili, Domine Spiritus Sancte, Sancta Trinitas unus Deus, miſerere petitionibus noſtris, in hoc cantico ad te directis; & exaudi eas. Ubi ſciendum eſt primò, quòd S. Adalbertus, tam in principio, quàm in fine hujus cantici, poſtulat miſerationem divinam, diligenti deſiderio ſollicitans ipſam ſuper neceſſitatibus ſuis, & populi: quæ ſemper & ubique eſt neceſſaria in hac vita. Secundò, ſciendum eſt quòd iſtæ dictiones Krleſs, non ſunt Charvaticæ, neque Latinæ, ſed ſunt Græcæ; nam Krleſs eſt idem quòd Kyrie eleiſon, quod Boëmi, in hoc cantico nimis ſyncopant, & apocopant, dicen-

tes ſ

res: Krleſs, pro Kyrie eleiſon, quas Latini in ſua miſſa canunt integrè; Et hic S. Adalbertus dicit ter Krleſs; tres Perſonas Sanctæ Trinitatis invocando. Tertio ſciendum eſt, quòd hæ dictiones Krleſs, ſeu Kyrie eleiſon, ſunt magnæ alicujus virtutis, quam nos ignoramus; quia dicit Gvilhelmus in rationali ſuo, parte quartâ tit: de Kyrie eleiſon, quòd cùm beatus Geminianus Kyrie eleiſon contra hoſtes clamaret, virtute ejuſdem dictionis, in Deo, quinque reges in bello in fugam convertit. Quantò magis hoſtes ſpirituales ſcilicet in quinque ſenſibus, ad peccata nos inducentes per Kyrie eleiſon fugabuntur, ſi in fide, & devotione id contra eos clamaverimus ad Deum? Et tunc exponatur littera hujus cantici per modum ſimplicis tranſlationis de Boëmico in Latinum ſecundùm ordinem ſuum ſic:

Hoſpodine pomilůg ny/id eſt Domine miſerere noſtri: Jezu Kryſte pomilůg ny: id eſt, Ieſu Chriſte miſerere noſtri. Tys ſpaſſe wſeho mira; tu Salvator totius mundi; ſpaſyž ny / ſalva nos, (g) y vſlyš Hoſpodine Hlaſy naſſe; id eſt: exaudi Domine voces noſtras, day nám wſſem Hoſpodine žžyžy a mir w Zemi; id eſt: da nobis omnibus Domine ſaturitatem & pacem, in terra, Krles; Krleſs, Krleſs, id eſt: Kyrie eleiſon, Kyrie elei-

(g) *Exemplum habemus in Krzezomyslio Ducis Vogeni ſeniore filio, quem Amici & conſanguinei Wny-slavum (quaſi dixeris, in nos redundantem gloriam) appellabant. Vide Hagekum fol: 37. pag: A. lin: 7.*

eleiſon, Kyrie eleiſon, id eſt: Domine miſerere, Domine miſerere, Domine miſerere.

6. Notandum eſt, quòd huic expoſitioni perſcripſi hoc canticum correctè, & præcisè eiſdem dictionibus & ſyllabis, quibus illud S. Adalbertus in principio ejus compoſuit, ut homines inſpicientes hæc ſcripta, per hunc textum correctè illud habeant, & per expoſitionem intelligant; & ſi quid in dictionibus, vel in ſyllabis, aut in ordine alicubi aliter, quàm in hoc textu invenerint, ut ſciant quòd id eſt corruptum, & non eſt jam compoſitio S, Adalberti, & ex iſto corrigatur in monaſterio Brzevnovienſi. Et bonum eſſet quòd hoc canticum ſacerdotes in prædicationibus ſecundùm hunc textum, ſicut pater noſter populo ad invicem ſciendum diebus feſtivis pronuntiarent, & ſcholaribus in ſcholis ſicut hymnus, vel alius auctor ob amorem S. Adalberti Patroni noſtri legeretur: nam res quantò magis â ſuo primo principio elongatur, tantò magis immutatur, niſi frequentiùs diligentiâ reformetur. Ob hoc; proh dolor! canticum iſtud ſic â prima ſua compoſitione elongatum, in tantum eſt immutatum in dictionibus & ſyllabis, per univerſa loca, ubi canitur: quòd

non

non meretur dici canticum S. Adalberti, ſed potiùs illorum, qui illud ita perversè & turpiter immutârunt. Ex qua certè immutatione ejus, ſequuntur quatuor deteſtabilia inconvenientia. 1. quòd canentes hoc canticum, ita malè & incorrectè dictiones ejus pronuntiant, quòd nec ipſimet, nec alij eos intelligant, quid dicant; & valdè confuſa res eſt, quando quis loquitur, & neſcit quid loquatur: nec locutionem propriam intelligit. Tales jam ſapientiam S. Adalberti in hoc cantico non canunt: ut dictum eſt notabili 1, ſed ſuam ignorantiam oſtendunt. 2. *Illi priores Boëmi cum S. Adalberto, ut piè creditur, per hoc canticum pacem ſibi obtinuerunt, quia correctè id cantârunt*, ſed nos nunc forſitan propter hoc peccatum nobis pacem non obtinemus, quia ipſum incorrectè cantamus, & Deus non vult nos intelligere: quia nos ipſi nos non intelligimus; nec vult ſcire quid ad eum canimus, quia ipſi neſcim⁹ quid ad ipſum loquimur; & tam ad ſapientem Dominum, tam corrupto ſermone loqui, eſt irreverentiam & contemptum ſibi facere. 3. Inconveniens eſt, quòd S. Adalberto magna in hoc injuria facta eſt, quòd ſua prima compoſitio in hoc cantico per extraneas dictiones immutata ſit, & de ſuo cantico factum eſt non ſuum; & imò fortaſſe S. Adalbertus non vult ſe ſuâ interceſſione nobis jungere in noſtro jam corrupto cantico, cùm ipſum ad Deum pro noſtris neceſſitatibus canimus, ſicut ſe prioribus in ſuo corre-
 cto

ćto jungebat: Et ideò forſitan non exaudimur 4. Timor eſt, ne, fortè immutatione hujus cantici, annihilaverimus Indulgentias ipſius, & poſt ſequens, canentes illud immutatum, non obtineamus eas; quia Indulgentiæ fuerunt datæ de cantico S. Adalberti correćto, & non de noſtro corrupto & deſtrućto.

7. Notandum eſt, quòd moderni Boëmi hoc canticum confundunt, & corrumpunt, ſolùm inter iſtas duas dićtiones, in eo poſitas, ſcilicet ſpaſe & mira / quia ipſas jam non habent in uſu locutionis: & non intelligunt in ſignificatione, ſicut antiqui habebant, & intelligebant; & ſicut ſupra in expoſitione declarata ſunt. Et ideò pro iſtis duabus dićtionibus, ty ſpaſe, per ignorantiam aliqui dicunt, ty ſpaſeſs: aliqui eâ ſpaſezz: aliqui y ſpaſazz/ aliqui y ſpaſal: & ſic mirabiliter aliter; quæ omnia non ſunt intelligibilia in ſermone Charvatico & Boëmico. Et credentes quòd, hæc dićtio mira, ibi ſignificet idem quod pacem, ſub illa ſignificatione, adaptant ei hoc adjećtivum wyſſeho / id eſt ſuperioris: quod tamen S. Adalbertus in cantico non poſuit, & mutans in illud, iſtud verum adjećtivum wſſeho, id eſt totius, quod S. Adalbertus poſuit; & ſic in hoc loco decipit eos æquivocatio, mater erroris, hujus dićtionis mir/de qua ſupra plenè dićtum eſt in expoſitione. Et ita ulteriùs ex his corruptis dićtionibus componunt hanc orationem y ſpaſeſs wyſſieho mira / quâ ſolùm ſuperficiali memoriâ retinentes canunt

nunt, ſed ad intellectum ejus non deſcendunt; nec inveniunt aliquem intellectum ſuum, ad quem deſcendant. Itaq; poſſum de eis bene dicere, quòd per eandem orationem in cantu ſuo non aliter faciunt, niſi venantur chymæras, & devorant tragellaphos; quia ore præferentes, mente quid proferunt, non intelligunt. Inopinabile quid huic cantico inſerentes, quod nunquàm fuit de mente S. Adalberti. Sed tamen ſi ipſi, vel alij intelligentes gramatici, vellent hanc eorum inſenſatam orationem reducere ad aliquem intellectum, ex quo ipſi ibi ponunt iſtos genitivos, wy, ſſycho mira, id eſt ſuperioris pacis, & in alia particula ſubſequitur eis ſecunda perſona ſingularis, imperativi modi ſalvationem petens, ſcilicet ſpaſyss ny, id eſt, ſalva nos. Oportet quòd in eadem oratione ſit unus vocativus, quem dicta perſona apertè ante requirit, & qui illos genitivos regat; & tunc propter hanc ſignificationem ſcilicet ſalvationis, maximè conveniet, ut iſte vocativus ſalvatorem ſignificet, quia ad ſalvatorem propriè pertinet ſalvare: &, ad ipſum, dicere ſalva nos. Et ideò oportet quòd ipſi per ſuam corruptam dictionem, quamcunq; ſupradictarum ſalvatorem ibi ſignificent, ſicut S. Adalbertus per ſuam rectam dictionem, ſcilicet ſpaſe, ſalvatorem ſignificat, convenientiùs & meliùs eis eſt quòd ſuam corruptam dictionem relinquant, & rectam S. Adalberti, locò ejus quæ ab initio cantici in eo poſita fuit, reaſſumant dicentes: ty ſpaſe pro ſua y ſpaſeſs.

 8. No-

8. Notandum eſt, quòd, licet ipſi jam, ſive per dictionem ſuam corruptam, ſive per rectam reaſſumptã, ibi verè ſalvatorem ſignificent: tunc adhuc ipſi ſic canentes, ſcilicet y ſpaſeſs / vel, ty ſpaſſe wyſſyeho mira / huic cantico in eadem particula introducunt alium ſenſum, quàm S. Adalbertus poſuit. Nam, ſic canentes, dicunt: quòd Dominus noſter ſit ſalvator ſuperioris pacis, per redemptionem, vel per conſervationem ejus. Si dicunt, quòd ſit per redemptionem, tunc ipſi falſum, & per errorem, canunt: nam illa ſuperior cœleſtis pax, in bonis Angelis nunquàm fuit capta & damnata: ſed ſemper ab initio ſui fuit ſalva. ideò non indiguit ſalvatione per redemptionem, & in Angelis malis, quàmvis ſit capta & damnata, tamen per Ieſum non eſt ſalvata, nec unquàm ſalvabitur; ideò Dominus noſter iſto primo modo non eſt ſalvator ſuperioris pacis. Si verò dicunt: Dominus, ſalvando genus humanum, ſalvavit ſuperiorem pacem (quia quòd perijt in Angelis malis, reformabitur in hominibus juſtis) ad hoc dico: quòd per homines juſtos ſic, non pax cœleſtis ſalvatur, quia eſt, & fuit ſalva; nec pax Angelorum malorum, ſed ruina reformatur: per quæ ſolùm pax cœleſtis dilatatur, ut patet per ſimile. Nam ſi in hoc mundo in aliqua terra eſſet bona pax, quotquot homines aliunde ad eandem terram intrarent, omnes pace ejuſdem terræ fruerentur: & quàmvis nullus hominum ibi augeretur, tamen pax per

eos

eos non ſalvaretur, quia ante ingreſſum eorum ſalva fuit, ſed bene in illis illa pax ſalva & præexiſtens dilataretur; ſic & hìc. Et hoc poteſt confirmari per iſtud: quia ſi homines & Angeli non peccâſſent, & cùm homines ad Angelos in cœlum aſcendiſſent, per aſcenſum eorum ſuperior pax ſalvata non fuiſſet; quia nunquàm ruinam paſſa fuiſſet, ſed bene in illis dilatata fuiſſet. Sed hæc dilatatio non poteſt dici ejus ſalvatio per reconciliationem, quia priùs ſalva fuit; ergò iſto primo ſenſu, Dominus non poteſt dici ſalvator ſuperioris pacis, ſed quoad intentum eorum meliùs diceretur: ty (gg) ſpaſe nyſſyeho mira / id eſt, tu ſalvator inferioris pacis, quàmvis ſic S. Adalbertus non poſuit; quia inferior pax ſalvata eſt â Domino, quando de illa ſuperiori pace ſalva, huc deſcendens, mundum ſalvavit. Si autem intelligunt, quòd Dominus eſt ſalvator ſuperioris pacis per conſervationem, ſcilicet, quòd ipſe conſervat eam in ſalute ſua, ab inimico ejus, ſemper permanente, tunc verum eſt, & iſto intellectu poſſet in cantico dici, wyſſyeho mira / id eſt ſuperioris pacis; ſed tunc eſſet contra hoc, quòd S. Adalbertus à principio non poſuit in eo, ut ſuperiùs declaratum eſt in expoſitione. Et inſuper

(gg) *Brzevnovienſis ponit* ſpaſe *per* e/ *ſed Hagecius fol: 89 pag: B. initio, ponit* ſpaſa *per* a. *Sic etiam ponit Exemplar Horſteinij,* ſpaſa / *& non* ſpaſe. *& videtur convenientiùs, pro priſco illo modo loquendi: ſicut* dag *olim dicebant, nunc mollius eſersmus, &* deg *dicimus.*

ſuper iſta locutio Dominus eſt ſalvator ſuperioris pacis, quàmvis penes hunc ſecundum modum ſit vera, tamen non eſt uſitata, nec fortè invenitur in ſacra ſcriptura: & S. Adalbertus, qui erat fidelis Prælatus Eccleſiæ, ex debito regiminis ſui & gravitate, tales locutiones inconſvetas ſacræ ſcripturæ fugiens, quàmvis eſſent veræ, tenebat ſe ad conſvetas; & ideo hanc in cantico ſuo non poſuit, ſed potiùs poſuit iſtam, wſſtcho mira / ſcilicet, quòd Deus eſt ſalvator totius mundi; quæ eſt communis in ſacra ſcriptura, ut ipſemet Dominus de ſe fatetur Ioän: 12. dicens: *non veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum*: & S. Mater Eccleſia ad ipſum canit: *Salvator mundi ſalva nos omnes*, & ſic in multis locis alijs. Ergo & nos ipſi exemplo S. Adalberti tales locutiones de novo adinventas fugiamus, non aliter quàm cum ſacra ſcriptura, in hoc cantico teneamus & dicamus: tu Salvator totius mundi; ut S. Adalbertus poſuit, & ſupra in expoſitione declaratum eſt.

9 Notandum eſt, ut perſonaliter audivi in Choczebuz, quadam villa, locò wyſſyeho mira / id eſt ſuperioris pacis, dicunt ibi Bozztho mira / id eſt divinæ pacis. Sed eadem eſt ſententia de iſto dicto, ſicut de illo; quia magis eſt in uſu, & intellectu noſtro hoc, quòd Dominus eſt Salvator mundi, quàm ſuperioris, vel divinæ pacis: & magis, quia eſt Salvator hominis quàm pacis. Imò rationi magis conſvetum eſt, quòd Domi-

nus plus reſpectu redemptionis noſtræ dicitur Salvator, quàm reſpectu conſervationis, quàmvis utrumq; verum ſit. Ergo dimiſſis omnibus, cum S. Adalberto in ejus cantico, non pacis, ſed mundi, cum ſuo adjectivo dicamus. *Et meritò hæc fundamentalis correcta expoſitio cantici S. Adalberti, & ipſum canticum* in monaſterio Brzevnovienſi locata habentur: & ad ea, tanquàm ad prima originalia, omnes ad Brzewnow, ut ſua ibidem corrigant (*ſuperiùs in 6. notabili*) remittuntur. quia S. Adalbertus eſt primus, & principalis fundator ejusdem Brzevnovienſis monaſterij: & quoad locum, & quoad Religionem ejus. Nam ipſe exiſtens Epiſcopus Pragenſis, ipſum perſonaliter fundavit: in ædificatione ejus proprijs manibus, cum S. quinq; fratribus, & alijs, laboravit; in cujus ſignum chirothecæ ejus, laboris hujus, in eodem monaſterio, pro reliquijs uſq; hodie tenentur; quod ædificatum, de ſuo vero patrimonio dotavit; & per ſe ipſum, in honorem, S. Benedicti Patris monachorum, & SS. Bonifacij martyris. & Alexij confeſſoris conſecravit. Reliquijs eorundem Sanctorum, ac Indulgentijs ſuis, & Papalibus honorificè inſignivit, multis gratijs munivit,

 &

& præcipuè invaſores bonorum temporalium, ejuſdem Brzevnovienſis monaſterij, propria in perſona excommunicavit. Et ipſe fundator Eccleſiæ antiquæ, factus eſt patronus Eccleſiæ novæ, ibidem per Brzetiſlaum ædificatæ: & in nomine ejus, & aliorum Sanctorum dedicatæ. Item S. Adalbertus exiſtens monachus Ord: S. Benedicti præfati, Romæ profeſſus ad S. Paulum, *fundavit dictum monaſterium Brzevnow, Religioni Ordinis jam dicti: nam de Roma introduxit in id Religioſos, ſcilicet Abbatem Anaſtaſium, cum 12. fratribus; & ibidem cum eis commanens, ſuis ſanctis exemplis, & monaſticis obſervantijs religionem fundans, inſtauravit. Cujus quidem Religionis fructus, de monaſterio Brzevnovienſi, ipſemet ſeptimus canonizatus emanavit. Scilicet ipſe, & S. Procopius, & ſupradicti quinq; fratres, quorum in Antiqua Boleſlavia aliqua corpora requieſcunt.* Non incongruè igitur in loco fundamentali expoſitio fundamentalis ejus cantici collocatur. Hanc tamen expoſitionem cantici hujus, ſimiliter offero, in ſenſu corrigendum cuilibet,ſuo benigno inſpectori; & piè miſerenti, in rudi ſtylo ejus. Ac utinam nunquàm oculus invidiæ eam aſpiceret, nec manus detractoris attrectaret, nec penna corruptoris tangeret; quæ ad laudem Deo, & S. Adalberto, non meâ præſumptione, ſed ſuperioris mei imperio,licet trepidus facere attentavi; magis præferens pro inſufficientia

entia ejus rideri, quàm obedientiæ bono contraire. Pro cujus coſummatione, gratias ago Domino noſtro, glorioſæ Matri ejus, Virgini Mariæ, S. Adalberto, & omnibus Sanctis: quibus ſit laus & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Explicit expoſitio cantici S. Adalberti: Hoſpodyne pomilůg ny, compilatione ſuâ finitâ, in monaſterio Brzevnovienſi, Anno Domini: M CCC XCVII in Vigilia S. Viti martyris glorioſi.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Quàm celebris olim fuerit, apud Majores noſtros, Hymnus Divi Adalberti, exemplis oſtenditur.

1. MVlta ſunt quæ ad commendationem hujus cantici Divi ADALBERTI, Pragenſis quondam Epiſcopi, adduci poſſent; Brzevnovienſis Anonymus, ejus Sanctam originem, & indulgentias, devotè canentibus, ab eodem Sancto conceſſas (*a*): frequentem ac celebrem ejuſdem uſum, etiam in Synodis per Archi-Epiſcopos omnibus Eccleſijs præſcriptum (*b*): tempore belli & famis auxilium efficax (*c*), clarè commendat. *Hoc canticum*, addit idem Anonymus (*d*), *Divus Adalbertus martyrio ſuo coronavit, & ut dicitur caput ejus decollatum ipſum cantavit: ſcilicet quando corpus ſuum, tranſiens de una parte*

(*a*) *parte 2. Roſa Boëmiæ pag: 31.* (*b*) *ibidem pag: 30.* (*c*) *ibidem pag: 45.* (*d*) *ibidem pag: 32.*

te Pruſſiæ in aliam, id portavit. Wenceſlaus Hagecius quoque, Dubravius, Coſmas, & alij ſcriptores, idem canticum pulcherrimis exemplis illuſtrant; ad quæ priusquam deſcendamus, Brzevnovienſis Anonymus, in uno tantum ambiguus, expediendus eſt.

2 In hac ſecunda parte Roſæ Boëmicæ, ad paginam vigeſimam primam, & paginâ 29. duo ſunt exemplaria Hymni S. Adalberti, verbis & notis etiam muſicis inter ſe non nihil diſcrepantia: illud ex Metropolitana Bibliotheca, iſtud autem ex manuſcripto Brzevnovienſi libro deſumptum; utrumq; ſuâ vetuſtate & autoritate ſuffultum, ex quo facilè quis in quæſtionem vocare poſſit, hoc vel illud canticum vera Sancti Adalberti compoſitio cenſenda ſit. Brzevnovienſis pro ſuo cantico his verbis loquitur (c): *notandum eſt, hoc canticum correctè & præcisè eiſdem dictionibus & ſyllabis*, ſubintellige ſcriptum eſſe, *quibus illud S. Adalbertus in principio ejus compoſuit*: *ut*

(c) Notabili 6. hic pag: 48.

ut homines inſpicientes hæc ſcripta, per hunc textum correctè eum habeant, & per expoſitionem, intelligant; & ſi quid in dictionibus, vel in Syllabis, aut in ordine alicubi aliter, quàm in hoc textu, invenerint, ut ſciant quod id eſt corruptum, & non eſt jam compoſitio S. Adalberti: & ex iſto corrigatur in Monaſterio Brzevnovienſi. Rurſus Notabili 9. *& meritò hæc fundamentalis correcta expoſitio Cantici Sancti Adalberti, & ipſum Canticum, in Monaſterio Brzevnovienſi locata habentur.* Quidquid Brzevnovienſis Anonymus pro ſuo cantu in medium adferat, ad nos nihil, alios ipſe cantus, utpote valde corruptos, & à Divi Præſulis compoſitione longè alienos perſtringit; ut patet in ſexto, ſeptimo, octavo & nono Notabilibus. Metropolitanæ Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ autoritati nos innitimur: nec aliud, quàm Horſteinij canticum, ante plures annos in lucem rurſus publicatum, veram & S. Adalberti genuinam compoſitionem agnoſcimus. Conſtat ex Ha-

gecio *(f)* & Paproczky, quod S. Adalbertus, poſt primum Româ Pragam reditum, ipſemet hoc canticum in Metropolitanam Eccleſiam intulerit, ipſe coram Principe & univerſo populo cecinerit: &, ut ex contextu hiſtoriæ colligitur, in Metropolitana deinceps à ſuis Clericis cantatum voluerit. Idipſum confirmat Brzevnovienſis *Notabili primo*, cùm dicit: *quia continuè in Synodis Pragenſibus Archi-Epiſcopus præcipit per ſuos, quatenus id canticum ſingulis diebus Dominicis & feſtis præcipuis, populus, in Parochijs diœceſis ſuæ cantet in Eccleſijs, quod & fit in circuitu, in Miſſa & ante prædicationes.* Quod ſi igitur in Parochialibus Eccleſijs totius Diœceſeos id factitatum, quantò magis in ipſa Metropolitana Divi Viti Eccleſia, ex qua velut è fonte, quidquid in Regno pietatis eſt, totum emanavit. Neq; dubium, illud ipſiſſimum, à S. Præſule ſcriptum Canticum, in Metropolitana Divi Viti, ſumma cum veneratione diu fuiſſe ſervatum, quemadmodum jam hìc, in altera parte Roſæ Boëmicæ, dictum eſt

(f) *Vide Roſ: Boëm: 1. parte, c: 10. §. 13. pag: 267 & 268.*

eſt pag: 20. & ſeq: & ex ipſo originali, in proſaria, pſalteria & gradualia pluries, etiam pro poſteris, tranſcriptum. Ex aliquo ſimili M. S: libro Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus, Dominus Simon Brozius ab Horſtein, Archi Epiſcopus Trapezuntinus, Pragenſis Eccleſiæ Suffraganeus, & Metropolitanæ S. Viti Præpoſitus, ante viginti & plures annos, hoc ipſiſſimum, quod ad vigeſimam primam paginam eſt appoſitum, Canticum exſcripſit, prope jam ab hominum memoria remotum, in honorem Sancti Woytiechi Tutelaris Patroni, pro communi bono, publicæ luci reſtituit. Dixi ante plures quàm annos viginti, dum adhuc utraq; Metropolitana, Manuſcripta & Pontani altera, Bibliotheca ſarta tecta permanſit, quas poſtmodùm Svecius miles, Anno 1648 hoſtiliter ingreſſus, diripuit: ac potioribus antiquitatibus & libris notabiliter mutilavit. Quid pluribus opus; Reverendiſſimus Dominus ab Horſtein, Suffraganeus & Præpoſitus Pragenſis, ipſe, ut verbo expediam,

ex



In tabula ſolus te pingere dignus Apelles,
In lamina ſolus ſculpere Praxiteles.
Tu bonus es Paſtor *patrias pius ante capellas,*
Abducunt ſtabulo quem mala nulla ſuo.
Nam neq; mars neq; mors te ſegregat á grege, *non es*
Ex grege paſtorum: paſtor *at* egregius.
Paſtori *tam Chriſte,* bono, *ſua paſcua longe*
Profer. Ouesq; meas, *dic age,* paſce *diu.*

Gaſpar Dooms ad uiuum delineauit
et fecit, honoris ergo dedicat, Pragæ.

Vos eſtis ſal terræ. *dixerat iſte Magiſter*
Diſcipulæ turbæ, Chriſtus Apoſtolicæ.
Dixerat imo tibi, præ aliis, O patriæ Paſtor.
Sic tua uox præ-ſul *dimidiata refert.*
Sal terræ, *et patriæ es, uirtutem qui ſapit omnem,*
Conſtans in dubiæ ſortis utroq; ſalo.
Cum ſal *ſis igitur, morti, putribusue miniſtris*
Eſſe in te ſerum ius, rear, anne precer.

ex antiquitate eruit: ipſe deſcripſit: & hoc verum eſſe Sancti Patroni noſtri Canticum, publicè ipſe dixit. Vivum lectori teſtem adduxiſſem, niſi jam pridem ad plures abijſſet: effigiem tamen, ab amico quodam donatam, ad vivum expreſſam, adduco, ut vel in umbris ſuis aliqualiter ſpectatum intuearis, & unà mecum etiam defunctum ames, ac pleno honoris & reverentiæ Præſuli fidem deferas. Iam ad exempla divertamus.

Frequentatum fuit S. Adalberti Canticum in electione & coronatione Principum & Regum.

3. Initium hujus cantici Libicium dedit Anno Salutis 972, cùm Epiſcopus Adalbertus ad inſtantiā Slavnici & Strzeziſlavæ Parentum, Eccleſiam, S. Georgio ab illis erectam, conſecratum venit; ut patet ex prima parte Roſæ Bohemicæ pag: 164. §. 11. *Tunc*, inquit Brzevnovienſis *(g)*, *S. Adalbertus, congregans fideles Chriſtianos ad Lybicz, patrimonialē villam ſuam, hoc canticum compoſuit; populum*

(g) *part: 2. Roſæ pag: 41 in fine.*

pulum informavit, & cum populo illud cantavit ad Dominum Deum, ut famem & guerras averteret. Sed hoc Lybicij tantùm, & quaſi privatim. Tandem Anno 980. primò per S. Adalbertum in Metropolitana Eccleſia, ut ſuperius dictum eſt, poſt etiam ab omni Chriſtiano populo publicè decantari cæpit. Demum etiam in Polonia Gnieſnæ, cùm Brzetiſlaus & Severus Epiſcopus, Sancti Martyris Adalberti corpus è tumulo Gnieſnenſi levarent, à toto Brzetiſlai exercitu *(h)*, ſicut & in reditu in Bohemiam, & illatione ejuſdem Sancti corporis ad Eccleſiam Divi Viti, ab univerſo Pragenſi populo Chriſtiano *(i)* ſolenniter cantatum fuit. Quinimò priusquam S. Adalberti corpus Gnieſná Pragam transferretur anno ſcilicet 1037, in electione Brzetiſlai Principis, hunc Hymnum Pragenſis Vrbs interplauſus perſonabat *(k)*. Rurſus an: 1055, poſt mortem Brzetiſlai, in electione Spitignei filij *(l)*. Rur-

(h) Coſmas pag: 27. l. 13. Hagek fol: 115. A medio, & hic cap: 14. pag: 455. (i) Hagek fol: 115. pag: B. initio. (k) Hagek fol: 112. pag B. ante finem. (l) Hagek fol: 124. pag: A initio.

Rurſus Anno 1109, in electione Ottonis fratris, poſt interitum Svatopluci Principis (*m*). Anno 1200, dum Philippus Sveviæ, & Otto IV Saxoniæ Princeps de imperio certarent, & Przemiſlaus II, Boëmiæ Dux, poſtea dictus Othocarus, Philippi partibus faveret, ac Ottonem Saxoniæ Principem, inimicum Philippi, bello premeret, idem Othocarus à Philippo Rex nominatus, & coronatus, à Boëmiæ Ordinibus honorificè ſuſceptus fuit: & Clero Te Deum laudamus decantante, populus conſvetum ac patrium canticum, Hoſpodyne pomilůg ny, inter plauſus & Jubilos perſonabat (*n*). Iterum anno 1311 (*o*) in coronatione Ioannis Lucemburgenſis, filij Henrici Cæſaris, & octavi Boëmiæ Regis. Nec dubitandum eſt etiam anno 1086. tempore Coronationis Wratiſlai primi Boëmiæ Regis (*p*) decantatum fuiſſe: ſicut etiam in alijs ejusmodi ſolennitatibus publicis; quamvis Hagecius frequenter, ne fors

(m) Hagek fol: 158. B. ante finem. Coſmas fol. 60. in medio. (n) Hagek fol: 215. A. ſub medio (o) Hagek fol; 283. B. initio. (p) Hagek fol: 139. B.

lectori ſe moleſtum redderet, ejus cantici mentionem prætermiſerit..

Celebris etiam fuit iſte Hymnus in electionibus Epiſcoporum & Archi-Epiſcoporum Pragenſium.

4. An: Dom: 1020 (*q*), poſteaquam Helicardus, alias Occardus nominatus, noviter creatus Pragenſis Epiſcopus, numero quartus, Româ Pragã reverſus eſt: ex Albo-Monte in Vrbem deſcendenti, Vdalricus Princeps, Clerus & univerſus populus obviam proceſſionaliter progreſſi, Chorus *Te Deum laudamus*, populus autem Hoſpodyne pomilůg ny ſolenniſſimè decantabant. Iterum Anno 1024. (*r*), Izonem ordine quintum Epiſcopum, jam conſecratum, Moguntiâ reducem, Vdalricus Princeps cum Clero & populo reverenter excepit: Choro *Te Deum laudamus*, populo Canticum Divi Martyris Adalberti, Hoſpodyne pomilůg ny concinentibus. Anno rurſus 1135. defuncto Mainardo Pragenſi Epiſcopo, unanimi totius Cleri populíq; conſenſu, Ioannes Wi-

(*q*) *Hagek fol: 108. A. initio.* (*r*) *Hagek fol: 176.B. medio*

Wiſſegradenſis Præpoſitus in Mainardi locum ſuffectus, dum in Metropolitana per ejusdem Eccleſiæ Decanum, Pragenſis Epiſcopus iſtius modi verbis proclamaretur (s): hæc eſt voluntas Dei, Sobieſlai Principis Domini noſtri, ordinum populiq; Pragenſis, Eccleſiæ Boëmæ caput ſit, & in Sede S. Præſulis Adalberti Boëmiæ populum regat Ioannes Eccleſiæ Viſſegradenſis Præpoſitus: hic eſt Pragenſis Epiſcopus; ab univerſis conclamatum eſt, à Clero *Te Deum laudamus*, à populo, Hoſpodyne pomilůg ny. Rurſus anno 1148 (t), vitâ functo Ottone numero duodecimo Pragenſis Eccleſiæ Pontifice, ab utriúſq; ſtatûs ordine, tam Eccleſiaſtico quàm Laico, Daniel Zdiſlai de Lyppa filius Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, per electionem, Prid: Kal: Febru: in Epiſcopum aſſumptus eſt: 31. Ianuarij *& illicò*, inquit Hagecius (u), Miroſlaus Decanus Pragenſis Clero *Te Deum laudamus*, & Horemirius Laicis Hoſpodyne pomilůg ny, altis vocibus intonuerunt.

(s) *Hagek. fol: 176. B medio.* (t) *Hagek fol: 184. B. initio.* (u) *Hagek fol: 184. B. lin: 1.*

23. November: Anno quoq; 1343. 9. Kal: Decembr: proximâ ante Adventum Dominicâ, *Carolo IV ſedulò in eam curam*, verba ſunt Lupacij, *incumbente, Epiſcopatus Pragenſis Eccleſiæ*, antè Moguntinenſi Archi-Epiſcopo ſubiectus, *ad Archi-Epiſcopatûs dignitatem evehitur à Clemente ejus nominis VI, Pontifice Romano 200: Pontificatûs ejus anno primo, à fundatione verò Epiſcopæ Pragenſis anno 377, Erneſtus primus fit Archi-Epiſcopus: cui duo Suffraganei adduntur, nimirum Olomucenſis (qui tum temporis fuit Ioannes cognomento Oczko, quaſi dicas Ocellus, ex clara Procerum de Wlaſſim Familia, & Lythomyſslenſis.* Tunc inquit Balbinus (*w*), Arneſtus Pallio Archi-Epiſcopali inter Sacras cæremonias indutus eſt, Rege ac filijs, Proceribus, ac univerſo, qui ad ſpectaculum invitatus erat, populo gratulante, ut voces lætitiæ indices & plauſum non tenerent. Sacris peractis, Deo triumphali *D. Ambroſij* Hymno laudato, Populo S. Adalberti Cantum Hoſpodyne pomilůg ny iterante, celebris adornata fuit ſupplicatio.

Can-

(w) *In Arneſto pag: 91. Hagecius ſol: 210. A. ſub medio.*

Cantabatur à Boëmis, etiam ante pugnam cum hoſtibus initam.

5. Conſtat ex Veterum hiſtorijs, Græcos bello initium dediſſe à cantilena Marti ſacra: Spartani militiæ ſuæ Symphoniacis quibuſdam modulis præludebant: Lacones à Pallade eruditi, præcedente ad numerum Symphoniâ, in aciem deſcendebant: ut ſcilicet in prælijs & fortiter audactérq; agerent, & mortem contemnerent. Iſte mos apud Gentes celeberrimus, deinde ad Chriſtianos quoq; tranſijt, non enim prius cum hoſte manus conſerebant, quàm per ſacros hymnos Numinis opem implorâſſent. Anno Salutis. 934, Hungaris cum ingenti exercitu Saxoniam hoſtiliter ingredientibus, *Henricus I. Imperator*, inquit Schafnaburgenſis, *ut erat animo conſtans, talibus non terretur: ſed magis magisq́; ſuos, ut pro Patria pugnent, exhortatur. Nec mora, bellum incipitur, & ex Chriſtianorum parte Kyrie eleiſon dicitur; ex illorum verò parte turpis & diabolica vox hui, hui, hui auditur. Inito itaq; certamine, nutu di-*

vino, Vngari cæduntur, & fugantur. Rex & ſui victoriâ decorantur. Wugek in Poſtilla ſua Polonica, concione de S. Adalberto, Veterum Polonorum in pugna morem hunc fuiſſe dicit: priusquam Polonicæ militiæ Duces cum paganis, Turcis, Walachis, Moſcovitis, ac Tartaris, pugnam inirent, ab Hymno Divi Adalberti Martyris, Boga rodicza dzewicza/ Bogiem ſlawiona Marya/ ꝛc. quem huic Genti Woytiechus ipſemet compoſuit Scirca alutis annum 995, (uti Scarga Soc: Ieſu Polonus teſtatur in Vitis Sanctorum) feliciter auſpicabantur; eo cantico Catholicam Romanam Fidem teſtati, pro qua ſuas animas ponere non gravabantur. Anno 1109 poſteaquam Wladiſlaus, Wratiſlai Regis quintus filius, defuncto Patruele Svatopluco, Pragenſem Principatum ab Ordinibus Regni regendum ſuſcepit, ab Henrico V. Romanor: Imperatore, affine ſuo, ad celeberrimum Principum conventum Ratisbonam (quæ eſt inclyta Vrbs Imperij, duodecim à Tuſta oppido milliaribus

diſ-

diſſita) vocabatur ; Tunc Vladiſlaus propter juſſum Regis accelerans, in Civitate Pilzen cum cæteris Comitibus feſtis diebus Natalitijs manſit duobus. Tertia autem die ut cognovit ea, quæ gerebantur in Vrbe Praga, nempe quod sui Fratres, Borzivogius Vrbem cepiſſet, & Svatopluc us Wyſſegradum corona cinxiſſet, diſtulit & poſtpoſuit Regis juſſa, & in feſto Sancti Ioannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, cum his qui ſecum fuerant in curte, ad mœnia prædictæ urbis advolat: ſed clauſas invenit portas; vidit & armatos ſecum pugnare paratos. Ad quos excelſa per propugnacula ſtantes, ſic orſus eſt, dicens: pacificus ad vos venio, recognoſcite me, & aperite veſtro januas Domino. Ad hæc verba Ducis cùm nemo reſpondiſſet, valde iratus, & multum eis minatus, flectit iter trans torrentem Bruskam, & ut aſcendit ſupercilium montis, vidit in campo longam ſeriem armatorum, in quibus Wenceſlaus filius Wigberti veniebat in auxilium Borzivogij. Et mittens unum de Satrapis explorat, utrum ex adverſo an pacifici veniant. Vt

au-

autem per internuncium utriq; recognoverunt ſe invicem, prædictus juvenis expavit, & non aliter retorſit gradum, ac ſi durum in vepribus latentem calcaret hydrum, & convocans ſuos in unum manipulum, dixit: nullus nobis patet locus fugæ, nec latet nos invitos ſubire aleam pugnæ. Hoc ſolùm facite, ne hanc pugnam illi impune ferant. Dixit, & expandunt vexillum, atq; inclamant Sanctam Mariam ſibi in auxilium (x). Hoc ſacrum celevſma, præludium quoddam fuit inſtantis pugnæ.

6. Clarius exemplum habemus in Sobieſlao Pragenſi Principe; Salutis Anno 1126 (*y*), cùm Sobieſlaus Dux Boëmiæ animadvertiſſet Ottonē Moraviæ Principem, Lotharij Saxonis, non pridem electi Imperatoris auxilio (qui opes ſperabat à Boëmia ingentes) hoſtilem irruptionem moliri, Sobieſlaus collecto exercitu, prope Chlumekum oppidum hoſtium copijs armatus occurrit. Sub illo tempore, in ſomnis vidit Sanctum Adalbertum aſtantem ſibi, præcipientem-

(*x*) *Coſmas Chronicæ lib: 3. mihi pag: 61. in medio. Hagek. fol: 160. pag: A. tota.*

temque', ut vexillum patris ſui Slavnici, quod in foramine quodam Templi Wrbczanenſis abſconditum fuit, in prælio explicarent; quod tandem haſtæ S. Wenceſlai affixum, in medio agmine à Sacellano Dobrovito geſtatum eſt. Hactenus Pontanus (z). Poſteaquàm verò labaro Sancti Wenceſlai appenſum, panſumque vexillum exercitus conſpexit, nigras lineas tranſverſim decurrentes in campo aureo, mediam verò lineam latiorem & candidam, tribus rubeis roſis diſtinctam: decantatum fuit altis vocibus ab omnibus, ſanctum illud Divi Martyris Adalberti canticum, Hoſpodyne pomilůg ny, Jezu Kryſte pomilůg ny/ 2c. uſq; ad finem.
Poſteà ſilentio facto, *rurſus Pontanus con-* "
tinuat, audiverunt in aëre ſonitum, quaſi "
magnarum campanarum: videruntq; "
aquilam magnam è Boëmorum phalan- "
ge, clamore magno contra hoſtes voli- "
tantem; atq; ſub ipſo congreſſu S. Wenceſlaum Ducem & Martyrem, in aëre librantem ſe, conſpexit totus exercitus:

 al-

(z) *Pontanus in Boëmia Pia lib: 1, mihi pag: 3, in fine.*

albis veſtibus indutum, & candido equo inſidentem, gentilitia arma Slavnici, Patris Divi Præſulis Adalberti, in vexillo præferentem. Hinc erectis Boëmorum animis fortiter pugnata pugna, Lotharium Imperatorem, cum gravi ſuorum internecione, victum in fugam egit; è Boëmorum copijs, quanquam longè imparibus, tribus tantùm deſideratis.

7. Admirabilius iterum contigit Anno 1260 tempore Przemiſlai II, aliàs Othocari, Boëmorum Regis III, adversùs Vngarorum quadringentorum millium exercitum feliciter depugnantis. Id ipſum clarè videri poteſt ex literis Przemiſlai Regis ad Alexandrum ejus nominis IV, ſummum Romanum Antiſtitem, 8. Octob: Pragæ datis 8. Idus Octobr: A: D: 1260: ex quibus ita Hagecius (a): *Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino, Domino Alexandro Divinâ miſeratione Sacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifici Maximo, Primiſlaus Ottacarus, Dei gratiâ Dominus Regni Boëmiæ, Dux*

(a) *Hagecius folio 243. pag. A. Videri etiam poteſt vita S. Wenceslai Latinè edita ad S. Wenceslaum Neo-Pragæ. Anno 1643. poſt imaginem 32.*

Dux Auſtriæ & Styriæ, Marchio Moraviæ.
Paſtor bonus apprimè lætari ſolet, ſi oviculæ ſuæ rapacibus lupis eripiantur: pius item parens gaudere, dum filij ſanâ firmâq; potiuntur valetudine. Arduum profectò bellum geſſimus cum Bela & Stephano *ejus filio, ſereniſſimis Hungariæ Regibus, item* Daniele Rege Ruſſiæ, *ejuſdemq; filijs, necnon cæteris* Ruſſiæ ac Tartariæ *populis, qui ſuppetias ei ferebant. ſimiliter cum* Boleſlao *Principe* Cracovienſi, *cum* Leſtkone & Mladenecio *Principibus* Tranſylvanis, *aliaq; innumera manu* Siculorum, Cumannorum, Walachorum, Muldavorum, &c *deniq; cum illis ſchiſmaticis* Græcis, Bulgaris, Rutenis, Boruſſisq; *hæreticis. Attamen ope Numinis omnipotentis, prælio ad vota ſuccedente, victoriam deſuper conſecuti, pacem & concordiam cum prædictis Regibus ultrò citroq; ſancivimus. Idcircò Sanctitati Veſtræ, hiſce literis, totius rei ſeriem ſincerè exponendam cenſuimus. Poſtquam ad fluvium, nomine* Diam, *locum arce & oppido* Humburg *duabus leucis diſtantem (ubi Hun-*
ga-

gariæ & Auſtriæ fines) appulimus, noſtraq́ caſtra locavimus; etiam ex altera parte amnis, Reges prænominati cum ſuo exercitu paulò ante conſederant, ita ut noſtrum & hoſtile agmen ſola duntaxat aqua ſejungeret. Quo facto, rationes ad calculum facilè ſupputare erat, quod in hoſtem ſine propriâ jactura nihil poſſemus. Et licet utrinq́ multa de pace agerentur, tamen animi hoſtiles in dies & horas variabant; adeoq́ nullus pacis affectus aut effectus: nam pectora illorum à Deo, *ut olim ſæculo Pharaonis, indurata erant, ob imminentem pœnæ ultionem. Sic porrò rebus ſeſe habentibus, optio eis data an pugnæ locum cedere, vel accipere mallent? placuit adverſariјs, ut liberum ipſis per flumen transitum ad nos impertiremur. Antequàm* autem pacatò traijcerent, *inducias nobiſcum memorati Reges eorumq́ ſocij, à luce* Sancti Viti *ad uſq́ feſtum* S. Ioannis Baptiſtæ, *ac deinceps diem* Margaretæ, *ſacramento firmatas pepigerant. Sed pro ſolenni ſuo, jusjurandum & fidem datam hic etiam violarunt: nam repertis vadis,*

in-

in tempeſtâ nocte ad ripam noſtram, cum copijs ſuis, clam tranſmittere non ſunt veriti. Porrò cùm nos præter inducias aliud ſuſpicaremur nihil, ecce tibi ex adverſo innumeræ conſpiciuntur phalanges, in pugnã inſtructiſſimæ. Nos pactis freti, nec minimum verebamur; aſt inimici aſtu pleni, oppidò nos undequaq; cinxerant: ut niſi Numine prohibente, vivos etiam voraturi eſſent. Quis nobis tunc animus? potior pars exercitûs dilapſa, alijs ultra Danubium vectis, alijs in pabulationem intentis, aliјs ad tentoria agentibus, cæteris impedimenta curantibus, neceſſario nos præſidio denudarant, decimâ vix parte ad manum, pro tutela noſtri corporis remanente. Tantis igitur anguſtijs & periculis circumſepti, ſpem noſtram non in alium, quàm Salvatorem noſtrum, æterni Dei *Vnigenitum, contuleramus: fide Chriſtianâ certi, quod ille in ſe confidentes nunquam deſtituat, ſed auxilium ab alto victoriamq; ſolus largiri queat. Hâc fiduciâ noſtram aciem inſtruebamus, & hortabamur, ut* Deo *fideret, ſecura vincendi: ſimulq; in ferocien-*

tes

tes copias hoſtiles, viribus ſuis nixas, incurrimus: quas potentiſſimus DEVS, non ſolùm manu & generoſâ fortitudine noſtra exterruit, ſed multò magis brachio ſuo, & cœleſti exercitu nobis opitulante, diſſipavit, adeò, ut ſubitâ fugâ milites compreſſi, tranare fluvium properantes, ab inſequentibus noſtris, DEO propitio, ſtrenuè cæſi, ſemineces vulneratíque cumulatim in flumen compulſi, fluctibus haurirentur: donec aquæ cadaveribus tumeſcentes, veluti ævo Pharaonis mare rubrum, aſcenderent, ac copioſo ſangvine purpuraſcerent. Sicq; hoſtium à facie Dei fugentium hic tot tantiq; periêre, ut reliqui per humana equinaq; ſubmerſorum cadavera, quaſi per pontes fusè pellerentur, & multa eorum millia tranſquam profligarentur: ſuperſtites verò à curribus, vaſis, cæteriſq; impedimentis, non ſecus ac ſi fractus ſuper eos illaberetur orbis, avolarunt. Tum relictis profugis, plauſtra diripi, locupleſq; annona, & opima ſpolia inde reportari, quæ omnia inter noſtros, capitatim diſpertita fuêre. Poſt hanc victoriam nobis cœlitùs datam,

tam, Regno Hungariæ facilè potiri, dominariq́ potuimus. Verùmtamen exiſtimantes, longè ſatius eſſe, bono vicino gaudere, quàm malum ſubigere & exſtirpare, juxta verbum Magni illius Conſtantini: amicitiam, poſt odium ſopitum conciliatam, ſolere ſemper eſſe conſtantiorem: maluimus cum ipſo paciſci, quàm ita celebre Regnum violare, & fortaſſe Tartaris iter aditumq́ in noſtras terras aperire. Quamobrem fœdera illa inter nos, ac prædictos Reges Belam & Stephanum ejus filium, nec non Reginam, omnesq́ alios Hungariæ ordines, palàm aſſerta, ſignaculis munita, Sanctitati Veſtræ tranſmittimus: obnixè rogantes, quatenus illa eadem à Sede Apoſtolica confirmari, ac robur perpetuum nanciſci mereantur. Hanc porrò victoriam nulli hominum attribuendam, ſed jure merito ſoli divinæ Clementiæ ejusq́ Sanctis, debitá cum gratiarum actione acceptam referimus. Neq́ Sanctitatem veſtram celare volumus, rem à noſtratibus & Viris fide dignis, præcipuè verò ab ijs, qui tempore conflictûs tergo exercitûs noſtri cuſtodiendo

con

conſtituti fuerant, ad proprias aures nobis delatam, quod ſcilicet initio pugnæ ſupra vexilla noſtra volucrem quandam conſpexerint, inſtar aquilæ, colore niveo, capite colloq́ aureo, quæ labarum S. Wenceſlai glorioſi Martyris, olim Ducis, nunc Patroni Boëmiæ continuò ponè ſequebatur: magnitudine ſenſim creſcente, donec in ipſo pugnæ fervore uſq́ adeò grandis extiterit, ut corpore & pennis aciem noſtram tegeret univerſam. Ipſiſſimo quoq́ pugnæ tempore, continuat eadem Epiſtola, *Boëmus quidam, vir Nobilis, Ioannes Swogiſlai filius, ex morbo graviter decumbens, ecſtaſim paſſus, narravit: adſtantium amicorum coronæ, ſe in Boëmorum exercitu per viſionem præſentem fuiſſe; vidiſſeq́ noſtras copias primò non bene ſatis ad pugnandum ordinatas, ſed mox Sanctorum Boëmiæ Patronorum auxilium adfuiſſe, & primum quidem, tanquam cœleſtis hujus militiæ Ducem S. Wenceſlaum, loricam indutum, caſſide caput opertum, geſtantem à ſiniſtra parte gladium, in aurea vagina reconditum, & gemmis ornatum: dextrâ ve-*

verò vexillum armis gentilitijs inſignitum. Secundò ſecutum S. Adalbertum, ab Epiſcopali apparatu venerabilem. Tertio loco S. Procopium Abbatem cum pedo procedentem. Tandem SS. Quinque Fratres & Martyres, ex Benedictino habitu conſpicuos. Hos omnes S. Dux Wenceſlaus reſpiciens, allocutus fertur: debiles noſtræ ſunt copiæ, feramus opem; ac dicto citius vexillum in hoſtes contorſit, & illicò hoſtium acies fugam dedit, &c. Idem Hagecius illud etiam addit (*b*): Iaroſlaus Berka de Duba, Burggravius Pragenſis, vir utiq; fide dignus, coram Ioanne Epiſcopo, Decano, alijsq; Prælatis & Canonicis Eccleſiæ Pragenſis, oretenus perhibuit, toti exercitui ejuſdemq; jumentis, quorum in medio ipſe manu propria vexillum Regni, quod in haſtili, nempe S. Wenceſlai, appenſum geſtaverat, nihil prorſus damni cladisve illatum eſſe: ſed quocunq; cum dicto vexillo ſe vertiſſet, hoſtes in fugam datos. Nonnulli etiam ajebant, cuſpidem illius haſtilis, in quo vexillum ferebatur, inſtar ſolaris

(*b*) *fol: 244. pag: A. ſub medio.*

radij coruſcâſſe. Tandem concludit Hagecius: Regis Vngariæ nuncij coram Przemyſlao Rege & Statibus palàm confeſſi ſunt, quod ante pugnam, priusquam utraq; acies congrederetur, & cùm à Boëmis altâ voce canticum à S. Adalberto illis relictum, Hoſpodyne pomilůg ny accineretur, equos Hungarorum, ultrò terga vertiſſe, fugiſſeq;.

8. Anno 1318 (c), poſteaquam inſtinctu Ioannis Regis, Miſnenſes Germani Boëmiam ingreſſi, Ziateczenſem diſtrictum hoſtiliter depopularentur, Gulielmus Lepus patriâ lingua Zagicz appellatus, aliàs Haſemburgius de Waldek, veritus ne ſimili hoſtium incurſu Miſnenſibus in prædam cederet, collecto ſuorum non contemnendo numero, adverſus Germanos movit. Non procul aberat hoſtium exercitus, & jam eminus à Boëmis conſpiciebatur decuplo ſuperior: ex quo nonnihil timoris noſtris accedebat. Convocatis itaq; cohortium capitaneis, Centurionibus & Decurionibus, omnes, qui ſecum armati venerant, ex

(c) *Hagek fol: 288. pag: A. & ſequenti.*

ex equis deſcendere jubet Gulielmus, genua flectere, divinum auxilium implorare: Sancti quoq; Wenceſlai, Ducis optimi meminiſſe. Quod ubi factum, Sanctus Martyr equo candido inſidens, cataphractura auro tincta fulgidus, haſtam argenteam, aureâ cuſpide radiantem, dextrâ tenens, Boëmos antecedere viſus eſt ab omnibus. Tum, præſentiâ S. Patroni, Gulielmus confortatus, cum ſuis alacriter in certamen deſcendens, priusquam ferrum in hoſtem ſtringeret, elevatâ voce, primus Divi Martyris Adalberti canticum, Hoſpodyne pomilûg ny, ſuis inchoavit: & tunc etiam S. Wenceſlaus glorioſus Dux, primus hoſtium cuneum infregit; pugnatum utrinq; fortiter, ab hora tertia matutina, ad uſq; horam, veſpertinam; in quo conflictu Germani pene ad internecionem deleti ſunt, Boëmis circiter duodecim deſideratis.

Etiam in aggratulationibus Principibus factis, ex periculo liberatis.

9. Anno Domini 1130 (*d*), dum Boleſlaus

(*d*) *Hagecius fol: 172. & 173. pag: A.*

ſlaus Boëmiæ Princeps Glacio in Moraviam iter adornaret, de vitæ ſuæ inſidiatoribus divinitus admoneri promeruit; Skoch enim Miroſlai Comitis, & Iaroſſius Strzezymiri fratris Miroſlai, famuli ad Principis cædem auro numerato conducti, primùm in quæſtionem vocati, ſuos dominos nefandi criminis autores prodiderunt; omnes palàm ſceleris convicti, & vinculis adſtricti, in Boëmiam ſunt tranſmiſſi: pœnis condignis aſſervandi. Sobieſlaus quoque Princeps relicto, quod in Moraviam deſtinaverat, itinere, Pragam reverſus, priusquam Vrbem attingeret, nudipes, &, ut quondam Ninivitarum Rex, ſaccum & cilicium indutus, unum milliare pedes confecit: illiq; ſic progredienti Metropolis in occurſum effuſa, populo Hymnum Sancti Ambroſij *Te Deum laudamus*, & Cantico Sancti Adalberti: Hoſpodyne pomilůg ny concinente, de felici Principis reditu ſibi gratulabatur. Tandem die tertiâ Miroſlaus Comes & frater ejus Strzezymirus, ac etiam Gratianus Principis me-

medicus (qui Sobieſlao venenum in potione propinandum paraverat) in Wiſſegradenſi foro carnifici traditi, manibus & pedibus truncatis, omnes tres miſerè perierunt. Skoch autem & Iaroſſius præ nominatorum Comitum famuli, poſt horam tertiam etiam educti, exectis linguis, & oculis erutis, crurifragium paſſi, vivi ad rotam acti ſunt. Iterum A: 1284. 10. Kal: Iulij, Ottone Marchione Brandeburgico reducente ſecum è Franconiâ Boëmiæ Ducem Wenceſlaum, Ottogari filium (cujus tutelam à Statibus Regni per fraudem impetraverat) Clerus, Regni Proceres, & univerſus populus, neglecto Marchione, Ducem ac Dominum ſuum Wenceſlaum gratulabundi ſuſceperunt; chorus illud vetus, *Adveniſti deſiderabilis, te enim expectabamus, &c.* & Populus Divi Woytiechi hymnum, Boëmis celebrem, Hoſpodyne pomilůg ny / &c. decantarunt (e). Nec non An: 1003. cantatum fuiſſe hunc hymnum exiſtimo, dum Iaromirius à Wrſſovicenſibus ad venationem allectus, & ad quercum li- 22. Iunij

 ga-

(e) *Hagek fol: 258. pag: A. in ipſo fine.*

gatus, inimicorum ſagittis impetitus eſt; quem tamen S. Ioannes Baptiſta, hunc enim pro ſpeciali Patrono ſibi delegerat, indicante Pragenſibus Hovorâ venatore, de manibus Wrſſoviczenſis Kochani liberavit; Vnde Hovora venator, quòd fidem, etiam in apertiſſimo vitæ ſuæ diſcrimine, Iaromirio Principi ſuo ſufficienter probatam fecerit, primus in Regno Boëmiæ Baronis titulum adeptus eſt, & Præfecturæ venationum, officium Regium, ſibi ſuisq; poſteris hæreditarium & æternum promeruit *(f)*: & in hodiernum Hovoriana Stirps Illuſtriſſima, à quercu, quæ, Boëmis Dub dicitur, Gentilitijs inſignibus Baronum de Duba nomen antiquum ſervat *(g)*.

Nec non in quibusdam Solennitatibus publicis.

10. Anno 1253 *(h)*, Innocentius ejus no-

(f) Hagek fol: 99. pag: B. & fol: 100. pag: A. Dubravius Hiſtoria Boëmica lib: 6. mihi pag: 44. & alij. (g) *Videatur fusè Barthol: Paprocius in Stemmatogrophia ſua, de ſtatu Baronum pag: 135. & ſequentibus.* (h) *Hagecius fol: 237. pag: A. ſub initio. Vide pulchrè Weleslavina Calendarium Hiſtoricum 6. Non: Martij pag: 120. initio.*

nominis IV Pontifex ex peregrinis Romam è Boëmia confluentibus de Sanctitate vitæ Beatæ Agnetis Virginis inaudierat. Fuit hæc *Agnes*, inquit Veſtigium Boëmiæ Piæ pag: 44. *Primiſlai Ottocari primi, Regis Boëmiæ filia*, Wenceſlai Regis Boëmiæ Soror, Sanctimonialis *Ordinis S. Franciſci, non ſolùm ab Hiſtoricis Boëmicis, ſed & ab alijs (inter quos Lucas Vadingus, & Franciſcus Paduanus:) celebratiſſima & miraculis innumeris, vitæq; Sanctitate clariſſima: atq; ob virtutem & miraculorum famam, etiam dum in terris ſuperſtes, varijs Summorum Pontificum literis ac donis honorata, nec non vitæ perfectæ inſtituto à S. Clara, magna illa Sanctimonialium Matre, per Epiſtolas confirmata, vulgò Pragæ eſt notiſſima; utpote cujus ſacrum corpus ab Auguſtiſſimæ memoriæ Ferdinando III, tanto fuit labore in templo S. Franciſci (quod paſſim* Swatý Anyſſký, *Sanctæ Agnetis nuncupatur) annis aliquot venerationis cauſa inquiſitum. Nata illa fuit circa Annum Domini 1225. Obijt A. 1265. An: verò 1253.*

 fun-

fundavit cum fratre ſuo Monoculo Monaſterium & Hoſpitale S. Spiritus Pragæ juxta Pontem, illudq́; Crucigeris cum Rubea Stella tradidit, & effecit, ut ea eſſet ſedes ſupremi Ordinis illius per has Provincias Magiſtri. Mater ejus erat Conſtantia, Soror Andreæ Regis Vngariæ (qui fuit Pater magnæ illius S. Elizabethæ Lantgraviæ Haſſiæ) ædificavitq́; Monaſterium Virginum Tieſſnovienſe & Oſlowanenſe in Moravia. Hucuſq; Veſtigium Boëmiæ Piæ. Itaq; Innocentius inaudiens de Sanctitate Vitæ Beatæ Agnetis, eandem honoraturus, Sanctarum Reliquiarum munere donavit. Rem qui deferrent Ordinis Minorum S. Franciſci Clauſtrales erant. Religioni non defuit Metropolis, advenientibus enim patribus, Nicolaus Pragenſis Epiſcopus, Prælati, nec non Canonici Metropolitani ac Wyſſegradenſes, totus Clerus & multitudo plebis aduſq; pagum, Krcz dictum, Vrbi proximum obviam effuſi ſacra munera proceſſionaliter Pragam ad S. Franciſcum, ſive S. Agnetis Monaſterium in an-

antiquam Vrbem intulerunt ; Choro Clericorum Iſti ſunt Sancti, atq; alios in Eccleſia receptos modulos, populo verò Canticum Divi Woytiechi Hoſpodyne pomilůg ny/ꝛc. concinentibus. Rurſus Anno 1316. Dominicâ 3. poſt Paſcha (i), vulgò Iubilate, conſecratus eſt chorus Eccleſiæ S. Thomæ in Parva-Parte à Petro Moguntino Archi-Epiſcopo : præſentibus Ioanne Boëmiæ Rege, Baldvino Trevirenſi Archi-Epiſcopo, Ioanne Pragenſi, Philippo Aiſtetenſi, nec non Petro Olomucenſi, Epiſcopis. Populus qui tunc numeroſus aderat, cecinit hymnum Hoſpodyne pomilůg ny. Poſteaquam Arneſtus Metropolitanæ Sanctæ Pragenſis Eeccleſiæ Decanus Avinioni à Clemente VII Summo Pontifice Pragenſis Epiſcopus confirmatus, cum Portuenſi Cardinale, ab eodem conſecrandus, Pragam redijt, à Principe, Statibus, à populo gratiſſimè recepti, plebem univerſam Hoſpodyne pomilůg ny concinentem audiverunt. Idem intelligendum erit in poſitione fundamento-

 rum

(i) *Hagek fol: 286. pag: B. in fine.*

rum novæ Pragenſis Baſilicæ, quæ contigit Anno 1343 (*k*), aut potius año 1344 (*l*). Similiter in erectione Monaſterij Strahovienſis, in Sion vulgò dicti, quod factum eſt Anno 1143 (*m*) ſub Wladiſlao Boëmiæ Duce. In poſitione quóq; fundamentorum Aulæ Regiæ, ſeu Zbraſlavienſis Cænobij per Wenceſlaum II
3. Iunij Boëmiæ Regem, Anno 1297. 3. Non: Iunij (*n*). De pompa hujus diei videri poteſt pulchrè Hagecius fol: 267. pag: B. & quantus Principum, Antiſtitum, atq; Nobilium numerus adfuerit, colligi poteſt ex eodem Hagecio paginâ præcedenti. Stetit autem hoc Cœnobium in ſuo flore per annos 123. ad annum ſcilicet 1420, quo, ſub Interregno, à Thaboritis expilatum eſt, & dirutum; de quo videri poteſt Æneas Sylvius cap: 36, mihi pag: 145 in fine, fuſius Paproczky tract. de Monaſterijs pag: 367.

(*k*) *Hagek fol: 310. pag: A. in fine.* (*l*). *Vide partem primam hujus libri pag: 474.* (*m*) *Hagek fol: 182. A. medio., videri etiam poteſt de hoc Cœnobio Weleslavina 7. Kal: Maij. pag: 227. & Paprocius tract: de Monaſterijs. pag: 369.* (*n*) *Weleslavina pag: 302. & Lupacius in hunc diem.*

In Adverſis quoq; caſibus, ac publicis calamitatibus.

11. Narrat Hagecius (*o*) ad annum 1142, diſſidentibus inter ſe Principibus Wladiſlao Boëmiæ, & Conrado Moraviæ, ſuo Patruele, cum Praga-Minor, quæ eſt ſumma trans Moldavam Triurbis pars, obſideretur à Moravis, Conradi copijs: & Conradus Imperator, ad inſtantiam Wladiſlai, ad ſolvendam obſidionem approperaret, Moraviæ Princeps impar exercitui ſupervenienti, illicò ſagittarios, ignem in Vrbem jaculari juſſit, ut cum expugnare viribus obſeſſos non valeret, ſaltem incendio noceret. Baatz interea ſagittariorum unus, in Eccleſiam S. Viti ignem jaculatus, totam cum Sanctorum Reliquijs, & plurimis auri argentiq; clenodijs exuſſit. Eccleſia S. Georgij, utpote vicina Metropolitanæ, ab ejuſmodi incendio inflammata, pariter arſit, ac totaliter corruit. Huic cineri Sancti-Moniales ſeptuaginta quinq; ſuperſtites, conflagratâ Domo ac tem-

(*o*) *Hagek fol: 181. pag: B. ante medium.*

templo, ſub montem Petrzinum, hodie quoq; S. Laurentij dictum, ad S. Ioannem in Augezd, aliàs in vado prope Moldavam Fluvium deſcenderunt, cum lacrymis Deum interpellando his verbis: *Domine miſerere nobis*; quod noſtrâ linguâ, tunc non aliud fuit, quàm Divi Præſulis Canticum, Hoſpodyne pomilůg ny, talibus luctibus aptiſſimum. Plurimi ſunt ejuſmodi caſus, & publica incommoda ſcripta in hiſtoria Boëmica, in quibus Hagecius non citat hymnum S. Adalberti, frequentatum tamen fuiſſe quaſi certum eſt. Sic Anno 998 (*p*), circa civitatem Slavoſſiam, hodie Beraunam dicimus, ingens octo diębus & noctibus continuis, terræmotus fuit, ita quòd ædificia quædam corruerent, & nonnulli hominum vix in pedibus conſiſtere potuerint. Id cùm Theodato Pragenſi Epiſcopo, notificatum fuiſſet, plures è Præsbyteris adeſſe juſſit, & cum ijſdem oratorium ingreſſus, pro grege ſibi commiſſo, contrito corde Deum precatus eſt, populo ſuo miſereri, & commo-

(*p*) *Hagek fol: 96. A. in medio.*

motum elementum ſedare dignaretur. Multum valuit deprecatio juſti aſſidua, quæ tum indignantis Numinis iram avertit, & nutantem terram ſolidavit. Anno 1014 (q) totum Boëmiæ Regnum per continuos centum quinquaginta dies, ſcilicet à S. die Paſchæ, uſq; ad feſtum decollationis S. Ioannis Baptiſtæ, ingenti ſiccitate laborabat: ſeges emarcuit: gramen totum exaruit; plurimum pecus præ ſiti concidit, & perijt: amnes & flumina pluribus in locis arefacta ſunt: in lacubus & piſcinis aquæ corruptæ, piſces emortui: ipſa terra Solis ardoribus inflammata, ac ardens, magnis hiatibus dehiſcens, quaſi pleno rictu depluas aquas expetebat. Theodatus iterum convocatis omnibus Clericis & Præsbyteris, aqud S. Vitum in Metropolitana publicas preces inſtituit, Pſalterium Davidis interdiu noctúq; ſine intermiſſione decantari juſſit. Ita cum alterum ſupra viginti dies à 18. die Menſis Iulij ad octavam uſq; diem Auguſti, in oratione perſiſterent, miſertus plebi ſuæ Deus, in

fe-

(q) *Hagek fol: 105. B. in fine.*

feſto S. Auguſtini, uberrimas pluvias cœlo depluit, totumq; Regnum exhilaravit. Et hic S. Woytiechi canticum, eo fine Boëmis editum, ſexcenties & millies ab univerſo Regno decantatum, quis neget? ipſe ſi per erpreſſum negaret Hagecius, non crederem. Anno 1319 (r) enormis toto Regno fames & peſtis fuit, ut non tantum plurimi conciderent, ſed etiam ſuperſtites vivos trucidarent, & carnibus eorum veſcerentur. Qui ſupererant templa frequentantes, cum Præsbyteris Deum precabantur, 'ut propter miſericordiam ſuam, & SS. Regni Patronorum Viti, Wenceſlai, Adalberti, Procopij, &c. interceſſionem, Boëmiæ miſereri vellet. Anno quoq; 1368 (s) graſſante, peſte multi mortalium in Boëmia perierunt; Ioannes ejus nominis I. & Archi-Epiſcopus Pragenſis II. in Vrbe publicas preces, jejunia, & cum nigris crucibus proceſſiones inſtituit, plurimis ad exercitia pia concurrentibus, voces clamantium cœlos penetrabant,

di-

(r) *Hagek ſol: 289. pag: B. in medio* (s) *Hagek fol: 341. pag. A. ſub initio.*

dicentium: *miſerere nobis Domine, miſerere populo tuo, & à ſubitanea morte libera nos Domine.* atq; mox propitiante Deo, peſtiferum malum exceſſit. Plura ſi velis exempla, Hagecij chronicam revolve, & multa reperiſti.

12. Hoc ultimum ad canticum Divi Martyris Adalberti neceſſarium supereſt, ſiquidem ante trecentos, quadringentos, & ſexcentos annos ita celebre fuit apud Boëmos, quomodo nunc apud nos ſeros nepotes totaliter in oblivionem venerit, & quando deſierit? ad has quæſtiones fateor certi nihil adferri poteſt; quando deſierit non conſtat, verùm à trecentis annis, ſenſim deperijſſe cantici hujus uſum, colligi poteſt ex Hagecio, qui decimo quarto Chriſti ſæculo, nempe poſt annum 1368. quin etiam altius, ab anno 1343. nullam ejuſdem deinceps mentionem facit. Oblivioni hujus Cantici, anſam dediſſe videtur Canticum illud Swatý Wáczlawe, hodieq; apud nos celeberrimum, à Ioanne ſecundo Pragenſi Archi-Epiſcopo recens editum, &

ab

ab eodem Archi-Epiſcopo, indulgentijs quadraginta dierum in perpetuum donatum. Anno ſcilicet 1368. Tunc apud plebem, novitatis amantem,

(t) *Excluſit veteres nova gratia curas.*

id enim fieri natum eſt: quod

Vilia ſint nobis quæcunq; prioribus annis
Vidimus, & ſordet quidquid ſpectavimus olim (u).

Fortaſſis etiam non ſine ratione neglectum videri poſſit: S. enim Adalbertus, quantum colligere licuit, 972. ſalutis anno ſuum canticum edidit, illâ veteri Slavorum lingvâ, poſteris poſt annos prope quadringentos, abolitâ, quam ſeri nepotes, cùm plenè non intelligerent, fors etiam à multis, ipſe notarum concertus ignoraretur, in oblivionem venit, ita quidem ut vix alicubi, ſanctæ hujus antiquitatis memoria ſuperſtes manſerit, donec Reverendiſſ: Dominus Simon Brodſius ab Horſtein, Præpoſitus Eccleſiæ Pragenſis, & Sanctæ memoriæ Principis Eminentiſſimi Erneſti Adalberti Cardina-

(t) *Auſonius Edylio.* 10. (u) *Tytus Calphurnius Ecloga.* 7.

nalis ab Harrach Pragenſis Archi-Epiſcopi Suffraganeus, eandem iterum ante viginti & plures annos publicâ luce dignam cenſuiſſet, & publicâſſet. Verùm quia, licet notis adjunctis, illud priſcum idioma Boëmis hodiernis explicatum non fuit, neglectũ jacuit, & vix non interijt. Noviſſimè verò, ſcilicet 1667. adjuvante ſumptibus Reverendiſ: Dño Sebaſtiano Zbraſlavsky de Svatova, SS. Petri & Pauli, Exemptæ Eccleſiæ Wiſſegradenſis, nec non vetuſtiſſimi Vetero-Boleſlavienſis Capituli Canonico, Metropolitanæ S. Pragenſis Eccleſiæ Decano, ac Venerabilis Archi-Epiſcopalis Conſiſtorij Pragenſis Officiali, cum notis textúq; Boëmico & latino luci reddita, tantũ incrementi ſumpſit in Regno, quòd anno 1667. propter periculum ingruentis nimiæ ſiccitatis, primùm in tota Tri-Vrbe, demũ etiam per Diſtrictus Regni, mandato Venerab: Conſiſtorij Pragenſis, cantanda demandata fuerit, & in hodiernùm usq;, toto Regno refloreſcat. Faxit Deus, *ut ſapientia S. Adalberti,*
 cum

cum Brzevnovienſi loquor (w), *in eodem cantico, non deleatur. Et ſperandum eſt, quòd ob merita ejus, hoc canticum durabit usq; ad conſummationem ſæculi. Bonum eſſet (x) quòd hoc canticum Sacerdotes in prædicationibus, ſecundùm hunc textum, ſicut pater noſter, populo ad invicem ſciendum diebus feſtivis pronunciarent: & ſcholaribus in ſcholis, ſicut hymnus vel alius autor, ob amorem S. Adalberti Patroni noſtri legeretur.*

PROSA DE S. ADALBERTO Pont: & Mart:

Deſumpta ex M: S: Proſario Pragenſis Eccleſiæ folio 298. pag: A. & B. quod ſcriptum fuit Anno 1551. Eadem etiam Proſa invenitur in omnibus Boëmicis Miſſalibus antiquis in feſto S. Adalberti 23. Aprilis. Appoſui in gratiam Muſicorum: cantari poteſt, ſicut,

Dulce cordis epulum &c.

Verſus I.

Hodiernæ lux diei,
Celebris Martyris Dei
Clareſcit memoria

De-

(W) *Roſa Boëm: parte 2. pag: 30.* (x) *Idem Brzevnovienſis. ibidem pag: 48. in fine.*



BEATVS ADALBERVS VIRGO CONFES: & MARTY

Decantentur harmoniæ,
    Sonent cordis ſymphoniæ
    Laudet Evterpeya.
2. Iocundetur plebs Boëma,
    Cui cœli miſit dona.
    Chriſti providentia.
Praga plaudat in corona
    Quam confecit arte bona
    Divina Prudentia.
3. Flos eſt tuus Adalbertus,
    Cujus color eſt repertus
    Candens, vernans, germinans:
Caſtitatis vi refertus,
    Labem carnis inexpertus,
    In candore germinans.
4. Florem Roſæ maritavit
    Caſtitati, dum perlavit
    Ejus pectus lancea.
Rore Cœli ſuos pavit,
    Quem Pruſſorum gens expavit,
    Nec admiſit ferrea.
5. Salve Martyr, qui regreſſus
    A Pruſſia, figis greſſus
    In tua Boëmia.

Advocatus indefeſſus
Sis, ut nobis es conceſſus
A Cœleſti Curia.

ALTERA PROSA de S. Adalberto.

Accepta ex alio vetuſto M: S: Proſario, quod habetur ad S. Nicolaum Vetero-Pragæ: cui ſunt etiam additæ chorales notæ.

MAne pueritiæ
Fulſit donis gratiæ
Pro Rectorum gloria,
Adalbertus inclytus,
Martyr Præſul præditus
Ex magnis natalibus.
Infans fit oblatio
Claroq; prodigio
Redditur parentibus.
Scholis ut apponitur
Virtutum, efficitur
Lucerna Saxoniæ.
Dæmon prodit peſſimus,
Quod Paſtor ſanctiſſimus
Factus ſit Boëmiæ.
O Beatus Pontifex
Quem ſupernus Artifex

Adſtans, ſomno excitat
Et ſe vendi clamitat.
Romæ in Monaſtica,
Vita, laus mirifica,
Viſu Cœlum patuit:
Vox dulce inſonuit.
Lapſu actum vas confractum
Cum ſyncero levat mero:
In nullo deperditis.
Imperator fit amator
Sancti Viri, erudiri
Suis ſvetus monitis.
Adalberte pie, per te
Langvor cedit, panem edit
Ignara ſeptennio.
Culpæ jure moriturae
Te impendis, dum intendis
Reæ & martyrio
Cœlo decus deſtinatum,
Auro Legis exaratum
Munus tibi egregia
Quod præſtat ſponſa filia.
Gregem ſequi te nolentem
Linquis, Hungarorum Gentem
Vocas ab Idololatria:
Slavos cum Polonia.

Tranſis tandem in Pruſſiam,
Verbo parans Dei viam:
Tibi morte læta ſorte
Crucem fundas corpore.
O Patrone ô Benigne,
Throno Chriſti conſors digne,
Te precantes, naufragantes,
Salva mundi æquore
Amen dicant omnia.

DE HYMNO S. WENCESLAI Martyris.

HYmnus De S. Wenceſlao, à Ioanne II Pragenſi Archi-Epiſcopo compoſit, anno 1368, juxta Hagecium (*a*). Ex Cutheno verò (*b*), Balbinus in Arneſto (*c*) ſic loquitur: *erat Arneſtus S. Wenceſlao deditiſſimus; itaq́ ad eum honorandum nobilem illum, & totâ Boëmiâ decantatum hymnũ, cujus initium eſt*, Sancte Wenceſlae, *à ſe compoſitum, in vulgus Boëmicum, muſicæ amantiſſimum aptiſſimúmq́ ſparſit, & indulgentÿs quadragin-*


(*a*) *fol: 341. B. lin: ultima.* (*b*) *pag: 116. ante medium.*
(*c*) *In vita Arneſti lib: 2 cap: 14. pag: 193. videri quoq́ poteſt pagina 198 in fine, ubi ſententiam Hagecÿ refutat.*

ginta dierum oblatis, populum ad diſcendum invitavit. Hujus hymni maximus hodieq; per Boëmiam uſus eſt: eúmq; quaſi uno ore canit vetus Boëmia. Quod ſi ab anno ſuperius notato numeres, plenè trecentos hodie numeraveris: à quo Sanctum hoc melos honori Sancti Wenceſlai, Patroni noſtri, decantari cœpit; ſed ſolùm linguâ patriâ, in Boëmia tantùm. Nunc etiam Auſtriacis, Bavaris, Moravis & Sileſitis, Polonis ac Danis, atq; alijs Regnis & Provincijs Divum Wenceſlaum amantibus & colentibus, Latino idiomate, cum ſuis notis, & vera S. Wenceſlai Martyris effigie, publicatur: idq; ſumptibus Reverendiſſimi Domini Sebaſtiani Zbraſlawsky de Svatova, (tit:) Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ Decani, nec non Venerabilis Archi-Epiſcopalis Conſiſtorij Pragenſis Officialis; cui Deus & S. Wenceſlaus hoc bonum publicum rependat millies:


Ac multis annis Patriæ conſervet eundem.


VERA EFFIGIES
S. WENCESLAI Mart:
Patroni Boëmiæ R^ni
Qui ætatis. 23. A°
vero Salutis 929.
à Fratre Boles-
lao necatꝰ est.
Wlaſtni Obraz
S. Waczlawa Mucz:
Patrona Kralowſt-
Czeſkeho. kteryž to
wieku ſweho. w. 21.
a Letha Panie 929.
od Bratra Boleſlawa
zamordowan byl.

Hymnus de S. Wenceslao.



Swatý Wáclawe/ Weywodo Cze-
Sancte Wenceſlae, Princeps Terræ



ſké Země/ Knjže náß: pros za nás Boha/
Boëmæ, Dux noſter: Deum exo ra,



Swa té ho Ducha/ Kyri e e leyſon.
Sacroſanctů Pnevma, Kyri e eleiſon.

Nebeſké geſt Dworſtwo kráſné/
Blaze tomu kdož tam dogde/
W Ziwot wěčný/ Oheň gaſný/
Swatého Ducha/
Kryſte eleyſon.

Pulchra eſt Aula Cœlorum.
Felix portus electorum:
In vitam durantem, ignem radiantem.
Paraclerum fontem,
Chriſte eleiſon.

Pomocy my twé žádáme/
Smilůg ſe nad námi:
Wtěš ſmutné/ zažeň wſſe zlé/
Swatý Wácſlawe/
Kyrye eleyſon.

Invocamus tuam opem,
Miſerere noſtram ſortem:
Mœſtitiam tolle, mala cuncta pelle.
Sancte Wenceſlae,
Kyrie eleiſon.

Dicunt autem Scriptores, ſive Ioannem, ſive Arneſtum non plures hujus hymni verſus, quàm tres compoſuiſſe: Sanctæq; memoriæ Principem Eminentiſſimum, Erneſtum Adalbertum Cardinalem ab Harrach.

rach, tantummodò ſuper hos tres, prænominatas Indulgentias confirmâſſe. Reliqua quæ ſequuntur, Poſterorum fidelium Pietas adjecit; & nos nepotes noviſſimi hodieq; ſolenniter, vulgus maximè, decantamus.

Marya Matko žádaucý/
Tys Králowna wſſemohaucý:
Proſyž za nás/ za Křeſtiany/
Swého Syna/ Hoſpodina/
Kryſte eleyſon.

Maria Mater precatrix,
Et Cœlorum Imperatrix:
Ora pro nobis, pro Chriſtianis,
Tuum Filium, noſtrum Dominũ,
Chriſte eleiſon.

Angelé Swatj Nebeſſtj/
Račtež nás k ſobě přiweſti:
Tu kdež Chwála neſkonalá/
Wěčného Boha/
Kyrye eleyſon.

Angeli Sancti Cœleſtes,
Facite veſtri conſortes
Nos, in illis laudib, nunquã deſinẽtibus,
Vbi noſter Dominus,
Kyrie eleiſon.

Wy Dědicj Cžeſké Země/
Račtež pomnět na ſwé Plemě:
Nedeg zahynauti / nám y budaucým
Swatý Wjte/ Swatý Wogtěſſe/ Crho
a Strachoto/
Swatý Zygmunde/ Swatý Girj/
Kryſte eleyſon.
Vos hæredes noſtri Regni,
Misereamini plebi:
Ne perire dederis nobis, atq; poſteris,
S. Vite, S. Adalberte, Cyrille Methudi
Sancte Sigiſmunde, Sancte Georgi,
Chriſte eleiſon.
Hřjchůw ſe naſſých lekáme/
Přjmluwy waſſj žádáme:
Swatý Prokope/ pět Swatých Bratřj/
Swatý Norberte/ Swatý Jozeffe/
Swatá Lidmillo;
Kyrye eleyſon.
Noſtris terremur peccatis,
Precatores accedatis:
S. Procopi, Ioannes cum Fratribus,
S. Norberte, S. Ioſephe, S. Ludmilla:
Kyrie eleiſon.
Wſſyckni Swatj pomáhegte/
Zahynauti nám nedegte/

W Swětě lſtiwém / w bydle mylném /
Ať nezahynem /
Kryſte eleyſon.
Omnes Sancti adjuvate,
A ruina conſervate,
In fallaci ſæculo, errorum ergaſtulo,
Ne cadamus in illo,
Chriſte eleiſon
Bohu Otcy chwálu wzdegme /
Swatým Křjžem ſe žehnegme:
We Gméno Otce / +
Y Syna geho / +
Ducha Swatého / +
Kyrye eleyſon.
Deum Patrem collaudemus,
Signo Crucis nos ſignemus:
In nomine Patris, +
In nomine Filij, +
Nomine Parcliti, +
Kyrie eleiſon.

E re quoq; viſum fuit in hoc latino libello textum præmittere Boëmicum, quia patrium, atq; Dominatum: propter Indigetes, quibus, in multis Boëmiæ locis, neq; prima notarum eſt notitia. Multa quoq; ſunt

Civitates & oppida, quæ Boëmicum idioma neſciunt: in his, latinè ſaltem, à choro Sanctus noſter Princeps & Patronus laudari poteſt. Quod autem in hoc Hymno, in enumeratione SS. Patronorum, plures, quàm ante fuerunt, addiderim; nempe SS. Cyrillum & Methudium, Coſmam & Damianum, Quinq; Fratres, Georgium atq; Ioſephum, Miſſalis & Breviarij Boëmici authoritas juſſit: eaq; ſerie Patronos omnes, quemadmodùm in Miſſali ſunt, inſerere laudabile viſum fuit; maximè in altera parte Cantici, quàm non B. Arneſtus compoſuit, ſed pro privata devotione ſua Poſteritas adjecit. Muſicus etiam illud ignoſcet: dum plures quandoq; in contextu ſyllabas, quàm notas offenderit; id ipſum enim in originali Boëmico quoq; deprehendet.

Notanda quædam, inter calamum & Dedicatoriam intervenientia.

PAg: 100. num: 4. de Dietmaro dictum eſt primâ parte libri, Authoritatem Hiſtorici ſecutus, Canonicum Regularem fuiſſe; ni fallor, Benedicti-

num

num dicendum, nulla etenim, ſub hoc temporis, Magdeburgi Religio quàm Benedictina fuit; quemadmodum oſtenſum eſt, præcitatâ primâ parte libri: pag: 78. & 79. Bucelinus in Menologio pag: 7. colum: 2. in fine, & in Annalib, Benedictinis, eundem Dietmarum inter Benedictinæ Familiæ Sodales expreſsè recenſet.

Pag: 276. Vetero-Boleſlaviam Sancti Præſulis peregrinatio memoratur; ſed ex Archivo Vetero-Boleſlavienſis Capituli conſtat, Divum Adalbertum ſæpius eo peregrinatum fuiſſe. Sic habet Archivum præcitatum: *Woytiechus, ſeu Adalbertus Pragenſium Epiſcopus duros Rebelles, & contumaces ſui gregis animos ante Aram Sancti Martyris Wenceſlai Antiquæ Boleſlaviæ provolutus, quæ ſanguine conſperſa eſt, precibus prolixis flectere & emollire nititur. Viſitat ſepulchrum ejus, quod ablato & tranſlato Corpore ſolum ibidem remanſerat, idq; uno ante ſuum è Boëmia ultimum diſceſſum anno contigit.*

Româ ſecundò redux Thaumaturgæ Cœlorũ Reginæ imaginẽ Vetero-Boleſlaviæ piè & de-

devotè veneratur; ad quam anno iſto novam peregrinationem Pragâ inſtituit.

Habetur adhuc de S. Adalberto, quòd ſacrum Miſſæ ſacrificium ad tumbam Sancti Martyris & Regis Boëmiæ Wenceſlai devotiſſimè cum lachrymis obtulerit. 2. qualiter Eccleſiam ſeu locum Martyrij Sancti Wenceſlai ingreſſus, primum, tanquam ſibi ſangvine junctum & cognatum S. Wenceſlaum, ſalutaverit: optans adhuc magis Sancti Wenceſlai conſangvineus fieri, ſeu etiam pro Chriſto mori.

Suos Quinq; Fratres, qui non corporales ſed ſpirituales ejusdem fuêre, mittit Vetero-Boleſlaviam peregrinatum ad locum Martyrij Sancti Wenceſlai, qui eo iverunt ex Inſula S. Ioannis, vulgò Sancti Kiliani jam dicta. Horum Sanctorum memoria Vetero-Boleſlaviæ defacto proſtat: nam illorum honori Sacellum ad ipſum latus Capellæ SS. Coſmæ & Damiani eſt dedicatum.

Pag: 216. lin: 3. ad excom̃unicationes Boëmorum addi poteſt & iſtud ex Bullis Brzevnovienſium Abbatum.

Commiſſio Innocentij Papæ IV. facta Abbati Brzevnovienſi ſuper relaxanda excommunicatione cereviſiariorum Pragenſium, ipſis à S. Adalberto lata.

INnocentius Epiſcopus Servuus Servorũ Dei dilecto filio Abbati de Brzevno Ordinis S. Benedicti Pragenſis Diœceſis, ſalutem & Apoſtolicã benedictionẽ. Ex parte chariſſimi filij noſtri Illuſtris Regis Boëmiæ nobis extitit ſupplicatum, ut cùm dudum à recolendæ memoriæ Beato Adalberto Pragenſi Epiſcopo, propter ſterilitatem afficientem tunc nimiùm partes illas, excommunicationis ſententia in omnes Cives Pragenſes, venalem conficientes cereviſiam, prolata fuiſſe dicatur, & nunc per Dei gratiam, magna ſit in partibus eisdem annonæ fertilitas, providere ſuper hoc miſericorditer curaremus. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, auctoritate noſtra hujusmodi ſententiâ relaxatâ, civibus ipſis venalem conficiendi cereviſiam, præſertim cum multam ſicut dicitur vini penuriam patiantur, licentiã largiaris. Datæ Lugduni 3. Non: Decemb:

Id contigit circa Salutis annum 1245.

ſub

ſub Clemente, XV Brzevnovieſi Abbate; adeoq; Pragenſes cereviſiarij in excommunicatione fuerunt per annos minimùmm 251. colligi poteſt ex ſerie Abbatum Brzevnovienſium apud Paprocium tract: de Monaſterijs pag: 347. & ſeqq:

Pag: 481. de calvaria Sancti Adalberti mentio facta eſt, ad quam hoc ſuperaddam: Anno præſenti 1668. 26. die Menſis Auguſti, in Feſto SS. Reliquiarum, quæ in Metropolitana Divi Viti Eccleſia conſervantur, ſtatuam illam argenteam, in qua Divi Martyris Adalberti caput repoſitum dicunt, fideliter contrectavi, rimulas etiam, quæ oculis perviæ eſſe potuerunt, introſpexi: vereq; caput, cujuſcunque Sancti demum, inibi clauſum adverti. Præterea ſuper pectus, (nec enim hæc ſtatuâ, ulterius quàm à vertice capitis, ad medium pectoris protenditur) criſtallus eſt oblongior: ſub eadem Reliquiarum aliquid candicans, & membranea ſchædula, vetuſto charactere, minio ſuperſcripta. Literæ, quæ adhuc in vetuſto illo ſchædio legi poſſunt, hæ ſunt, Dalbe, non

non alium quàm S. Adalbertum indicantes. Idcircò Lectorem, quisquis eſt, obſecro, tam claris teſtimonijs, aurem & fidem porrigat: & apud nos, quia caput, per conſequens etiam reliquas partes corporis Divi Martyris Adalberti Pragæ haberi, mecum & firmiſſimè credat.

AD MAIOREM DEI GLORIAM ET S. ADALBERTI HONOREM.

Menda				Emenda
Pag: 1.	*lin: 9.*	Eccles	*corrige*	Ecclis.
15.	*l. 19.*	Beringernm.	*cor.*	gerum.
16	*l: ulti:*	confecttus	*cor:*	confectus.
21.	*l: 16.*	nepotem	*cor:*	nepotum.
	l: antepen:	tribut	*cor:*	tributi.
38.	*l: 10.*	Luſatâ	*cor:*	Luſatiâ.
51.	*l: 1.*	Hoſtivodus	*cor.*	Hoſtivitus.
ibidem pro.		Poloniæ Regis.	*cor:*	Poloniæ Ducis
53.	*l. 5.*	octum	*cor:*	ortum.
54.	*in citatione lin: 4.*	Fillivei⁹	*cor:*	Filliuti⁹.
55.	*l: 10.*	Præsbycerij	*cor:*	Præsbyterij.
59.	*l. 18.*	paërilibus	*cor:*	puerilibus.
63.	*l. 5.*	mediciorum	*cor:*	medicorum.
	l: ulti:	incoluminis	*cor:*	incolumis.
97.	*l. 14.*	comovendum	*cor:*	commonendum.
128.	*l. ulti:*	à capite	*omitti*	*debuit.*

Tunc magnus. *eſt inchoatio.* §. *ſexti.*

Pag:

Pag: 142. *in citat: lin:* 2. juſannis *cor:* 19. annis.
167. *l:* 2. Prodiſlaꝰ *cor:* Brodiſlaus.
175 *l:* 17. audient *cor:* audiens
176. *l.* 20. perdidiſſimos *cor:* perditiſſimos.
193. *l:* 7. Emaus *cor:* Emmaus.
213. *l. penult:* ples *cor:* plebs
218. *l: ante penultima in citatione.* non, *deleatur.*
234. *l. ultima. CMXXXI cor: CMLXXX.*
ibidem ex parte. 7. Martij *cor.* 17. Martij.
239. *l.* 8. dormienter *cor:* dormientes.
ibid: in citatione lineâ penultima
Romã Woyciechi abitꝰ *c:* Romã Woyt: reditꝰ.
248. *l.* 19. quinq;. *cor:* ſex.
282. *lin: poſtrema* ſvavit *cor:* ſvaſit.
284. *l.* 5. cuculum *cor:* cucullum.
288. (k). *omiſſa eſt citatio, ſic ponenda:*
Hoc anno crediderim, contra Hagecium, reijcientem ad annum 979. Hiſtoria illius videatur Folio: 90. pag: A. initio in Chronica Boëmia
Pag: 303. *l:* 10. flanimis *cor:* flammis
307. *l.* 9. aureis *cor:* arcis.
329. *l.* 22. menſe *cor:* menſæ
350. *l: penulti: in citat:* bæ *cor:* hæ.
375. *l.* 13. abſtinenua *cor:* abſtinentia.
383. *l.* 11. Adalborto *cor:* Adalberto.
392 *l.* 8. laudbius *cor:* laudibus.
419. *l. penulti:* commue. *cor:* commune.
422. *l.* 14. barbarè *cor:* barbaræ.
445. *l.* 15. medicorum *cor:* mendicorum.
455. *l.* 6. edem *cor:* eâdem.
480. *l.* 16. Eccleſiæ *omiſſum eſt*, ſuæ.

BIBLIOTEKA OSSOLINEUM